RHEGINUS
MEDICINAE
EXERCITAMENTA

1564

D.

IV 5

C C e 12

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark
RHEGINUS, G.

1736

Dr Gaspe[illegible]

[illegible] in Bergen

66269/D

MEDICINAE EXERCITAMENTA,

EX SELECTIS LINGVÆ VTRIVSQVE AVTHORIBVS, GVLIELMO RHEGINO LVGDVNÆO ILLVSTRATA.

AD LECTOREM.

Hæc Deus adſcribat, Lectores credite, ſi fas
Profore: ſed gratis, vos volo Pæonios.
Cuncta, nephas, noſtro velle inſeruiſſe labori:
Huic vni tantùm confiteretur opus.



LVGDVNI,
Apud Barptolomæum Molinæum.

M. D. LXIIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

LONDON·MEDICAL SOCIETY OF

V. 9. 19

QVIBVS VTITTR AVTHORIBVS.

M. Trimegiſtus,
Hippocrates Coüs,
Pythagoras,
Ariſtoteles,
Theophraſtus,
Cornelius Celſus,
Cornelius Tacitus,
Strabo hiſtoriogr. & geographus,
Dioſcorides,
Galenus,
Scrib. Largus,
Aphrodiſæus,
Trallianus,
Garyopontus,
L. Apuleius,
Cœlius Aurelianus,
Plinius vterque,
Ægyneta,
Aëtius Amidenus,
Actuarius,
Auſonius,
Oribaſius,
Ruellius,
Gillius,
Angeſtus,
Leonicenus,
H. Barbarus,
Th. Gaza,
B. Alexander,
I. Manardus,
Melancthon,
Fuchſius,
Geſnerus,
I. Agricola,
Braſſauolus,
I. Syluius,
G. Copus,
Guinterius,
Acakia,
Belonus,
Vaſſæus,
Scholiaſtes,
Ælianus,
Riuirius,
Thyleſius,
Georg. Valla,
C. Stephanus,
Lucanus,
Gellius,
Macrobius,
Pſellus.

II5

IVRIS VTRIVSQVE

DOCTORI CONSVLTISSIMO, ET
VRBIS ROMANENSIVM IVDICI
*æquiſsimo Carolo Velleio, Gulielmus
Rheginus. Lugdunæus.*
S. P. D.

VETERES olim probatioris vitæ viri (Vellei Iudex ęquiſſime) inter philoſophãtes qui excellerent, certo quodã vincti trophæo, aut coronyde, inter famæ maximæ regionis ſuæ Illuſtres, honos cui deberetur candidè certabant: vt ſi quod incipiendum molis arduæ opus, antè diceretur, ſacrúmque haberetur, quàm vel perfectum, vel inceptum eſſet, operis nomen apud neminem vſurparetur. Vſque adeò honeſtum viſum eſt, rara authoritate & grauitate viros delegere, quos in fauorem operis ſuſcipiendi pro Mœcænatibus ſibi patronos gloria populari immunes comparabant: quod ſicuti factitatum antiquitus, hactenus eò diligenter obſeruatum eſt. Mihi quoq; rei tantæ conſcio, atque excellenti faſtu, non mediocriter impedito, cui hũc noſtrum laborem patrono eximio offerrem, quo gnauiter tueretur: cogitaui mecum eum eſſe te eruditorum fraude ſimpliſſimum, & ſingulari manſuetudine clarum, & doctrina haudquaquam vulgari, morum necnon probitate obſeruantiſſimum: neque ideo alterum eligẽdum duxi, qui vel ſtrenuiùs, vel promptiùs noſtras foueret partes. Neq; cupiebam profectò in tantos fluctus circumagi tua niſi confiſus ope, minùs quoque vires noſtras committebam ventis, ſed benignitate animi tui promptus nimirùm accurriſti, te mihi ſecura ancora præſtiteris. Nam anno ab hinc plusminùs quarto (Vellei vel mortalium humaniſs.) Medicinæ Exercitamenta à me illuſtrata, ſed ne-dum quidem ędita, aut in lucem emiſſa, verùm tui nominis auſpicio emittenda decreui, nulla alia ſanè ſententia vt id facerem motus, niſi ſperans, vt multorum rei medices candidatorum Medicina ipſa clariùs intueretur. Dum enim mecũ reputo quantùm à priſca, atque adeo recta medendi ratione noſtræ ætatis recentiores medici deſciſcant, quòd quiſque fermè peculiarem habet quem imitetur authorem, eúmque plerumque indoctum ſibi proponat, quodque in vniuerſum omnes, ſimplicium penitus neglecta cognitione, remedia falſa

pro veris, & ægritudines accipiant; operæ precium me facturum exiſtimaui, vt in legēdis peritioribus Medicinæ ſcriptoribus delectum aliquem accipiant, monerem. Proinde quod id ipſum commodè afficerem non grauatus-ſum ſelectiores Medicinæ totius partes ſimplices, quas ante nos Leonicenus, Manardus, Ruellius, Fuchſius, Briſſottus, Syluius, Fernelluſq́;, viri longè doctiſſimi, memoriæ prodiderunt: quæque ex aſſidua veterum authorum lectione animaduertebam in vnum corpus redigere, formuliſq́; excudenda proponebā. Quem quidem laborem eò gratiorem fore putaui, quòd ſingula cuiuis lectori candido complaceant. Nam quæ ego interdum in tranſcurſu attigi tantùm, ſuccinctéque adnotaui, ea copioſius diligens lector apud citatos authores inueniet. Multa denique quæ nudis ſolùm verbis citra omnem fucum produximus. Atque adeo bona ſpes ſupereſt conatum hunc noſtrum à nullo non amplectendum, præſertim cùm per ea in ſtudiis lectionis variæ incidat quiuis bonus lector. His ergo rationibus adductus, vigilias haſce meas, quas noctibus longioribus in hoc corpus perbreue congeſſi non ingratas medicinæ Tyronibus fore confido: quòd non paucis vt ad meliora aſpirent calcaria addere poſſe ſperem. Neque ſpes illa me planè fallit, ita enim conſtant ea noſtra tempora, vt correctricem manum non reſpuant: quapropter mox publicato hoc noſtro labore reperientur, qui me alia nulla cauſa in hanc deſcendiſſe partem dicent, niſi vt bonis proſim viris: mihíque nomen & famam apud poſteros conciliabunt, quos ſcio eo animo non futuros alienos, vt obtrectationis immunes exiſtimē. Non deerunt tametſi qui damnent, quòd omnia ex aliorum commentariis in librum hunc cōferam, atque adeo alienis plumis ſuperbiam: quaſi ſummi olim authores id ipſum non fecerint. Vtcunque tamen referendis aliorum ſententiis tantùm operam omnem impenderim, nemo tamen aduerſariorum repertus eſt, qui factum hoc vitio illis dederit. Neque mirum itaque ſi non repræhendar, quòd in magnis authoribus Græcis & Latinis nequicquam ſimilium vigiliarum repræhenſum eſt. Nihil attinet ergo factum hoc meum, magnorum virorum exemplo, tueri, qui ingenuè fateor nominibus, & locis authorum ſemper recitatis adiutum eſſe, neque vnquam quicquam ex illorum monumentis in vſum meum tranſtuliſſe, vbi non ſimul eorundem honorificās mentionem fecerim. Satis enim conſtat benignum & plenum ingenij candoris eſſe, fateri per quos profecerimus. Inſuper neque deerunt quibus operis huius quoque inſcriptio receptior futura eſt, tam faciles erunt illorum aures, vt hunc titulum minimè inſolentem facilè patientur. Nulla autem, mea quidem ſententia, commodiore inſcriptione, quàm Medicinæ Exercitamenta, inſigniri potuit: ſingula namque quæ hîc traduntur, præter vulgarium Medicorum iudicium, opinionem-vè dicta videntur. Et vt planè nouam faciem opus hoc indueret, longè aliter, quàm qui dictionaria inſcribunt, egimus, vt conferatur authoribus perſcrutandis titulus. Quare hoc quicquid eſt ingenij, (Vellei Iudicum prudentiſſime) cur clementiæ, ac humanitati tuæ nnncupare

pare non dubitauerim:in-primis tuum recens ac nouum,ſed maximum,& propenſiſſimum erga me ſtudium, amórque incredibilis: cò quòd neſcio quid magni de te animus mihi ſemper præſagiebat: qui etiam interim dum quorundam aduerſariorum improbis afficiebar contumeliis,patientiùs reſiſtere haud-quaquam dedignatus-es, prudẽtia tua illorum calumnias reprimens. Hinc neque temerè, neque ſine tuo magno iudicio in hos peſtilentes impetus te oppoſueris, quos tibi modis omnibus abiectos voluiſti, perſuaſum mihi iam-pridem habebam:quòd ſcirem Deum optimũ maximum ſuorum ſibi curæ ſemper eſſe, ne in id genus hoſtium miſerias incurrant: vt illorum tandem declinatis affectibus errorem per te ſuum agnoſcant. Nunc iterum tandem præter omnium expectationem,actutum & maiore cum animi tui dexteritate, & conſtantia me ipſum ab infortuniis repululantibus eripuiſti, quando mecum audes confligere cum profeſſionis noſtræ viris imperitis:quos neque vigere diutiùs iſto ſuo in errore obſtinato Deus patietur. Tu certè ex paucis cæterorum vrbis noſtræ præfectis, cum palma laudem æquitatis adminiſtrandæ promereris: qui magiſtratum, religionem ipſam Chriſtianam,veram pietatem,atque adeo recta ſtudia regendo,imiteris. Quæ quùm per te ſint hæc cuncta & piè,& ſanctè in priſtinum ſuum morem reſtituta: ſupereſt modò bonarum literarum,& pietatis ſtudia quæ penes te ſunt, tua in inclita Rhomanſi vrbe, renaſcantur, quemadmodum cordatum, & verè Chriſtianum ſpectatiſſimum patronum, & æquiſſimum Iudicem, oportet. Prudenter ſcilicet facturus, quòd in hac re peragenda, non tuis tantùm inniteris conſiliis, verùm ordinis tum prætorij, tum magiſtratuum, experientia claros imitaris: quibus cum de Repub. adminiſtranda, & pace reſtituenda, conſilium tuum haud adſpernis: maximè quidem quùm imperitorum facultatis noſtræ turba peſtilens à proborum cœtu explodenda, atque mox releganda eſt. Difficillimum namque noſti turbulento ſeculo iſto, præſertim in tanta imperitorum multitudinem,ſeligere eum,qui Medicinæ exactam methodum, candidè, & ſyncerè exerceat. Nam, vt artis expertos taceam, quot ſunt hodie qui impoſtorum peſtilentiſſimorum veneno imbuti paſſim obambulant, artémque pulchrè diſſimulantes,inficiunt? In iis itaque dignoſcendis quanta ſit opus prudentia,ipſe facilè conijcere potes.Laudo itaque, in adſciſſendis vrbi tuæ peritioribus, iſtam tuam ſingularem prudentiam,qui aduſq; non es paſſus,niſi ſimiles curationẽ certam attingerẽt: vitę quoq; integritate probati,quos nulla medendi ignorantia vſus obſcurauit.Hoc quoq; ne impoſtoribus quidẽ,hominibus tantum-modò deditis mendacio,medendi locũ permittis,quod hoc vnũ conaris efficere, vt apud oppidanos tuos confeſtim ſanitas integra redeat. At ſi hoc ipſum,vt perficias, conſequaris, periendum non eſt, quò deinceps ab huiuſcemodi plebs tecum decipiatur pſeudomedicis:& ſi tanto es animo,à peritorum paleſtra propulſabis,ac veram medendi artem ex ſententia tueberis. Accipe igitur

(Vellei præclariſſime) noſtros hos Medicinæ Exercitamentorum libros, eóſque à dentibus virulentis tueare: etſi defuturi non ſunt, qui nominis tui laude, ac vitæ integritate patientiùs iacturam ferent, ſeſe pro defenſione noſtra vltrò offerentes, conuertentur: id quod præclariſſimo nomine tuo ab eis facilè conſequar. Tu itaque dierum tuorum felicem ætatem ſtrenua animi tui prouidentia hilariter in finem æui tui ducturus Dei optimi maximi, nutu, vt cupio, ſic & aueo: & Rheginum tuum amare vt adſoles, ama. Cura vt ſanus benè valeas. Ex ædibus noſtris Rhomanis, decimo Cal. Apriles: à Chriſto orbe redempto.

1560.

MEDICINÆ CANDIDATO, ET NATVRÆ HVMANÆ PIENTISSIMO VIRO, Ioanni Valentiano, Gulielmus Rheginus. S. P. D.

PVTABAS namque aliquid meas eſſe nugas (Valentiane Medicorum candidiſsime) etſi mecum iampridem hoc habebam, medicinæ ſcilicet Exercitaměta in multorum gratiam luci exponenda: vetuit tamen opum auara parcitas, quæ egentem à Theoricis ad methodicæ artis curationem coëgit, quò ſubeſſet liberior ad perficiendum opus inſtitutum voluntas. Nec quiſquam ſanè mortalium ſeculo iſto eſt, niſi vel rariſsimus, vel qui digniſsimus doctorum patronus vigiliis inſeratur, vt nephas putari poſſe exiſtimet, illuſtrari literatorum libris. Hoc animo dum ſatis ſupérque reuoluo, liuoris ſuſpicione ipſum-me protinus diſcutio, tutiorem congratulationem cuiuis Medicinæ candidato arbitratus: cui ſi non ex voto haberem, fruſtratum iri accuſarer. Et ne æris alieni vinctus depræhenderer, alienum quoque opus hoc iure optimo dici poſſet, noſtra ope, qua neque operæ pepercimus, neque bonorum authorum induſtriam neglexi mus, deinceps ne alterius cuiuſquam vt dicatur, ingenij dexteritate, ac animi candore perfecimus, tradidimúſque, quale nunc hoc eſt, merito tuo, omnibus legendum Medicinæ amatoribus: vt à librorum farragine vel ſubleuentur, vel excutiantur: & promptitudine quadam in authorum perquirendos locos per voces Indiciarias fuerint introducti: & penu hoc refertum fænoræ congratulabuntur, mihi quoque nonnunquam gratiam impartituros minus negabunt. Bene Vale, ex Conclaui noſtro Calendis Aprilis, 1560.

AD GVLIELMVM RHEGINVM, INSIGNEM MEDICINÆ ET PHYSEOS DOCTOREM; P. MARTINI Carmen Iambicum.

Argentum, ebur, Corinthium æs, gemmæ Indicæ,
Sigilla Tyrrhena, renitens marmor Paphi,
Solers, tabellæ, protulit quas & Scopas,
Parrhaſius incîdit quod & ſaxum notis,
Et præmium Graiarum tripodes ſortium,
Et tibi Pyropus, & Smaragdus, Sardonix,
Tinctæ togæ Tyrio darentur murice:
Sed ſors rotæ quæ capitur orbe volubilis,
Gaudens & illudere tyrannis hominibus,
Crudelior quâ nullus eſt in nos Deus,
Hoc abnuit mihi. Quid? caput nónne exerens
Iis altius, contemnis hanc furis, ſalis,
Flammæq́ prædam, fomitem, hydram quoque mali?
Nudare res ducis ſiniſtræ animum vt ſolent,
Celant ſecundæ: robur Herculeum indicas
Sic mentis inuictæ arduis rebus tuæ.
Donabo ſed carmina, redit per quæ bonis
Poſt fata vita & ſpiritus, quibus palàm
Fiat vacare noxia Martinum, ob id
Quòd obrutus negotiis fluctu velut,
Inuiſit haud te, fine qui dempto tuas
Præconio laudes (licet paruo) canet:
Modò reſpuas leuidenſe non munus. litat
Tenuis acerra ſæpius: Laudabilem
Prohibet canora virum mori vatum chelys.

MEDICINAE

EXERCITAMENTA,

EX SELECTIS LINGVAE VTRIVSQVE AVTHORIBVS, GVLIELMO RHEGINO LVGDVNÆO ILLVSTRATA.

De litera A.

ABdomen, ſiue *Sumen* ἐπιγάστριον Græcis: Arabibus, Mirach, pars ventris circa vmbilicum, octo compoſita muſculis: quatuor obliquis, duobus tranſuerſis, ac cæteris item duobus rectis.

Abdomini adiacet Peritonæon, hoc eſt circumtenſa tunica, ſiue membrana inferioribus partibus ventris, apparet: cuius functiones, eius quoque ſuendi rationem enarrat Gal. libro v. de anat. adminiſtrationibus: & quarto de vſu part. Celſus lib. quart. cap primo.

Abdominis præterea muſculis inflammatis pulſus qui fiant: atque ipſorum cognitio, docet Galen. de præſagatio. ex muſculis, libro iiij. cap. de Menyngibus affectis.

Abdominis quoque vulnerati curatio petenda ab eodem Gal. Meth. medendi lib. vj. AEgynetà lib. vj. cap. lij.

Abdominis muſculi tum ad reddendam vrinam, tum ad alui deiectionem quomodo nobis ſunt auxilio, atque ad fœtum expellendum Natur. facultatum libr. iij. fuſiſsimè docet Gal, Sed quid ſit Abdomen, de Sectione arteriarum idem explanator eſt Gal. Item vulneratum Abdomen, & eius diſſectio, atque commoda ipſius ſuēdi ratio: & quæ porrò parua eius vulnera tractatu difficilia: ipſo quoque vulnerato quatuor ordine agenda: quæ Meth. med. Gal. tractat lib vj. Inſuper vulnerato Abdomini, medicamenta quę, & qualia expediant: atque deligatio, ibidem ſunt petenda.

Abditæ cauſæ vocantur, in quibus requiritur, ex quibus principiis noſtra corpora ſint. quid ſecundam, quid aduerſam valetudinem faciat. Celſus libr. primo Artiū.

Abies, ἐλάτη noſtris Sapinus dicitur: procera arbor & recta, ſemper virens, Pino diſsimilis. E ſemine naſcitur: cuius flos croci colorem ſimilem profert, & ſemen Vergiliarum poſt occaſum: exiguámque reſinam illachrimat. Verùm quod hæc hactenus medicaminibus, & vnguentis inuſitata fuerit, nec Dioſc. nec Gal. vſquam prodiderunt.

Abietis duo ſunt genera, mas & fœmina: mas reſinam fundit, odoratam, paſsim celebratam: ob ídque paſsim pro terebinthina vſurpatur. Emollit ventrem coquendo: tuſsim vtentibus in totum compeſcit. Vuluæ oneri, & renum calculis remedio eſt, vrinámque mouet ac foras propellit. Hæc naſcitur copioſa in Seguſianorum & Aruernorum montibus, à qua ęſtate liquor erumpit vulnerata, venítque pro liquida terebinthina ad quotidianos vſus. Suſpicati ſunt medici, etiam docti, Galenum Abietis, aut eius lachrimæ meminiſſe ſub hac locutione, Iniicies & pinææ reſinæ. &c.

libro iiij. Sanitatis tuendæ: quæ non ex Abietæ, ſed Pinu erumpitur. Vide Plinium Nat. hiſtoriæ lib. xvj. cap. x. Theophraſtum de Hiſtoria ſtirpium, lib. primo, capit. xv. apud AEgynetam, ſub nomine Elate, libro vij.

Abrotanum ἀβρότονον, duum eſt generum. Dioſcoride cap. xxv. libri tertij: & Gal. ſimpl. facultatum lib. vj. teſtibus. Vtrunque facultate ſecundo ordine calidum & ſiccum. AEgyneta verò, ex Aëtio tertio.

Abrotanum cũ abſinthio marino, vel Seripho videtur Gal. facultatibus inter ſe confundere. Abrotani herbæ ex Pli. libr. xxj cap. xj. deſcriptionem habes: ex Ruellio lib. iij. cap. xxiij. Abrotani præcipua facultas ex Aëtio lib. Simpl. medicamen. petenda eſt. AEgynetà lib. ſexto Simpl.

Abortus ἔμβρυον, infans in vtero nondum perfectus, & ante maturum naſcendi tempus extinctus. Hippocrates libro ſexto Epidimiarum, cap. xij. ſic refert: Conſtat autem abortum hoc dierum circuitu fieri: & vt plurimùm labores tertio, quinto, ſeptimo, nono, quarto, ſexto, & octauo menſibus fiunt. Gal. lib. de Symptomat. cauſis ij. Corruptum verò fœtum eiicit aut tertio, aut quarto, aut alio quolibet menſe, non aliter quàm inſtante pariendi tempore fauces aperiens. Quære Hippocratem in lib. de fœtus natura: & Gal. de fœtus natura ex educatione xv. lib. vſus partium. Abortus quo prouocatur, atque eiuſdem triplex cauſa: aut pondus immodicum, aut moles nimia, aut morſus, vt recitat Gal. lib. Facultat. nat. iij. Aëtius verò, Abortus ſigna, cauſas, indicationes, & curationem docet libr. xvj. cap. xix. xx. & xxj. Celſus quoque bonus Hippocratis interpres lib. artium ij. cap. ij. ſic ait: Si Auſtri, pluuiæque hyemem occuparint, ver autem frigidum & ſiccum eſt, grauidæ quidem fœminæ, quibus tum adeſt partus, abortu periclitantur: hæ verò quæ gignunt, imbecillos, vixque vitales ædunt: cæteros lippitudo arida, & ſi ſeniores ſunt, grauedines, atque deſtillationes malè habent.

Abſinthium ἀψίνθιον, ordine primo calidum, & tertio verſus finem ſiccum: propterea adſtrictoriam, & amaram, acrem ſimul qualitates poſsidet. Itaque bilioſos ventris humores per egeſtionem infernam propellit, aut vrinas euacuat, pituitoſos autem ventres per inferna nihil iuuat. Hæc AEgyneta libro vij. medendi artis. Requirendus quoque Gal. in Simplicium facult. libris, ſuper deſcriptione Abrotani. Aëtius autem Gal. ſecutus, Abrotanum vtrunque cũ abſinthio miſcet, & facultate parum differre videtur annuere. Quære Abrotani deſcriptionem apud Dioſc. libr. iij. cap. xxvj. de Seripho, & Abſinthio. Quot autem nominibus polleat Abſinthiũ, ab authoribus petenda ratio eſt, quòd tam varia videatur confundi nomenclatura. Nam Abſinthium Romanum, marinum videtur, quod Seriphum fortaſſe depræhendetur. Santonicum autem, & Centonica, ſemen ſauton, ſemen lumbricorum, ſemen Cynæ, idem ſimplex eſſe medicamentum aſſeritur à Manardo libr. Epiſtolarum x. Abſinthij denique vires, & materiam fuſè docet Dioſc. lib. iij. capi. xxiij. & xxiiij. Gal. autẽ medicamina in medendi Methodo, lib. vij. Itaque abſinthij potio quando danda, & eius potus ex mulſa, quid faciat, & cum cappari, & cum oximelite cataplaſma lieni: & quænam vis, & facultas, & quotuplex, & quando vtendum, quoniam ventriculo corroborando idoneum, & iocineri medicamentum excellens, ex eodem Galeni libro perſcrutandum eſt. Abſinthium Ponticum Santonico, & vulgari vires mitiores habere contendit Galenus libro vndecimo Methodi medendi, ibíque in integrum deſcribitur.

Abſceſſus ἀπόστημα καὶ ἀπόστασις, eſt affectus, in quo abinuicẽ diſtant quæ priùs ſe cõtingebant corpora. Gal. autem ſic finit, Abſceſſus, eſt mutatio corporis ex inflammatione in materiam purulentam. Excoriat enim circumpoſita corpora, ſpacium ſibi videlicet moliens, vel inter duas tunicas, vel ſub certis membranis. Excoriat autem omnino ipſa copia diſtendens. Inueniuntur etiam in huiuſmodi abſceſsibus, vbi aliquandiu perdurauerint, vngues, pili, oſſa, teſtæ, ramenta, lapides, carbones, ligna, & nonnunquam amurca, veluti olei fęx. Curandi rationem & methodum docet Galenus, libro ſecundo, ad Glauconem, & Methodi medendi libro decimoquarto, in

quo

quo ſummaria conſideratio, tria abſceſſuum frequentiſsima genera, quorum quidem diuiſio, curatio nō eſt. Hippocrates ſimiliter Abſceſſus triplices, atque ipſorum ad bonitatem, aut malitiam cum cognitione explanat Prædictionum libr.iij. atque ibidem ex eo Galenus. Sed Manardus lib. Epiſtolarum viij. abſceſſus triplici via curari poſſe ſic ſcribit. Melicerida non tam vlceris nomen eſſe iuxta Gal. & AEgynetam, quàm abſceſſus: cuius curatio triplici via compleri poteſt, putrefactione ſcilicet, diſcuſsione, & ſectione. Celſus verò abſceſſus minuti in vrinæ fiſtula quomodo ſanitati redduntur, tradit libro Artium ſecundo. Sed abſceſſus foris impetentia ex AEgyneta quærenda eſt Artis medendi libro quarto. Quando autem fiant, & in qua parte membrorum corporis minùs periculoſi, ex Hippocr. libro ſexto Epidimia. explanat eius interpres Fuchſius. Qui tandem febres omnes finire conſueuerunt diuturnas, & quando, terminantúrque, aperit Gal. libro tertio de Criſibus. At abſceſſus eas diſpoſitiones nominamus, in quibus inuicem diſtant, quæ priùs ſe cōtingebant corpora: vt author Gal. eſt libro ſecundo ad Glauconem, & in libro de oculis, Theoremate ſexto, cap. primo, ſecundo, & tertio. Abſceſſuum ergo tria frequentiſsima genera apud authores medicos habentur: Atheromata, Statheomata & Meliceris, à ſimilitudine in his contentorum dicta: vt author eſt Gale. Method. libro decimoquarto.

Abſceſſus in vulua, eſt quando dolor intenſus ſentitur, & pulſus fiunt, & cruciatus ad genua vſque, & lumbos pertendit, febres accidunt. Sed qui occultus eſt, interiorum corporum, aut inteſtinoſi mutatio in purulentam materiam facta. Poſt Gal. lib. xiiij. Meth. quære Vigoneum, & Cauliacum proprio cap. Apoſt. Iterum Gal. lib. ij. ad Glauconem Akakia interprete.

Abſtinentia, eſt cibi, potúſque in ægrotantibus detractio, quæ duplex ex Celſo libro ſecundo, cap. xvj. ſic inquiente. Abſtinentiæ verò duo genera ſunt, alterum vbi nihil aſſumit æger: alterum, vbi non niſi quod oportet. Initia morborum primùm famem, ſitímque deſiderant: ipſi deinde morbi, moderationem: vt neque aliud quàm expedit, neque eius ipſius nimium ſumatur. Neque enim conuenit iuxta mediā protinus ſatietatem eſſe. Præterea abſtinentia qualis, ſi morbus cum leuibus indiciis timetur, & ſi cum grauioribus, ab eodem Celſo docetur libro tertio. Nam abſtinentia magis morbum leuari, quàm cibi ſatietate: & ſi nimia inutilis, tamen tempeſtiua laborantibus vtilis: ſanè vbi metus eſt morbi, abſtinentia ſola ſiue vllo periculo mederi idem affirmat Celſus eodem libro. Cætera petes in dictione, Inedia.

Abundantia πλεονεξία, duplex eſt, vna qualitatis, in qua nuda qualitas citra humorem excedit: altera eſt quantitatis, cibi ſcilicet, & humorum. Abundantia cibi πλησμονὴ eſt, quæ ſatietas quoque nominatur. Ambarum Gal. docet vacuationem lib. xj. Meth. medendi: & vno libello inſcripto de Plenitudine. Quære dict. Plethora, & Plenitudo ſuo loco repoſitas.

Acacalis ἀκακαλὶς, AEgyneta Acalidem appellauit, fruticis cuiuſdam in AEgypto fructus eſt Dioſc. pariter & AEgynetæ deſcriptione: cuius quidem dilutū claritati oculorum prodeſt. Itaque adſtrictoriæ facultatis eſſe coniicitur. Galenus, Aëtius, & Plinius hanc plantam tanquam minimè neceſſariam prætererunt: quam tamen non neglexit Dioſc. referre lib. j. cap. cj. verùm ei vnde ſortitum nomen ſcribit Ruellius.

Acacia ἀκάκια, tertij deſiccantium ordinis eſt, ſed refrigerantium ſecundi: eſt enim peracerba terroſaque, ſcribente AEgyneta. Galenus verò, & Aëtius Acaciæ plantam ipſam eſſe acerbam, tum fructum, tum etiam ſuccum affirmant. Fruticis deſcriptionem petes ex Dioſcoride libro primo, capite centeſimo decimoquinto. Eius loco ex prunellis agreſtibus coctis ſuccum expreſſum & inſolatum vſurpamus.

Acanus, acanus, ſeminalis, ſeu acanica ſpina, ὁ ἄκανος καὶ ἡ ἰξίνη ἄκανθα, καὶ ἡ ακανικὴ ἄκανθα: quæ hæc nomina omnia Calcitrapam Plinij, hoc eſt Carduum ſpinis, ſtellarum modo ordinatis aculeatum, interpretari videntur: & ſi

Geſnerus diuerſas plantas interpretatus eſt Dioſcoridis lectione libro tertio, capit. decimoſexto,& decimoſeptimo. Nam Io. Agricola ſuſpicatur Acanthium,aut Acanum,Carduum benedictum,non tamen eſſe affirmat,dum interpretatur Dioſcoridis,cap.xvj.libri iij.& Plinij cap.xv.libri xxj.

Acanthus,& eius diminutiuum Acanthiũ, ἄκανθα, καὶ ἀκάνθιον, Brancha vrſina herbariorũ eſt. Geſnerus diſcriminatim plantam vtrámque depingit: additque tertiam,quam ſylueſtem facit Dioſc. imitatione libri iij. cap. xvj. & xvij. Manardus duplicem Acanthum pro Brancha vrſina memorat lib.ix. Epiſtolarum medic. Facultates docet Gal.lib.Simpl. xj. AEgyneta Artis medendi lib.vij. Aëtius libro primo rei medices, Acanthum Pæderotam, ſiue Melamphylon eſſe refert: cuius folia mediocrem excutiendi vim habent:radix verò excalfactoria parum: ſed exciccatoria,tenuíſque ſubſtantiæ eſt.

Acautha leuce Dioſcoridis,& Galeni,videtur bedegar Serapionis:quæ differt à Spina AEgyptia,ſeu Arabica,quas nunquam vidiſſe ſe fatetur Manardus. Hũc quidem ſcrupulum vt difficilem diſcutit Syluius libro primo de medicament. ſimpli. natura. Quære dict. Spina alba,& Leucacautha.

Acauthis auicula, Carduellis noſtras eſt: nomen retinens à carduorum granis, quibus paſcitur:indeque calculo,& inteſtinorũ tormentibus vexatis bene facere vel eſa,vel torrefacta in pollinémque ſubacta ac bibita cum quopiam diluto,creditur.

Acerbum, ϛρυφνὸν, Græcis, qui quidem ſapor eſt linguam vehementer aſtringens,& veluti ligans: qualem glandes maximè præ ſe ferunt. Hunc ſaporem Arabes Ponticum vocant, nos acerbum. Acerbus ſiquidem ſapor linguæ noſtræ admotus, validè deſiccat,contrahit, & in multã profunditatem vſque exaſperat ſicut ἀχρὰς, hoc eſt, pyrum ſylueſtre immaturum. Gal. locorum affect. libro ſecundo.

Acidus ſapor,vt potè tenuitate corporis pollens, incidit, diuidit, & extenuat: obſtuctiones aufert, & expurgat.

Auſterus ſapor,in profundum etiam ſubire videtur, atque aſperum quendam inæqualémque ſenſum mouere tanquam reficcans,& humorem omnem corporum ſenſilium depaſcens. Galeni lib.quarto Meth.medendi,& iij.lib.de Temperamentis.

Amarus ſapor, calidus & ſiccus eſt: hinc eſt quod ea quæ amaro ſapore ſunt prædita, omnium minimè putreſcant. Itaque amara ſapore meatus expurgant,abſtergunt,extenuant,& incidunt craſſos humores. Salſa itidem calida & ſicca ſunt, linguam dum contingunt,neque contrahunt, neque conſtipant: imò contra planè agere apparent,nempè detergunt & abluunt.

Aërius ſapor,cum valida quadam qualitate mordicat, & erodit, cui contrarius ſapor dulcis temperatura ſuâ eſt:nam dulce omne calidum eſt,& laxat,emollit,concoquit,& rarefacit.

Acer autem ſapor,eſt igneus,calidus,tenuis:ob id calfacit,tenuat,incidit,trahit, digerit,purgat:menſes,vrinas & ſudores mouet:vrit,exedit,liquat,cruſtam facit. Horum ſaporum diuerſitas petenda eſt lib.iij. Gal.de Simpl.med.facultatibus. Sed ſaporum nomina ad odores tranſferri docet Ariſtoteles,non contra:quòd commendauit diligenter Manardus lib.viij.Epiſt.medicinalium.

Acceſsio febrilis παροξυσμὸς, eſt cuius principium, quod extremis partibus refrigerationis ſenſum præbet. Incrementum, eſt vbi frigus deſinit, corpus verò incaleſcit, non tamen exquiſito calore. Vigor, vbi æqualiter calor in totum infunditur corpus, minimáſque eius particulas obſidet. Declinatio, eſt vbi calor diminuitur. Quarum partium perſcrutandarum, Gal. author eſt lib.ij.de Differen. febr.cap. decimoſexto decimoſeptimo,& decimooctauo. Verùm in acceſsione ipſa quoſdam nutriri deberi aduertendum eſt,teſtande eodem Galen. Method. medendi libro decimo: at in acceſsionis principij more quæ notanda, aut ante acceſsionem quando perniciofiſsimum cibare,ipſo eodem Galen.perdiſcendum libro vndecimo. Methodi med. Acceſſus enim duo ſunt,vt ſcribit Gal.in commentariis libri tertij Prædicti Hippoc.temporum in morbis,vt aut acuti,aut diutini nominentur.& &c. Ob idque

in morbi

in morbi augmento acceſsiones contemplari iubet Hippocr. & ſi celeriùs fiant,an tardiùs,Gal.de Criſibus lib.j. Quare acceſsione prima,quotidianam,tertianam, quartanam,ardentem quoque,& non paucas alias febres prænouit Gal. libr.de Criſibus ij. Acceſsionis repentinæ quæ occaſio,& quæ accidentia,& quæ ad integritatem deſinẽtis acceſsionis cauſa,docetur à Gal.lib.ij.de Differen.febrium. Atque acceſsio æqualis quid,eiúſque diſcrimina habentur de Diff.febr.lib.primo.

Acetabula Κοτυλήδονες,oſcula vaſorum ad vterum venientium nuncupantur: quòd ſcilicet eminentias ad concauarum in cirrhis polyporum partium ſimilitudinem innaſcentes habeant. Praxagoras, vt retulit Gal. Aphoriſmo xlv.libri v. Aphor. Hippocratis,ſic finiuit: Acetabula ſunt ora vaſorum arteriarum,& venarum quæ ferunt ad vterum: quæ ſi plena fuerint pituita,menſtrua fiunt pauciora: quæ ſi clauſa, menſtrua deficiunt. Gal.lib.xvj.de vſu partium apertè docet Acetabula orificia eſſe venarum,quæ ad matrices perueniunt,non poſſe ipſa Embryonem portare cùm mucilaginola facta fuerint,ſed præ pondere permittere abrumpi. Idem ipſe libro primo de Semine,& in quinto libro de Hippocr.diſſectione,vuluæ acetabula, & ipſorum functiones,atque vtilitates ad conceptum gerendum,& alendum,ſcriptum reliquit: non minùs porrò fuſè in lib.de fœtus formatione, quem ocyus perleges plurimum concipiendi cauſa fructus.

Acetabulum, quod vocant oxibaphon,ſextantem complet, eſt & acetabulum, hoc eſt,cotyle,quod aliquibus appellatur,& in ſuperficie oſsis grandioris ſitum, ab ocularis ſinus ſimilitudine. Rurſus acetabulum,quod genus menſuræ eſt,ſeſquicyathum implet,& quarta heminæ pars eſt: olei drachmas habet octodecim: pondere denarios quindecim: vini ſextantem vncias duas,& ſcrupula duodecim: mellis quadrantem,& ſcrupula nouem,vel ſelibram capit.

Acetabulum,ſeu veneris vmbilicus, Κοτυληδων eſt: folio in acetabuli formā tornato,cōcauo,breui in medio cauliculo,in quo ſemen ineſt: radice oliuæ modo rotunda. Dioſcorides libro quarto,de re medica,cap.lxxviij. Gale.de Simpl.facultat.medicina,libro ſeptimo. Cotyledon, ſiue vmbilicus veneris, eſt miſtæ facultatis, parum adſtringentis,& leniter amaræ. Creditur folia cum radice manducata calculos confringere,& vrinam mouere.

Acetum,craſsis partibus,& fœcibus,ſeu fœci proportione reſpondentibus, calidum videtur,non tamen cauſticum: tenuibus partibus frigidum,idque magis,quàm calidum,aut fortè frigidum per ſe,calidum per accidens. Nam ſubſtantia modicè calidum eſt,plurima parte frigidum, & tenuium partium,ſi eſt acre admodum & vini qualitatis nihil repræſentans: vt author eſt Galenus,libro j.Simplic. Aëtius tamen libro primo de Re medica, aſſerit acetum eximiè refrigerare, & facillimè partium ſubtilitate pertranſire. At Galenus,libro vndecimo Method.medendi,refert acetum non ſolùm eſſe ſubtile partibus,ſed & ipſa repercuſsiua vi non parum affine eſt: ob id quoque vtiliter eo vtuntur in principio lationum roſaceo oleo miſcentes. Celſus mediæ materiæ eſſe acetum ſcribit,ſanguinémque ſupprimere,vlcera non tamen ſanare,verùm Aſpidis ictibus contrarium. Itaque quid acetũ, atque eius vſus in Schichis ſalutaris: tum ſimul humectare atque refrigerare ſi velis,aquæ tantum miſcendum quòd miſtas obtineat ſimul qualitates,quibuſdam ægris commodum, alijs incommodum tradit Gal.in lib.Metho.medendi xiiij.& Sanitatis tuendæ lib. quarto. Dioſcorides acetum multiplex ac varium ex ſimplicibus medicamentis conficiendũ, tum denique vſum deſcribit de materia medic.lib.v.

Acerbum ςρυφνὸν, quod intenſum auſterum eſt: at id adſtringens dicitur, quod Auſterum percipitur: quod quoque Græcis ςρύφον dici ſolet: de quibus traditum eſt à Galeno in libris de medicamentis. Porrò proditum de natura horum eſt tum in tertio de Temperamentis volumine,tum de Simpl.medic.

Acinus,ſiue Acinum genere neutro ῥᾶγερ, vinaceæ vuæ,& ſederaceæ granum eſt. Sed inter vuarum acinos,acinum pro Oleaſtro,hoc eſt, Liguſtro, ſiue olea inculta,quæ Græcis Κότινος eſt:& acinum ἄκινον pro herba,id eſt,Baſilico humili, Geſne-

rus vult appellari, Acoños Græcis dicitur, vt tranſtulit Ruellius Dioſco. caput xlj. libri. iij. De Acinis mali Punici, & vuarum vinacear. Manardus meminit in Marcellum lib. Epiſtol. medicinal. viij. Epiſtola prima.

Acylon fructus arboris Phellodryos, id eſt, Ilicis: quæ proprie Suber cognoſcitur. Vide plura in dict. Suber.

Aconitum ἀκόνιτον vulgus Thoram appellat. Longè quidem differt Aconitũ herba, ab eo mineræ genere, quod Arabibus Reagar nuncupatum eſt, quod tamen Geſnerus Aconitum putauit. Alterum præterea Aconitum, quod eſt herbæ genus, Patam Lupinam vulgò dictam, facit: cui tametſi lycoctonon λυκοκτόνον nomen eſt. Horum ſimplicium Dioſc. lib. iiij. cap. lxvj. & lib. vi. cap. vij. apertè diſcrimen faciens, facultates complectitur. Aconitum Galeno herba pardalianches eſt: alterum autem Aconitum lycoctonon facit, libr. Simpl. medicament. vj. in quo diuerſis viribus eſſe oſtendit.

Acorus, ἄκορον, neque galangà myropolarum eſt, neque calamus aromaticus Arabũ, ſed xiphyo, id eſt, gladiolo ſimilis: flore luteo lilij candidi figura, non colore, naſcens locis paluſtribus: radice oblonga pollicis craſsitudine, colore rubicundo interius euergente proſpicitur. Huius radicis vires recenſet Dioſco. lib. primo de materia medica. cap. ij. Manardus lib. Epiſtol. medicinalium vj. epiſtola iij. quoties Acoro opus eſt, vtitur non vulgari illa radice, & iniucundi odoris, ſed vocato Aromatico calamo vti conſueuit. Acorum Gal. guſtu acre eſt, & modicè amarum, odoréque non iniucundum. Itaque facultatis calidæ eſt, & tenuis conſiſtentiæ. Atque eo vtebatur Galenus, qui hodie Calamus aromaticus practicis appellatur. Aëtius Acori radicem ordinis tertij calfacientium eſſe, & ſubſtantiæ tenuem probauit: cuius ſuccus tunicæ oculorum corneæ antiqua vlcera abſtergit expurgátque.

Acontias ſerpens eſt, qui vbi multùm ſe extenderit, ſeu iaculum quoddam, corporibus inſiliens, ſic perimit, vt Gal. author eſt in libro Theriaces ad Piſonem. Sunt & Acontiæ, cometarum genus, qui iaculi modo vibrantur ocyſsimo ſignificatu: ſicut ſcriptum reliquit Plinius lib. Nat. hiſtoriæ, ij. cap. xxv.

Acylon ἄκυλος Suidæ, Ilicis arboris fœminæ fructus eſt. Plinius lib. xvj. capit. vj. Ilicis glans vtriuſque breuior, & gracilior, quam Homerus Acylon vocat: eóque nomine à glande diſtinguit: Sed maſculas Ilices fructum ferre negant. Dicitur etiam hoc nomine fructus arboris cuiuſdam, quæ mediam quandam naturam obtinet inter Suber, & Quercum: quæ ob id Phellodrys vocatur.

Accipiter ὁ ἱέραξ Græcis, Sacer ales Latinis, id eſt, magnus ratione minorũ ex præda auium. Accipiter namque Aquilam æquat: propterea falluntur qui Accipitrem Eparuerium eſſe volunt, quando vox indicat auem vulgò Sacre appellatam. Huius ſiquidem ouailioſis conferre boni authores autumant, caro autem ad quid, nondum legi. Plura leges apud Ariſtotelem de Natura animalium: & apud Aelianum, atque eius interpretem P. Gillium.

Acorna ἀκόρνα carduus eſt, cuius rupto capitulo, in quo pappuli continentur ex flore ſubluteo candicante, emittitur pro ſucco lac. Hanc plantam ab Atractilide, id eſt, fuſuſculo, carduo campeſtri, cuius eſt flauus flos, & ſuccus coloris ſanguinei ſpeciem æmulatur, differri hac cauſa palàm eſt, ex Dioſc. lib. iij. cap. lxxxix. Galenus tametſi Gnicum agreſtem Atractilidem interpretatur lib. Simpl. med. vj. & hæc planta ex ſpinarum eſt genere: facultatem quoque habet deſiccandi: & modicè digerendi: qua rarò medici poſteriores vtuntur.

Acredula ὁ ὀλολυγὼν auis canora, quæ noſtris Calendula nomen obtinuit. Ex earum genere eſt, ex quibus futura tempeſtas prædici ſolet, vt ſuſpicatus eſt Cicero lib. primo de Diuinatione ex Arato poëta. Et matutinis Acredula vocibus inſtat. Auis hæc colica vexatis auxilio eſt, ſi toſta editur.

Acuta ſpina ὀξυακανθα Berberis, cuius cortex medianus radicis Bugia pharmacopolis nuncupatur. Plantæ huius maturis iam acinis, & expreſsis cum ſacchare fit ſyrupus febribus ardentibus vexatis, gratiſsimus. Dioſcorides libro primo, capit. cv.

de hoc

de hoc frutice dictu mira refert: & quicquid in ſe complectitur vſui medicinæ eſt. Galen. lib. viij. Simpl. Pyro ſylueſtri ſimilem habere ſpeciem, & vires non diſsimiles prodidit: quin & ipſi fructus pares quidem vires, cùm prorſum atque abſolutè piri ſylueſtris fructus amarus eſt.

Accidens, eſt quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe: ſed in ſubiecto ſemper ſubſiſtere: quas accidentis partes in Olimpicum Gal. lib. primo meth. diligenter pertractat: oſtendens in ſanis corporibus accidentia quæ dicantur. Cur item accidentia non noceant actioni, ſi ea à quibus actio eſt ſuam habeãt naturam in agente & patiente, diſputat idem ipſe Gal. principio lib. ij. meth. Accidentia ſanis quidem nobis, quæ conſtitutionem (vnde actio naſcitur neceſſariò) ſequuntur, vocantur: ægrotantibus verò ſymptomata. Sed quomodò nobis accidentia locorum affectorum notitiam indicent: ab eorum quoque proprietate affectuum indicia nobis oriuntur. Affectorum locorum lib. primo, & ij. explanat Gal. Nam quod duplex eſt accidens, accidentúmque pugna, lib. de Different. Febr. primo & ij. miniſtrat Gal. Quæ ſunt inſuper cùm in hora criſis apparent accidentia: deinde ſi non fit criſis, quandoque mortem ſignificant: ſicut primo libr. de Criſibus traditur. Itaque accidentium, ſeu Symptomatum tres ſunt differentiæ, aut enim in læſionibus actuum ſunt, aut in proportionibus quæ detinentur vel vacuantur: aut diſpoſitiones exiſtunt corporum, non enim vtique quartum demùm genus in Symptomatibus ponendum quemadmodum Methodi med. lib. xij. fuſiùs à Gale. traditum eſt. Sic ſanè vt accidentia morbum ſequentia non niſi morbi ipſius ſignificationes ſunt: Locorum affectorum lib. primo exponitur. At accidentium genus in tres diffunditur differentias, in nocumentum ſcilicet functionis, & accidẽtia corporibus, & immoderationes eorum quæ excernuntur, in libro de Artis conſtitutione à Galeno declaratur: vti etiam de morborũ ſymptomatis lib. iij triplicia aſsignat Accidentia: Alia enim, qualia coporis vocantur, actioni repugnantia alia: atque alia ſubſequentia, vt quid per accidens intelligere debeamus: primo libro & quarto Symptomatum exequutum eſt eodem authore.

Acidum, vt corpus ſimplex, acedum, & quodcunque ſimile, dici poteſt: at commixtum, cum eo cum quo compoſitum eſt, facultates commixtas, & non ſimplices obtinet. Acidum præterea aliud occurrit, quale quod ab Hippocrate Aph. lib. vj. inquiente, Acidum eructantes cur non valde morbo laterali corripiuntur: quod quidem vnà cum flauis, ac ruffis fit pituitis, ex bilioſis humoribus ortum habens. Seſe quoque immiſcet ſpumeis, ex pituitoſis humoribus, ſicuti quod cum nigris fit ſputis ex melancholicis. Rectéque ob id à Celſo lib. iiij. Artium, capite ix. obſeruatum eſt, Acida maximè conuenire lienoſis, & bile atra affectis: quibus dulcor omnis contrarius eſt. Actio, eſt agentis motus quæ non impeditur niſi læſa priùs ſubſtantia: atque ipſa cum paſsione eſt in fieri, vt refert Gal. lib. iij. de Symptomatum cauſis. Itaque actio, ſeu functio, operatióve, eſt motus actiuus, qui à facultate procedit: ideóque à Grecis ἐνέργεια dicta eſt. Eſt ergo facultas actionum cauſa, proinde ac pereunte, nulla vnquam ſequetur actio: quæ in corpore humano duplex depræhenditur, vna animalis ſeu voluntaria, quæ à neruis, & muſculis procedit: & eſt ea, quam cum fit ſedare poteris vbi velis: & cum non fit, excitare: vt motio crurum, quam ſedare dum fit & rurſus excitare quieſcentem, & velociorem & tardiorem efficere poteris. Accedit ad hæc voluntaria actio triplex, prima enim ſentiendi actio eſt, & hæc quidem quintuplex, videndi nimirùm, audiendi, odorandi, guſtandi, & tangendi. Altera animalis actio mouendi, vnam duntaxat motionis ſpeciem voluntarie ſcilicet obtinens. Tertia princeps, quæ ſanè triplex imaginatio videlicet, cogitatio ſeu ratiocinatio, & memoria. Quare actionum noxæ duæ ſunt primæ differentiæ, vel enim ſunt animalium, vel naturalium. Iterum animalium actionum noxæ trifariam ſecantur, vel enim ſunt ſenſilium, vt eſt viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus amiſſus prorſus, hebes & deprauatus. Vel ſunt motricum actionum, vt eſt imaginationis, cogitationis, & memoriæ abolitæ, deficientis, vel deprauatæ. Quære dict. Naturalium Actionum.

Actionum noxæ ſunt, quæ ipſarum actionum inſtrumenta affecta eſſe aut primitiuè, aut per accidens, declarant: Galeno expoſitore libro primo locorum affect. capit. primo. Sed actionum noxæ ſymptomata ſunt alia, alia corporis noſtri affectus, alia quæ vtráque per immodicas excretiones, & retentiones ſecuntur.

Actio læſa, neque corporis conſtitutionem duntaxat prodit, ſed & partem patientem. Nulla ſiquidem actio læditur, niſi pars & inſtrumentum, quæ ipſum efficit, patiatur: id quod in naturalibus inſtrumentis accidere euidentiſsimum eſt, quæ cognatam vim actionis obtinent: quoniam naturalia quidem inſtrumenta, ab animabus differunt: ob idque actioni plura deſtinantur inſtrumenta, vt docet Galen. de Vſu partium libro duodecimo. Atque actionis vſus, partis quoque differentia, tum eius definitio, cognitióque: cuius vſus inuentionem præcedit, expenditur ab eodem Galen. vbi ſuprà, necnon libro primo. Cæterùm actionis imbecillitas præter naturam, dicitur læſio: ſed quomodo ſumenda ſit ex Galen. conſulendum Sanitatis tuendæ libro primo: quia actionis vitium membri ſe habentis præter naturam ſenſu deprækendimus. Atque actiones in pueris corporales pollent, animales in reliqua ætate: quod ſcilicet actiones ſuas neceſſarium eſt vnicuique ſecundum naturæ curſum perficiat, Gal. Meth. medi. lib. ij. & libro ſexto Sanitatis tuendæ.

Actio ſiquidem membris conſimilibus efficitur: atque in compoſitis aliquot membrorum ſimile poſitum eſt, per quod actio efficiatur: ſed certè partes ad hoc conditæ, vt membrum illud per quod actio fit, adiuuaretur: vnaquæque tamen propriam ſuam habet actionem, ij. Meth. med.

Actione item ſicut egemus, ita & compoſitione quadam neceſsitate cogimur, quòd compoſitio actionis cauſa videatur, ex Gal. Meth. ij.

Actio inſuper ſequitur corpus, atque ab eo procedit, vnde ſecundum propriam naturam actionis neceſſariò curſus in naturam eandem concurret: & contrà: vt Method. libro primo tractatur. Cæterùm actione ſana exiſtente, & ſi corpus mutetur, morbus in eo minimè vocandus: quia cura neceſſaria non eſt, niſi ei ſolùm mutationi, quæ prædictæ nocet actioni: quòd actio videlicet & corpus tota natura diſsident ex Gal. lib. primo Method. medi.

Actiones naturales Celſo Artium libro ſecundo, capit. primo, corporis quidam appellant, per quas ſpiritum trahimus, & emittimus: cibum potionémq; aſſumimus: & coquimus: itémque per quas eadem hæc in omnes membrorum parteis digeruntur. Quod videtur Celſus confirmare lib. primo ſuæ Artis, cap. eodem dicẽte, Actionum naturalium cognitionem vtilem appræhendi functionibus.

Actus, eſt qui in ſubiecto ſignificat agitationem aliquam, vel ſubſtantialem, vel accidentalem. Quippe diſsidet id quod actu & ſecundum apparentiam tale eſt, ab eo quod potentia ſeu facultate eſt. Actu enim eſt, quod iam præſens eſt: poteſtate autem, quod adhuc futurum eſt, atque vt fiat id quod dicitur, veluti habile, non tamen adhuc ſubſiſtens. Gal. de Temperam. lib. iij.

Actu calida, frigida, humida, ſicca ſenſus ſunt iudices: vt ſenſibilium obiectorum propriorum & communium, vt ratio intelligibilium: cuius ſententiæ Gal. lib. ij. Tẽperamentorum author eſt: at actu energeiavè qualiter ſumuntur, ab eodem authore lib. primo Temperamen. tractantur.

Acutus quidẽ morbus vocatur, cuius febris magna ex parte continua eſt: in qua cùm fuerit ſine magna inflammatione, nedum extrà refrigeſcere, ſed exuri cõtingit. Cùm verò inflammationis calor adeò vehemens fuerit, vt ad ſe trahat per modũ cucurbitulæ ex toto corpore ſanguinem, iis qui ita ſe habent, viſcera peruruntur, extremæ autẽ partes frigẽt propter defectũ ſanguinis ad viſcera. & ex. ex Gal. Aphoriſmorũ, li. vij. aphoriſmo primo. Sicuti autem in febribus, itidem in aliis morbis eſt agendum. Morbus enim lateralis, & qui perineumonia, & phrenitis, morbi acuti ſunt: angina autem, & cholera, & diſtentio neruorum, peracuti. & ex. ex interpretatione Gal. ſuper primo lib. Aphoriſ. Hippocr. aphoriſ. xij.

Acuti morbi ad ſuum vigorem celerrimè properantes, per tertium repetũt, quia paruo tempore magnas faciunt permutationes, hoc eſt, indicationes: aut ſexto, aut

ſeptimo

ſeptimo die exacui incipientes ad vigeſimum terminantur: quinto verò, ſeptimo, nono die iudicari poſſunt: ſexto item, ſed non benè. Quarto, aut quinto die continui vehementes, & fieri incipientes ad decimumſeptimum diem progrediuntur. Itaque morbi acuti quomodo motùs habeant inæquales, Galenus legendus eſt Hippocrat. Aphoriſmorum lib.ij. Aphoriſ.xxiiij. Criſibus lib.iij.& lib.j. Item Hippocra. in libro qui inſcribitur de Præcognitione: & lib.ij. de Diebus criticis.

Adamantis ἀδαμαντὶς, herba Armeniæ, Cappadociæque alũna, qua admota leones reſupinari ferũtur hiatu laxo. Nominis rationẽ magi tradunt hanc, quod cõteri nequeat, quemadmodum nec Adamas lapis. Pl.lib.xxiiij.cap.xvij.

Adamas ἀδαμὰρ, lapis inter omnes precij maximi, cuius in re modica nullus vſus: quoque ſua duritie, niſi hyrcorum recente & calido ſanguine, infrangibilis: quod ſanè falſum compertum eſt. Eius genera quatuor Pli. libro vltimo Natur. hiſtoriæ, cap.iiij. mirantur.

Adarces, Dioſcoridi ἀδάρκης, ſalſugo quædam gelata, paluſtribus in locis, hiſdémque humidis, proueniens: quibus exſiccatis condenſari ſolet, atque arundinibus adhærere. Tradit Plinius lib.xvj.cap.xxxvj. naſci in cortice calamorum, ſub ipſa corna ex ſpuma aquæ marinæ cum dulci commixta: ob idque à nonnullis arundinaceã lanuginem vocari. Eius vires, & in medicina vſus docet Gal.lib.xj. de Simpl. medicament. facultatibus.

Adelphydes ἀδελφύδες, palmæ ſpecies Plinio lib.xiij.cap.iiij. ſapore quàm proximè ad caryotas accedens: vnde & adelphydes, quaſi caryotarum ſorores.

Adenes, glandulæ ſunt carne rara, laxa, & ſpongioſa compoſitæ, in enũctoris corporis ſitæ: vt in inguinibus, alis, & poſt aures: partium nobilium acrem humorẽ per vim excretoriam recipiendum aptæ, tum ob ſubſtantiæ ſuæ laxitatem, tùm quod omnium partium minùs virtute naturali ſint præditæ. Ipſis quinetiam inflammatis cum febre apoſtemata, quæ bubones dicuntur, gignentes patiuntur. Sed hæc qualiter fiant Gal. ad Glauconem lib.ij.& ipſorum curandi rationem docet.

Adenes, ſiue glandulæ in inguinibus & alis tum intumeſcunt, tum phlegmone occupantur, cum defluentem ad vltimos artus ſanguinem priores excipiunt, vt & propter vlcus, quod in manus, aut pedis digito fit. Quinetiam in collo, & ſecùs aures, ſæpenumero glandulæ, iis quibus in collo, & capite, vel aliqua vicina parte vlcus eſt natum, intumeſcunt hæc Gal.lib.xiij. Meth. medendi.

Adenes quare fluxiones facilè recipiant, & quæ pro firmamento ſunt, quarum quoque eſt vſus ſchirroſę, atque harũ quinam vſus, tum curatio docetur eodem Gal. Meth. medendi lib.xiiij.& lib.ij. De differentiis febr.cap.xv.

Adeps, craſſo oleo ſimilis, cerebro humidior, quæ circa iecur cohire minimè poteſt: neque circa arterias venáſve, neque circa cor: ſed nec circa aliam præcalidam partem: cogitur autem per id quod eſt frigidum valdè: ob id humidiſsimam eſſe adipem commodè veteribus dictũ eſt, ab animalibus adipe ob eſis hyeme deliteſcẽtibus: quod in his ſit plus corpulenti adipis, quàm temperati: & hæc torpeſcere deſidioſè frigiditate naturæ: quod memoria ſcriptum reliquit Gal.lib.ij. de Temperamentis.

Adeps, non ſemper ſimul augetur pro carnis portione, ſed alij plus carnis, alij habent plus adipis: quibus autem plus adipis eſt, in his frigidi plus eſt, quàm humidi: atque ratiocinandum eſt quando carnis copia corpus magis minúſue abundat: eodem Gal.ij.lib. de Temperamentis.

Adipis à pinguedine ſpiſsitudine differri docet Gal.lib.xj. de Simpl. medicamẽt. atque ipſius electionem, lib.ij. ad Glauconem: tum quoque cũ ipſa vtimur quid proficiat, author eſt Gal.lib.xiij. Meth. medendi.

Adynamon ἀδύναμον, vini factitij genus ex muſto albo factum, aquæ parte dimidia addita, quod admotum igni decoquebatur, donec aqua iniecta euaporaretur. Dictũ eſt autem Adynamum, quòd eſſet tenuium partium: ideóque ægrotis exhibebatur, quibus vini noxam metuebant.

Adipſatheon ἀδίψαθεον, ἢ ἀσπάλαθος, frutex eſt ſurculoſus, ſpinis multis horrẽs, qui in

qui in Syria, Rhodo, atque aliis diuerſis regionibus naſcitur, & ad vnguentorum ſpiſſamenta vſus. Variis nominibus, ſecundum regionum diuerſitatem appellatur. Ruellius ſuſpicatur id eſſe, quod ab Officinis pro ligno Rhodio vſurpatur. Quære Dioſc. lib. j. cap. xix. & Plin. lib. xxiiij. cap. xiij.

Adipſa dicuntur medicamenta quæcunque ſitim vel extinguunt, vel obrepere prohibent: quemadmodum Alima, quæ fami obſiſtunt. Rei vtriuſque author eſt Plutarchus in conuiuio ſapientum.

Adipſos ἄδιψος, palmæ viridis ſpecies eſt, odore mali cotonei, nullo intus oſſe, ſimillimum myrobalano in vnguentis vſum habens. Dicitur & Phœnicobalanus vbi matutuerit. De quo vide Pli. lib. xij. cap. xxij.

Adipſos præterea radix eſt, olim in Scythia, nunc in Franconia Germaniæ naſcens: quam à dulcedine etiam Glycyrrhiſam appellant.

Adonium, ἀδώνιον, abrotani ſpecies ſuſpicatur: quam herbam quidam opinati ſunt eam eſſe, quæ ex Adonidis ſanguine fabuloſè nata eſt: vnde illi poſteà nomen Adonium inditum ſit.

Abrotani grandior ſpecies, quæ Auemoni habetur, Theophr. quidem deſcriptione, ſuſpicatur. Quære dict. Anemone.

Aër, eſt ſine quo nec morbus tolli, nec tueri ſanitas poteſt: qui & multis aliis, & hoc potiſsimùm nomine medico conſiderandus venit, quòd calor natiuus eo ad ſui conſeruationem indigeat. Nulla denique eius euitandi ratio eſt, ſed inuitis etiam nobis hauriendus, & quouis tempore præſenti cæli ſtatu vtendum. Optimum aërem cenſeo, inquit Gal. Sanitat. tuendæ lib. primo, qui prorſus ſit purus, qui optimus in pulmones trahitur, omnibus iuxtà ſalubre eſt. Eiuſmodi verò fuerit, qui nec ſtagni vel paludis hablitu ſit infectus, nec ex profundo ſpecu peſtilentem auram ſpiret, qualiter in cloacis vrbium multarum viſitur. Itaque aëris delectus, vſus quoque deligendus eſt, qualis à Galeno lib. primo Sanit. tuendæ commendatur.

Aëris temperamentum nobis eſt veluti medicamentum ad vlcera ſananda: nam qui immoderatè calidus, & humidus, contrarius eſt: Meth. medendi libro tertio, & de Differen. febr. primo, cap. vj. quia aër impurus omni ætati noxius: purus nulli non ætati vtilis: ſic optimè temperatus optimo temperamento præditis corporibus ſaluberrimus: vt frigidus calidæ qualitati: calidus frigidæ, humidiori ſiccus ſit vtilis. Quare aër nobis circunfuſus qualem habuerit temperiem, ita etiã & nos afficiet: vt eſt Galenus author lib. de Criſibus ij. verùm in libr. de Reſpiratione ſcribit Galenus aërem elementum non eſſe. Eſt enim aër, inquit, corpus diſsimilium partiũ habens caliditatis & frigiditatis in ſeipſo portiunculas: vnde nec elementum aër eſt.

Aëris nos ambientis temperies, vel intemperies, propterea quòd noſtrum, ſicut & pharmacum oblatum, afficit, inquirenda eſt: proinde cùm calor ſeu frigiditas ei dominatur, ſanitatẽ vulnerum internorum & externorũ prohibet: ob idque oportet id pharmacum conſtitui quod facultate aëri repugnet: quod diligenter quidem animaduerſum ab Hippocrate, qui frigida temporibus calidis, & frigidis calida tempora temperabat.

Aëris, cæterorúmque elementorũ additur & hoc diſcrimen, cùm diſsimiles ſint in diuerſis qualitates, hoc modo tamen diſcernuntur: in igne excellit calor, in aëre humiditas, in terra ſiccitas, in aqua frigiditas. Sed aqua ſenſibilis humectat, quia eſt dẽſior aëre: ignis magis deſiccat, & aëre calidior, quia ibi calor coniunctus eſt, cuius vis eſt valdè efficax, vel in congregandis homogeneis, vel in diſsipandis, & reſoluendis heterogeneis: ſit igitur in his facilior deſiccatio.

Aëromeli, id mel aërium Galeni eſt, Manna Arabum, liquidã & granuloſa: quanquam Perſicam manuam laudat Actuarius. Cuius hæc ſubalba ſit, & recens, ex plantis odoratis collecta, Laricea hodie probatur. Vide plura in dict. Manna.

Adiantum, ſiue capillaris herba, vt Gazæ placet, ἀδίαντος Græcis nomen eſt, vulgò Polytricon. Triplex Dioſcoridi eſſe videtur: primum polytricon, Theophraſto Adiantum album, Gazæ capillum veneris verſum. Alterum nigrum,

Trich

Trichomanes nomine: vulgus polytricum ei nomen aſsignat. Tertium foliis filiculæ, vulgò Adiantum. Quartum etiam his hoc ſeculo additur, Saluia vita appellatione vulgi dictum. Arquatis ſiue hictericis, hydropicis, & renum doloribus affectis: atque hepatis, lieníſque obſtructioni quia medentur, tibi hîc cum cæteris ſimplicibus plantarum medicamentis, tradidimus: tu tamen facultates, petes ex Dioſc. lib. iiij. cap. cxx. & ex Galeno. lib. Simpl. vj.

Adſtites glandulosi παραςάται ἀδηνώδεις, in collis radice ſunt, in hoc à natura creati vt veſicæ ceruicem ac vrinariam fiſtulam humectent, ne reſiccata mobilis ægrè reddatur. Nerui ex quibus genitales partes dependent κρεμαςῆρες, quaſi penſiles nominantur. Teſtem vtrunque operiunt duæ membranæ, quarum interior tenuis eſt, neruoſa, & exanguis, necnon alba, Græcis ἐρυθροειδὴς eſt, non ſanè quòd rubicunda ſit, ſed quòd velaminis ſeu putaminis formam habeat. Supra iam dictam membranam validior eſt, internè ima eius parte vehementer inhærens, δάρτον Græcis eſt, latinis didimi. Hæc pudenda ſunt, quæ ex oſsibus pubis atque ſuperis earum partibus prodeunt, ligamentis & tendinibus affirmata.

Adeps ſeu pinguedo omnis calfacit, humectat magis vel minùs pro varia animalium natura. Leoninus adeps calidiſsimus, ſicciſsimus, minimúmque humidus: pardinus ei proximus: dein vrſinus, atque hunc ſequitur taurinus: ſuillus autem propè omnium humidiſs. atque humano vicinus: Hyrcinus craſsior taurino, ſed inter taurinum & ſuillum fuerint vulpinus, caninus, melinus, felinus, lepuſculinus, camelinus, equinus, vaccinus, vitulinus: omnium maximè terreſtris aſininus: anſerinus tennium eſt partium in volucrum genere: gallinaceus illi proximus: humanus temperatiſs. omnium. Adeps cerui omnibus eſt inferior, vt eſt author Gal. lib. primo Pharmacorum ſecundum genera.

Ademum affectiones eſſe bubones, phymata, & phygethla, ſcribit Galenus eo inter ſe differentes, quòd bubo phlegmone abſolutè eſt: phyma ſtatim ab initio augeſcens ſtatim ad ſuppurationes tendit: phlygethlon verò eſt vel phlegmone eryſipelatodes, vel eryſipelas phlegmonodes.

AEmodia, eſt ex dentium ſtupore dolor grauiſsimus: dentitio quidem ſimplex in dentibus ex fructuum immaturorum eſu ſtupor eſt.

AEquinoctium, eſt cùm ſol in primo libræ gradu exiſtit, quo tempore ex æſtate antecedit occaſum: quod ex Galeni doctrina ſic intelligatur, Vergiliæ ſeptem ſtellæ ſunt in Tauri dorſo poſitæ, quæ medio vere cùm ſole oriuntur, Pleiades Græcis dictæ: quæque medio autumno, cùm ſol eſt in Scorpio, occidunt: hoc eſt, ab æquinoctio autumnali diebus ferè quinquaginta: eſt enim Scorpius Tauro, in quo ipſæ ſunt, ex aduerſo locatus. Cùm igitur Sol cum Scorpio oritur, oppoſitus Taurus occidit cum Pleiadibus. AEquinoctium verò, quod antecedit hunc occaſum, & cùm Sol in primo libræ gradu exiſtit.

AEqualitas temperaturæ, eſt in omnibus temperatis animalibus, ſtirpibúſque, non ea quæ ex pari elementorum commixtorum ſpectatur mole, ſed quæ tum animalis, tum ſtirpis naturæ conuenit: vt Galenus eſt author de Temperamẽtis libro primo.

AEqualis intemperies aliàs prouenit ex nudis qualitatibus, ipſis corporibus, aut calidioribus, aut frigidioribus, aut ſiccioribus, aut humidioribus redditis, aut etiam ex horum coniugatione affectis. Atque æqualis quidem intemperies omnino ſine dolore eſt: veluti indicāt & hæcticæ febres, & multi frigidi affectus, vbi æqualiter particulas occuparunt. Quære plura apud Gal. lib. ij. de Symptomatum cauſis.

AEs vſtum, quia in calcem colore cinnabarim æmulam, redactum artificio, appellatum eſt: aſtringit, reprimit, acre eſt, ob id tenuat, trahit, vlcera purgat, ſiccat, & carni duræ cicatricem inducit: in molli autem vlcere lauandum eſt, Dioſco. lib. v. cap. xlij. & xliij.

AEris ſquama vi & ictibus ex clauis & panibus æreis excuſſa fit: aſtringit, reprimit, tenuat, mordet, rodit, detrahit, & liquat. Probatur maximè quæ æruginoſa eſt ex

eſt ex Dioſc.lib.v.cap.xliiij.

AEris flos fit,cùm æs in fornace fuſum in receptacula delabitur per canales, miniſtris aquam clariſsimam vt refrigeretur affundentibus: quando flos ſubitò exilit, milij effigie breuis,grauis,ſplendens,cùm teritur rufus,friabiliſque eſt.

AErugo,eſt æris velut rubigo in æreis vaſis, laminis,ſquamis,ſcrobibus,lapidibus concreta decem diebus aceti acerrimi vapore, aut areſcentium vinaceorum contactu poſt decuſſa vel raſa Verderum officinis nomen eſt.

AEgritudo,eſt corporis totius,vel partis alicuius habitus morboſus, ſeu ad morbum aptus diſpoſitúſve. Sed morborum quidam ſunt continui, aliqui deficientes, nonnulli longiores,alij acuti,quidam verò peracuti:definentes,vt febris quotidiana, tertiana,quartana. & quintana cũ ſextana:cõtinui,vt ſemitertiana ſeu τυφώδης, hoc eſt,ardens:acuti,vt phrenitis,lethargus, pleuritis,peripneumonia:longi,vt comitialis morbus,articularis,nephritis:peracuti,vt ſynanche,cynauche,apoplexia.

AEgritudo quippe aliud nihil eſt,quàm diſpoſitio,ex qua operationes oblædun-tur. Ipſa enim operationum læſio ſymptoma dicitur,quod ita à morbo,ſicut morbus à cauſa pendet. Quæ quidem eſt duplex, præincipiens ſcilicet, quæ extrinſecùs occurrit:& corporea,quæ intrinſecùs. Manardus lib.iiij.Epiſt.quinta.

AEgrotatio,eſt cum infirmitate & lanuore morbus inueteratus, permanens in corporibus quæ vità participant:atqui ægrum eſſe,animo dicitur:ægrotare verò corpore.Itaque ægrotorum curandorum natura conſideranda priùs eſt,quàm curationẽ tentauerimus,ex Gal.lib.iij.Terapeutices. Nam ægris inſanabilibus, nec tempus vllum oportunum, nec præſidinm eſt: tametſi ægrotantis temperies & morbus, contrarietatis menſuram definiunt.Methodi meden. lib.xj. Galenus author eſt. Porrò victus ratio in ægrotante vnde ſumenda perquirere diligenter docet ipſe Galen. lib. primo Sanit. tuendæ.

AEgrotare itaque animal vel totum,vel in parte neceſſe omnino eſt. propter eius temperiei vitium aut prorſus corrumpi functionem,aut impediri. Facultatum naturalium lib.ij. Gal.

AEmorrhoides αἱμοῤῥοΐδες,venarũ ſunt in ſede explicationes,dilatationéſue,à ſanguinis fluxu ſic appellatæ.Harum aliæ ſunt cæcæ, quæ intumeſcunt, & parum ſanguinis aut nihil emittunt:aliæ apertæ, quæ certis quibuſdam temporibus pandun-tur,& ſanguinem excernunt.

AEmorrhoides licet res præter naturam eſſe,vel nomine ipſo videantur, non minùs tamen quandoque vtiles ſunt, quàm ſanguis, qui quod ſingulo menſe exire à muliebribus locis debet,menſtruus vocatur. Scribit enim Hippocr. his qui atrabile vel renum vitio vexantur,æmorrhoides ſuperuenientes bono eſſe:& cõſuetis eas pati,niſi vnica ſeruetur,periculum eſſe aut tabis,aut intercutis.Celſus libr. vj. Artium, capi. de æmorrhoidibus,poſt vitij definitionem,curationem docet:cuius quoque rei meminit & Gal. Locorum affectorum,lib.ij.cap.primo:necnon Meth. medend. lib. vij.& ad Glauco.lib.primo.

AEtates quatuor ſunt,pueritia,pubertas,iuuentus,& ſenectus. Pueritia quidem, quæ ſtatim ab eo tempore quo vterum matris infans egreditur,incipit, & ad quintũ decimum ætatis annum durat:calida & humida eſt. Pubertas, quæ ἥβη Græcis dicitur,initium capit poſt decimumquartum annum, & ad vigeſimumquintum extenditur.Sub ſe enim complectitur adoleſcentia, quæ à decimooctauo anno incipiens, ad vigeſimumquintum durat: atque hæc in temperamento conſiſtit.Iuuentus, quæ alio nomine florens ætas,conſiſtendi tempus,& virilis ætas dicitur: ab anno vigeſimoquinto,ad trigeſimumquintum extẽditur,calida & ſicca exiſtens vocatur autẽ à Græcis νεανίσκων καὶ ἡλικία. Quarta ætas,ſenectus dicitur:quæ duplex eſt,vna prior, quæ ab anno trigeſimoquinto incipit,& ad quadrageſimũnonũ definit. Altera ſenectutis pars,à quadrageſimonono,ad finem vitæ extenditur: quæ in treis protrahitur gradus:primus eorum qui viridi adhuc ſenecta præditi ſunt:alter eorum,qui res obire ſuas propter virium imbecillitatem minimè poſſunt:tertius ſenectutis gradus, eſt

in

in qua extrema exiſtit virium imbecillitas. Senes autẽ frigidi & ſicci ſunt. De quibus quidẽ ætatibus petẽdus eſt Hippo.li.j.de Ratione victus acutorum,& Gal.li. v. Sanitatis tuendæ,& Temperamentorum li.ij.necnon lib.ij & iij.Aphoriſmorum Hippo. in interpretationibus:vbi ætates ad tempora,& loca,& victus genera quomodo bene,vel malè ſe habent.

AEſtas,nulla collatione facta ſibi cum vicinis anni partibus,calida & ſicca eſt: cùm in ea humor vincitur à ſicco,& frigidum à calido,ipſa quoque dicitur calida & ſicca. Siquidem,inquit Gal.lib.Temperament.primo,æquum cenſeo, quatuor anni temporum quodlibet ex ſuapte æſtimatum natura,non ex alterius comparatione,calidum frigidum,humidum ſiccúmvè nominari debere. Namque quatuor anni partium natura per ſe æſtimanda,à vincentibus in ipſis qualitatibus: non ex collatione & alia cæterorum parte. Sed æſtas & ver quãdo ſunt ſimilia,ſudores in febribus multos expectare oportet:ſi ſicca & aquilonia æſtas, autumnus pluuioſus & auſtralis, quos morbos ad hyemem gignunt:& quos æſtate fieri neceſſe eſt,ex Hippocrate Aphoriſ.lib.iij.& Prædict.lib.primo declarat Galenus.

AEtas enim quæuis habet ſuos morbos,ex quibus humores eoſdem procreantes facilè depræhenduntur:vt ſubinde qualia medicamenta purgantia ſint exhibẽda, promptè coniicere oportet.Itaque circa ventris deiectionem expendenda eſt, & ad hæc morbi ſpeciem inſpicere,quòd ex ea humoris noxij cognitio haberi queat: veluti quòd tertiana,ſi ita contigerit,fit à flaua bile modum excedente:quartana ab atra: quotidiana,à pituita:cancer ab atrabile:atque ſingulæ aliæ morborum ſpecies, eodẽ modo.

Affectus præter naturam,ſunt cauſa,morbus,& ſymptoma:cauſa,eſt quæ morbum præcedit:morbus,à quo primùm vitiatur actio:ſymptoma autem morbum ſequitur:atque hi tres affectus ex diametro naturæ noſtræ aduerſantur.Res præter naturam,& affectus præter naturam, exprimitur à Galen.Methodi medendi libro ſecundo.

Affectus corporis omnis,qui à naturali receſsit ſtatu:vel morbus eſt, vel morbi cauſa, vel morbi ſymptoma,quod Græcis ἐπιγένημα nominari in vſu eſt, vt refert Gal.libro de ſymptomatum differen.

Affectus,eſt qui in ſubiecto corpore & permanet,& reſeruatur:hoc namque modo morbus & cauſa,& ea duntaxat ſymptomata,quæ affectus ſunt noſtri corporis,vt vitioſus color,affectus dicuntur:eadem tamen ſymptomata,pathe vocantur,vt vult Gal.lib.primo de Locis affect.& de Symptomatum differen.Sed & affectus corporis præter naturam vel morbus eſt,vel cauſa,vel ſymptoma:& numero quidpiam ſanorum,ægrorum,& neutrorum. Quinetiam affectus corporis noſtri ſunt quadruplices,viſiles nimirum,vt ſunt colores præter naturam: totum corpus, partem vnam, vel plures occupantes: vt olfactiles affectus, &c. Quære quod reſtat dicendum in dictione Olfactiles affectus.

AEditis ineſt appetitus octuplex,vt appetentia, cibi confectio, digeſtio, in ſanguine alteratio,ſuperfluorum excretio,nutritio,auctio:nam appetentia in naturalẽ & animalem diſtributa eſt: quarum operationum omnium quære ſeriem indiciariã in Exercitamentis.

Agallothum ξύλαλοέ, vulgò lignum aloës, quod ex India, & Arabia ad nos defertur: maculatum odoratum, guſtu aſtringens, & ſubamarum, cute aliquantulum verſicolore. Aliqui triplicem arborem eſſe ſuſpicantur, inter ſe viribus multùm diſcrepantem : ſed quod hodie venit agallochon veriùs aſpalathum eſt, facultate auſterum cum acredine, quàm agallochon. Quibus pollet viribus, ex Dioſcoride ſcies libro primo,capi.vigeſimoprimo,ex AEgyneta libro ſeptimo, capit. iij. Sed ſuppoſititium agallochon deſcribitur à Syluio libro primo, de Medicamentor. ſimpl.natura.

Agnus caſtus iunctis ambobus,cùm ἁγνὸς caſtus ſonet,vulgò appellatur:vitex, ex amerina ſalix nomen quoque habet, quod ad caſtitatem conferat, foliis &

floribus ſumptis & ſubſtratis,& frixo ſemine,vel non frixo:id enim ſumptum,vt rutæ ſemen,nocturnas veneris imaginationes cohibet:vt eſt Gal.author lib.vj.Sanitatis tuen.& lib.vj.Simpl.Dioſc. lib.primo,cap.cxvj.

Agaricus ἀγαρικον,ab Agaria regione ſumpſiſſe nomen videtur, eſt fungus ſine radice in Ilicum, & Laricum arborum radicibus qui erumpitur, maximè in Ebreduntiorum Allobrogum regionibus:eſtque duum generum,mas in Ilice putreſcente ad radices,ſed fœmina in Laricis radicibus carie intactis albicans depræhenſa colligitur.Quibus ſit viribus agaricus docet Dioſc.lib.iij.cap.j.Gal.lib.vj.Simpl.Aëtius de re medica.lib.j.

Agaſyllis ἀγρασυλλίς, arbuſcula eſt ſeu frutex,vnde geminũ Ammoniacũ genus habetur.Hammoniacum Dioſcoridi frutex è quo ſuccus eiuſdem nominis capitur. Sunt qui ammoniacum thymiama vocare malint.Latini guttam appellant, frutex cum radice ſua totus Agaſyllis nominatur.Succus & hic ferulæ in Cyrenaica naſcentis.Quære dict.ammoniacum.

Ageratum ἀγηρατον,planta eſt ad duorum palmorum altitudinem excreſcens, ſimilis Origano,florem ferens bulbis aureis non abſimilem ita dicta,quòd non facilè marceſcat.Pli.lib.xxvij.cap.iiij.

Albugo oculi νεφέλια,hoc eſt,nebula tenuis:λευκώματα,hoc eſt craſſæ in oculis ex cicatricibus albugines,ſiue nebulæ appellantur.Manardus libro ſeptimo Epiſtolarum,ſecunda epiſt.ſic refert:Communis etiam vtrique membranæ eſt albugo ab Auicenna vocata,cuius duas facit ſpecies,tenuem,quam dicit vocari nebulam: craſſam,quam albuginem.Quam diſtinctionem ſumpſiſſe ab AEgyneta videtur, ſic loquente.Cicatricum oculi alia tenuis,in ſuperficie apparens, quæ generale cicatricis nomen ſeruat,& à quibuſdam dicitur nebula : alia profunda, quæ λεύκωμα nuncupatur.Latini cicatrices & albuginem, plerunque tamen Græca ipſa voce λεύκωμα Gal.de Oculis Theoremate,ſiue cap.iiij.

Alga φῦκος, & σόςης algæ ſpecies,vt ex Theophraſto vertit Gaza : propè maris littora legitur,necnon in Arari flumine, in quo copioſa depræhenditur : quã natantes æſtus feruore homines tibiis lacertíſque inuolutis demerguntur.

Alica χονδρος, far:aliquibus frumentum barbarum interpretatur: re mera frumenti puriſsimi cremor eſt,ex lacte amigdalino,vel caprino confectus. Nam alica ex Galeno lib.x.Meth.medendi,cum mali punici granis,optimus cibus ſtomacho bilioſo eſt:cuius compoſitio multiplex eodem Gal.deſcribitur vbi ſuprà : & libro de Alimentis primo.

Alibium ἀλίβιον,oruala herba odorata, ſiue Ornitogallon,aut Orminum pleriſque ſuſpicatur:hæc ruſticis Tota bona appellatur Io.Agricola ex Leoniceno libro de morbo Hiſpanico,herbam ſtellariam,& bubonium,hoc eſt,inguinalem eſſe cõtẽdit. Eſt & Alga Galeno libro ſexto.Simpl.Bryon thalattion appellata, compoſita ex terrea & aquea eſſentia,vtraque frigida.Siquidem & guſtu adſtringens eſt,refrigeráſq;.

Aliud quoque Bryon ex eodem Gal.occurrit,quod Splanchnon nominat:Latini Muſcum,atque in quercubus,piceis,& populis albis inueniri traditur:cuius vis adſtrictoria eſt Huius etiam meminit Dioſc.lib.iiij.de Materia medica,cap. lxxxiiij. & alterius lib.primo,cap.xx.ad quem recurres.AEgyneta Simpl.libro vij. meminit vtriúſque differenter.

Alimentum,eſt quod ſubſtantiam augere poteſt:vt medicamentum omne id dicimus,quod naturam alterare poteſt Galeno authore libr.primo Simpl. Alimenta autem ſumuntur ex plantis,ex plantarum partibus,ex animalibus,& animaliũ partibus:vt herbis & foliis,cum reliqua planta:ſeminibus,fructibus,floribus, radicibus, pedeſtribus, volatilibus, aquatilibus: quorum & eorum partes compræhenduntur:rationéſque, quibus alimentorum temperaturæ inueſtigantur. Alimenta ſiquidem & medicamina in hoc conuenire, quòd vtraque in nos agunt & à nobis patiantur : in hoc differre, quòd medicamina agunt quidem potiùs, quàm patiantur: alimen

alimenta è contra;magis patiantur quàm agant. Sed ſubiiciendum alimenta tandiu medicamenti rationem ſubire,quandiu in ſanguinem mutantur:vbi verò perfectè in ſanguinem verſa ſunt,ſiue calida ſiue frigida fuerint,ab eis ſemper calorem augeri. Dein alimenta etiam vbi mutata à nutriente vi ſunt, poſſe reddere corpus multò quàm eſſet antea frigidius,ſi videlicet plus frigidorum humorum,pituitæ ſcilicet & nigri humoris,quàm boni ſanguinis & bilis generent. Colligitur ergo qua via inueſtiganda ſit cuiuſque alimenti temperatura,ex Manardo lib. Epiſt. xiij. Epiſtola iiij. ex Gal. librorum de Alimentis,& Temperamentorum lib. iij.

Alimentorum ſuperfluitas,& cauſæ externæ detrimēta corpori humano quæ adferant:quòd alimenta ſint qualitate, & quantitate,docet Gal. in eo libro cui titulus eſt, De optima corporis noſtri conſtitutione. Nam alimenti tempus iudicatur acceſſionis & intermiſsionis tempore,vt lib. ij. de Differentiis febr. affirmat Gal. quâquam alimentum Valentius exhibendum veſperi cenſet Meth. medendi li. vij. Atque ægrū alere in vigore quando expedit,coniectari ſiquidem oportet, Aphor. ix. libri primi ex Hippocr. docet Galenus. Præterea alimentum aliud eſt quod nutrit,aliud quod quaſi nutriens,aliud quod nutritum eſt,ex Hippocr. in libello de Nutritione Galenus verſus finem libri primi Sanit. tuendæ eſt explanator.

Alypum ἄλυπον, ex AEgyneta alypia. Actuarius alypiam turpetum albeſcens interpretari auſus eſt. Ex Thitimatorum generibus eſſe aſsignat Dioſcorides,vt plerique ſuſpicantur quòd alypon herba ſucculoſa eſt,ſubrubra,gracilibus ramulis, tenuibus foliis:flore molli, leui & copioſo,radice betæ tenui, referta acri ſucco ſemine epithymi ad quæ Turpetum noſtrum referri videtur: vulgaribus medicis Turbith appellatum. Sed iam quid per Turbith intelligamus difficile eſt diuinare:neque enim cum Serapione conuenit Tripolium intelligente,nec cum Dioſcoride radicem Pityuſæ ſic vocante:folio hæc enim pini,illud iſatidis conſtat non ferulæ. Quære dict. Turpetum AEgyneta libro ſeptimo de Simplic. Alipi facultates aſsignat quales Dioſcor.

Aliſma ἄλισμα. Damaſonium, ſiue fiſtula paſtoria, & plantago aquatica videtur:cui Dioſc. deſcriptio non ineptè reſpondet,his verbis: Aliſma, folia ei plantaginis,niſi anguſtiora eſſent,laciniosa,conuexáque in terram, caule ſimpliciter tenui, cubito altiore:capitibus thyrſi:flore tenui, candido, palleſcente: & quæ cum his ex ipſo Dioſco. ſequuntur,docent Aliſma plantaginem aquaticam,quemadmodum leges in dictione Damaſonium.

Alyſſum ἄλυσσον herba pentecoſtes officinis, quanquam ſunt & nonnulli herbarij,qui eam eſſe ſuſpicantur,quam vulgus Cruciatam hodie vocat. Huius meminit & Syluius, in cuius deſcriptione an ſeipſum fefellerit, ipſe viderit. Quibuſdam Alyſſon putatur Canabis agreſtis:aliis Rubia minor,quam & nos Cruciatam fatemur. Dioſc. lib. iij. cap. lxxxvij, ſic inquit, Alyſſum fruticoſa herba eſt, vnicaulis, ſub aſpera,rotundis foliis,fructu duplicium ſcutorum effigie,in quo eſt ſemē, quadam tenùs latum. Quæ herba tota mirificè,vt ex Dioſcor. confirmat Galenus, morſos à cane rabido curat:ob idque accepit nomen Præſtigiis, & incantamentis aduerſari proditum eſt.

Alphus ἄλφος, methodicis morphæa, quæ alioqui Vitiligo intelligitur. Manardus libro Epiſtola ſeptimo, Epiſtola ſecunda,ſic ait: Eſt autem Vitiligo, ſi genere quodam comprahendatur, fœdus cutis color, ex malo particulæ habitu proueniens, nutrimentum benè aſsimilare non potentis:ciúſque alia ſolam cutem inficit, alia altiùs deſcendit, vt adeò carnem contingat, ac pilos coloret, vtraque etiam albo vel nigro præcipuè colore cōmaculet. Primam,id eſt,eam,quæ ſublimior cùm ſit,ſolam attingit cutem,ſiue alba,ſiue nigra ſit. Græci eadem voce ἄλφον vocant:vulgares Morphæam. Celſus vim vocis ſecutus,albam,leucam alphon:nigram melam nominauit.

Altera,Græcis,& Celſo Leucæ:vulgaribus Albaras dicitur: quam quidam Lepram vocant. Gal. lib. xiiij. Meth. medendi.

Allium σκόροδον,& alliũ Vlpicũ ἀφροσκόροδον:cuius nuclei vel ſpicæ γελγιθες, hoc eſt,gelgidia grana,dicuntur. Eſt & quoddam ſatiuum allium ſingulari capite conſtans,dulce,in purpureum vergens:aliud eſt ſylueſtre,ὀφιοσκόροδον, id eſt,anguinum. Horum vis acris eſt,excalfacit,mordet, excernit, aluũ turbat,inflationes facit, ſtomachum exiccat,ſitim gignit,flatum permouet, cutem exulcerat, & oculorum aciem eſu hebetat. Cætera ex Dioſc. libro ſecundo,cap.cxix.cognoſces. Allium quarti ordinis eſt deſiccantium,& excalfatientium:at agreſte domeſtico valentius, vt Galenus ſcribit lib.vij.Simpl. Allium,quibus commodum,& theriace quibus colicis doloribus,maximè quoque flatum diſcutiens,atque theriacę agreſtium quare appellatur:eſu præterea ſitim minimè inferens,contra Dioſc. Meth.medendi,Galenus libro duodecimo.

Allijs veſci Thracas,Gallosvé,vel denique qui frigidam incolunt regionem, ſi quis vetuerit,non leuiter his hominibus nocuerit:& allium eſſe & theriacem bibere, his quos inteſtinorũ dolor vehemens citra febrem exercet commodiſsimũ & cōtrà Eodem lib. Meth. Galenus.

Aloë,ſuccus eſt herbæ nominis eiuſdem:qui optimus,pinguis,ſine arenis,rufi coloris,friabilis,iecinoris modo coactus,facilè liqueſcens,odoratus & amariſsimus. Aloë optima Seplaſiariis ſuccotrina vocatur:adulterina autem,caballina quòd veterinariis,hoc eſt mulomedicis, ſit dicata medicamentis. Lota ventriculum magis corroborat,ſed minùs purgat:non lota è contra operatur. Aloëm aperire venas, & ſanguinem ciere,cùm Dioſcorides, Galenus,ratio,& experientia conteſtentur,quòd ſanguinem vndequaque fluentem ſiſtat: etiam ſi per ſcreatum emittatur: quare ſi aliquando ſedis venas aperire videtur,ex accidenti hoc fit,quoniam excrementa acriora agentia ad ea loca mouet,quæ venas recludunt:ſicuti ab aliis fieri quoque medicinis ſcribit Gal.aphoriſ.xlvij libro ſexto. Celſus Artium,libro ſecundo, capit. duodecimo,docet aloëm miſcendam omnibus catharticis medicamentis,quia ſi vehementiùs fluit aluus,aut ſæpiùs ducitur, hominem infirmat. Ergo nunquàm in aduerſa valetudine,medicamentum eius rei cauſa rectè datur, niſi vbi is morbus ſine febre eſt. Duo herbæ aloës ſucci genera depræhenduntur, Dioſcoride teſte libro tertio,cap. xxij.quorum alterum arenoſum,cuius ſedimentum puriſsimum eſſe videtur: ſecundum,ad iocineris imaginem vergit. Galenus autem libro ſexto Simpl. non ſimplicis naturæ eſſe aloem, vt indicio eſt guſtus, ſed adſtringentis ſimul & amaræ, tertiíque ordinis eſt exiccantium, calfacientium autem aut primi intenſi, aut ſecundi remiſsi AEgyneta,& Aëtius ſimiles de aloë produnt qualitates. Oribaſius aloëm primo gradu calefacere,neque catharticum mendicamentum aſſe ait in libro Compendij medicinæ. Aloës confectio,quam picram vocant, pupillæ tenebroſæ auxilio eſt,vt aperit Gal.lib.locorum affectorum iij.cap.primo:bilioſi quoque humoris trahendi vires habet,vt lib.vj.de Sanit.tuenda tradit:& ab eo excogitatam hyeram picram,vt acrimonia,caloréque eorum quæ in ſe habet,craſſos & lentos ſuccos diſſecet & detergat.

Alopecia ἀλωπεκία,paſsio eſt, vbi in capite areas deciduus capillus efficit: ſic autem nominata,quòd vulpibus frequenter accidat,quoniam huic animali non rarò pilus corrũpi ſolet. Ἀλωπεκία & ὀφίασις areæ genera ſunt Celſo:vox vtraque græca eſt prima à vulpe nomen habet,quæ frequenter eo morbo,vt ſcribit Galenus, infeſtatur. Secunda,à ſerpentis ſimilitudine,cui pars læſa ſimilis exiſtit, Teſte AEgyneta,qui addit eam incipere ab occipitio,nec duorum digitorum latitudinem excedere, & ad aures duobus capitibus ſerpere: commune vtrique eſſe dicens,quòd emortua ſumma pellicula pili primùm extenuantur,deinde excidunt. Sunt enim ambo capillorum defluuia à vitioſis humoribus contingentia: hócque differunt à Caluitio Latinis vocato, Græcis dicto φαλάκρωσις,in quo ex indigentia humoris, non ex malignitate capitis pili decidunt. Quid ſit ἀλώπηξις· Galenus primo Metho. docet: & ex ipſa amiſsio particulæ quàm vtilis,in quo genere morbi conſiſtit, Metho. med. libro decimoquarto.

Alope

Alopecurus,ἀλωπηκοῦρος,panicũ agreſte eſt, non frumentum caudatum : Latinis,cauda vulpina. Scholiaſtes herbã ſimilem tritico,hoc eſt,frumento noſtro facit: niſi quòd hirſutior eſt,& folium ei pariter latius,vt caudam vulpinam repræſentet: quoniam ſpicam habet mollem & lanuginem denſam,non diſsimilem vulpiũ caudis.Non meminit Dioſc.ſed ex Theophraſto Plinius.Natur.hiſtoriæ li.xxj.cap.xvij.

Alphitum ἄλφιθον. Latinis polenta eſt, coniectore Io. Agricola, & Manardo Epiſt.lib.vj.Epiſtola v.Eſt autem alphithon farina hordeacea fricta, vt medicis placet non imperitis,ἀλφιτιδὸν verò eſt, quod in multas,& eas quidem partes fit tenues: χαρυνδον quoque dicitur.

Alteratio,eſt alterius in alteram qualiatem mutatio: cuius contrarium, mediũ, habitus,priuatio.Circa omnem qualitatis ſpeciẽ fit alteratio,ex Ariſt.cap.quarto,libri primi de Generatione. Gal.verò libr. primo facult.natural.Commune autem, inquit,omnibus his nomen alteratio eſt,vnum id quoque motus genus. Alterum genus in corporibus iis eſt,quæ ſitum mutant,atque ex alio loco in alium cedere dicũtur.Et de facult.item libr.iij. Nec minùs illa, concoctionem alterationem quandam eſſe,ac nutriendis in propriam qualitatem eius quod nutritur mutationem : ſanguificationem verò,alterationem eſſe:his ampliùs, nutritionem, & auctionem, ex eo quod corpus in omnem extendatur,nutriátque,fieri.

Alterationem verò ipſam à calido potiſsimùm perfici:atque idcirco tum nutritionem,tum concoctionem,tum omnem ſucci generationem:iam verò & in excrementis ipſis qualitates à calore innato prouenire.

Alteratrix facultas,ab actione nimirùm ipſa generatim ſic dicta, particulatim verò aſsimilatrix:nutritoriáque,eſt quæ id quod attractum,& aliquandiu retentum eſt,alterat,immutat,concoquit,ac parti quæ alitur,apponit, & aſsimilat. Alterationem etiam ex contrariis fieri, atque ipſius particularum latitudinem tum alterari promptè quæ videantur Temperamentorum lib.iij.Gal.explanator eſt.Item alterationis elementa,ipſius quoque primæ facultates,& in animali quot alteratrices, tum alteratrix facultas,ex eodem Gal.Natural.facultatum lib.primo.

Alſine αλσίνη morſus gallinæ eſt aliquibus : nonnullis anagallidi nomen reſpõdet.Sic autem dicta,ꝙ loca vmbroſa & opaca amet.Myoſcota Dioſc.vt vertit Gaza, auricula muris:quoniã muſculorũ aures folia imitãtur:vnde alſine dicta quòd cõparẽ omnino facultatem helxinæ ſortita eſt,frigidam ſcilicet & humidam:quamobrẽ feruẽtibus inflãmationibus ceu prę́ſens remediũ cõgruit.Hęc AEgyneta,Aëtius,& Gal.

Alectorolophus ἀλεκτορόλοφος,herba tuſsientibus petita,vulgò dicta Oruala,foliis gallinacei criſtæ ſimilibus,caulem tenuem,ſeménque nigrum in ſiliquis reddẽs. Plinius Criſtam vocat:nos Orminum.

Aluus,eſt quæ in ſe ventris inteſtina continet: & cibi ſi potus retrimenta nõ prorſus ſicut recipit,ea reiicit:ſed ſicut vel ſanitas,vel infirmitas in partibus internis corporis habẽtur,excernit.Cuius profluuiũ διάῤῥοις,id eſt,copioſus ſine vlceratione, & inflãmatione fluor.Fit autẽ propter imbecillitatẽ inſtrumẽtorũ vẽtris,alimẽta copioſa,humidiora & viſcoſiora,eorũdẽq; corruptelã, mordicationẽ itẽ in vẽtre cõtẽtorũ, defluxũ quorundã è ſupernis ad ventris ſpatia,imbecillitatẽmq; retẽtricis facultatis.

Alui deiectionis ſigna ſunt,quando vomitus,& ſanguinis fluxus nariũ,& ſudorum notæ non apparẽt.& ſi plura egerãtur,quàm ante iudicationẽ ægroti conſueuerint,detenta præſertim vrina.Quæ criſes per æmorrhoidas etiã,& in mulieribus per menſtrua fieri poſſunt.Inſuper,vt in omnibus reliquis euacuationibus,teſte Hippoc. Aphoriſ.lib.j.aphoriſ.ij.ita potiſsimùm in ventris deiectionẽ vires ægrotantis diligẽter,ſunt expendendæ:donec enim tolerat, & nondum laborat,tentandum vt humor exuperans educatur.Quùm verò diſſoluuntur,eodem Hippocr. teſte aphoriſ. xxiij. libri primi,etiam ſi reſſent ſuperuacua,cauere oportet vacuationem. Atque hinc eſt, quòd Deiectiones multitudine non ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia deiiciantur, qualia conueniunt,& ægri facilè tolerant.

Aluus nonnullis lapſu,caſúue deuolutis adſtringitur,inteſtinis ſcilicet affectis:vt

author eſt Gal.Locorum affectorum lib.primo,verùm ipſe,aluum ſoluit his quibus
in morbis diuturnis venter ſiſtitur non acribus per inferiora infuſis:ſed tantùm oli-
uo,mercuriali,Braſsica marina,cartamo in ptiſana,terebynthina. Sanitat.tuendæ li-
bro quinto. AEgyneta de Arte medendi libro primo,aluum ſanis emollientia,& pue
rorum quomodo mollienda latè apperit. Alui paſsiones omnes,& curationem abũ-
dè docet Celſus artium lib.ij.

Alumen στυπτηρία,ab aſtrictione vehementi dicitur:craſſarum eſt partium, maxi
mè liquidum,& Placithes,& Plinthites à cruſtæ,& lateris forma dictum: minùs ſtro
uaylon,& Aſtragalotes,id eſt,rotundum,vulgò Rochinum,in aſtragali modum:mi
nimùm Schiſtum,id eſt,ſciſsile,vulgò alumen pluuiæ,non in fila ſed in digitis fria-
bile. Alumen omne minerale eſt,& in aqua ſoluitur,& igni liqueſcit : ſciſsile omniũ
tardiſsimè,quòd ſine bullis tandem molleſcit, idem aquæ innatat, linguæ & cuti
mordaciſsimum. Alumen fiſſum œdemati conferre docet Galen. lib.xiiij. Metho. &
tritum vuluæ inflammationis præcipuum medicamentum introductionum libello
author,eſſe affirmat. Dioſcorides lib.quinto,ſcribit,omne genus aluminis in metal-
lorum fodinis inueniri,feréque in AEgytio,& pleriſque aliis in regionibus:cuius plu
rimæ,variæque ſpecies cum medendi vſu apud eundem authorem reperiuntur.

Alauda,Latinis Galerita, Græcis ἡ κόρυς κορυδὸς. καὶ κορόδαλος.Inter auiculas
dumetis apricantes cibo laudatiſsima ex Galeno habetur galerita: Varro Galericum
nominauit,nam calculo vexatis maximè vtilis experitur.

Altæa,quæ & Alcea ſeu biſmalua ἀλκέα Græcis, nam communis malua primũ
eſt genus domeſticum:ſed alcea agreſtis eſt, foliis vt cyclamini rotundis, lanugine
caneſcentibus,flore roſaceo,caule bicubitali, radice lenta, intus alba ſubaſtringente.
Altæa autem dicitur,quòd inter primas ſit vtilis, & pluribus polleat remediis,Gale-
no libro ſecundo Alimentorum:& libro ſexto,Simpl. Ebiſcus ſiue Ibiſcus malua, at-
que aliis effertur nominibus. Dioſcorides libro ſecundo,cap.cxj.malu am ſatiuam à
ſylueſtri facultatibus,& effigie ſeparat:& altæam in genere ſylueſtrium eſſe vult li-
bro tertio,cap.cxxxix.ſed alceam omnino ſylueſtrium maluarum genera aſsignat:
quas omnes verſari ſub eadem virium facultate perſpicuum eſt. Vocat autem altæam
Gal.li.xiiij.Meth. ἀναδενδρομαλάκην,cuius radix ſeuo liquata ſalutare ſcirrhis medi
camentũ eſt. Sed & ſylueſtris maluæ,quæ paſsim naſcitur, folia cum ſeuo proficiũt.
Meminit ſimiliter & Gal.Ebiſci,id eſt Altææ & facultatum eiuſdem libr. vj. Simpli.
quibus quidem AEgyneta & Aëtius ſimiles vires adſcribunt.

Altercum ſiue hyoſcyamus ὑοσκύαμος quæ etiam Apollinaris herba,nomẽ ab A-
polline ſortita eſt. Hyoſcyamus,faba ſuis,quòd eius paſtu conuellantur ſues,interpre
tatur:Officinis corruptè Iuſquiamus appellatur:de cuius vi veneni multa refert Dio
ſcor.libro quarto,capit.lix.apud quem tres ſpecies leguntur,vnus flore purpureo, ſe-
mine nigro:alter flore luteo,ſemine flauo:tertius flore & ſemine candido:cuius præ-
cipuus eſt vſus apud medicos,& myropolas. Gal.lib.viij. Simpl.

Altercum,inquit,cui ſemen atrum eſt,inſaniam ac ſoporem affert.ſed is cui ſe-
men mediocriter flauum eſt,propinquam ei facultatem poſsidet. Verùm vtrumque
fugiendum eſt,vt venenum:ſed tertium ad ſanationes vel maximè idoneum eſt, ex
tertio gradu quodammodo refrigerantium.

Amaracus,ſeu maiorana, & ſampſychum σάμψυχον non autem, vt placet qui-
buſdam parthenium Galeni eſt. Vnguentum tamen amaracinum à ſampſychino cur
diuerſum ſit Dioſcoridi, doctè Syluio, Muſa coniectare videtur, ex plantæ huius
appellatione conſueta vtrique regioni, in qua vtrunque id vnguentum fiebat lau-
datiſsimum. Samphuchi materiam omnem recitat Dioſcorides libro tertio, capit.
trigeſimooctauo. Galenus Amaracum excalfacere non inſtrenuè, non valdè autem
deſiccare, ſed in caliditate quidem tertij eſſe ordinis, in ſiccitate verò ſecundi,
affirmat. Manardus amaracum Aëtij herbam intelligit apud Italos corrupto vo-
cabulo Marellam vocatam, quæ etiam apud vulgares Allobrogas eodem nomi-
ne effertur : medicorum vulgus, & officinæ Matricariam : de qua Dioſcorid.

ſcribit

ſcribt ſub nomine Parthenij, quæ longè differt odore, & amaritudine à Maiorana, ſiuea maraco. Quære dict. Maron.

Amarantus, vulgus Gallicum zelotipiam, vel paſſeuelours, vocat ab Elichryſo Dioſcoridis diuerſa herba: quanquam & alia quædam ſit huius nominis, quę fortaſſis Stęchas citrina noſtras erit: quam & alij nonnulli Chryſocomen faciunt. Dioſcor. etiam, quorundam appellatione, Cryſanthemon vocat: lib. iiij. cap. xlvij. cuius, poſt Dioſc. vires Galenus ſic tractat, Amaranthon facultatis eſt incidentis & extenuantis: coma igitur eius cum vino pota menſes educit: ſemen eius comitialem morbum tertiò potum ad drachmam ter menſibus tribus ſilente prorſus luna, finire expertum eſt: quamquam ſtomacho infeſta tum coma, tum ſemen.

Ambroſia ἀμβροσία, pro hyua moſcata, & vineacea quibuſdam vſurpatur, quoniam friata vini nidorem odoratu reddit: Rura rutam vinaceam dicũt. Seguſiani mi craneam vocant, multũmque differt à Botryide Dioſcoridis deſcriptione, licet aliter ſentiat Geſnerus. Eius vires ſunt reprimere ac repellere, & illitu adſtringere humores, qui in partem aliquam incombunt. Galeno quoque vim habet adſtringentem, ac repellentem illita. AEgynætæ pares illi occurrunt vires. Eſt quoque Ambroſia antidotus Zopyci medici Ptolomæi regis, de qua Celſus lib. v. cap. xxiij. in honorem po tionis Deorum nominata: quam valdè laudat Galenus libr. meth. med. viij. & xiij. & ſanitatis tuen. lib. 5.

Amblyopia ἀμβλυωπία, eſt à cauſa incognita viſus obſcuritas: quæ conuenit cũ affectu alio, qui à Græcis vocatur ἀμαύρωσις, quatenus vterque fit ab immanifeſta cauſa. Differt verò, quoniam in hoc plenum eſt viſionis totius impedimentum: in Amblyopia ſola obſcuratio, non plenus defectus, vt eſt author locorum affectorum lib. iiij. Galenus.

Amarum, eſt id quod in rebus vim mundificandi habentibus inuenitur, vt ſtiptica vis in ſubſtantiis quibus ſanantur vlcera: & ſiccitas, in duabus rebus non diſsimilibus. Itaque amara medicamenta ſiccant pluſquam oportet: vt retulit Gale. Meth. lib. vij. Sexto quoque Simpl. de propriis cuiuſque ſenſus ſenſoriis, ſic ait: Quæ abſtergunt, totamque linguam abluunt, ſi id quidem ſupra modum efficiant, ſimúlque aliquid abſumant, vt de natura aliquid coliquent, qualis eſt nitrorum facultas, amara omnia appellantur. At quæ nitri virtute inferiora ſunt, ac moderata vtuntur abſterſione, ſalſa citra aſperam amaritudinem, & grata nobis magis apparent. Vide plura his apud authorem eundem ex Platonis lectione.

Ambubeia Κιχώριον ἄγριον, id eſt Cichorium agreſte, nomine alio ſylueſtris Intybus ſiue Intybum: neque domeſtica eſt Schariola, qua hyeme in acetariis prima menſa vtuntur delicatiores. Dioſcorides lib. ij. cap. cxxv. ſub Seris nomine Intybum vtrumque deſcribit his verbis: Seris duum generum eſt, altera ſylueſtris, quæ picris & cichorium vocatur. altera ſatiua, latioribus foliis conſtat: ſtomacho quàm hortenſis, quæ noſtras eſt, vtilior. Quæ iterum in duas ſpecies digeritur: vna folio latiore prodit lactucarum ſimillima. altera anguſtiore eſt folio, & guſtu amara: omnibus vis refrigeratoria eſt hæc Dioſcorides. Seris Gale. ſiccæ frigidæque temperaturæ eſt ſecundò exceſſu: ſed domeſtica magis refrigerat, quàm agreſtis. Verùm humiditas ſic citatem extinguit, qualitatis adſtringentis particeps vtraque eſt.

Ammi ἄμμι, ameos officinæ dicunt: varium quidem eſt, Illiricum ſcilicet, & AEgyptium. Quod autem vulgate habetur, noſtræ regionis tellus producit. Ammi ſemen album eſt, & quod origani ſaporem habet, calidum & ſiccum ordinis tertij eſt. ob id flatus eſum internos diſsipat: coli quoque doloribus optimum. Aliquibus Ammiuem vocari legitur. Dioſc. AEtiopicum cuminum appellari tradit. Gal. ſimpl. lib. vj. Ami vocat. cuius facultas tertii ordinis eſt in calido & ſicco.

Amiantus lapis ſciſſo alumini ſimilis: quo, vtpote flexili, telas in vela tantùm ſpecta culi gratia texunt, quæ ignibus iniecta ardent quidem, ſed flammis inuicta ſplendidiora exeunt. Hæc Dioſc. Atque de omnium lapidum viribus ſummaria conſideratio ex Aëtio hæc eſt: vniuerſis lapidibus exciccatio communis eſt, ac quicunque in

liquorem ſoluti ſiue triti,nullam inſignem qualitatem afferunt guſtui, debiliſsimi omnes,mitiſsimi,immordaciſsimíque ſunt iudicandi: qui verò apertam qualitatem guſtantibus inuehunt pro eius qualitatis ratione facultates habent. Nam ſi adſtringunt cogendo ſtipandóque pollent:ſin mordent calefaciendo,diſcutiendo, ac liquando.Inter hæc medii neque palàm adſtringentes,neque mordentes abſtergunt.

Ambulatio, vt vult Celſus, non vtique plana commodior eſt: ſiquidem melior aſcenſus quoque:& deſcenſus cum quadam varietate corpus moueat: niſi tamen id per quàm imbecillum eſt.Melior autem eſt ſub dio, quàm in porticu: melior ſi caput patitur in ſole, quàm in vmbra:melior in vmbra, quàm parietes aut viridaria efficiunt,quàm quę tecto ſubeſt:melior recta,quàm flexuoſa. Galenus de vſu partium lib.iij.cap.xiij.& cap.v.ambulationem quomodò fieri,& quæ requirat,docet:& cuius actio, Meth.med.lib.vij.

Amygdalus ἀμυγδαλῆ,arbor vna amaro fructu,cuius gūmi calfacit,adſtringit, ſanguinem reiicientibus prodeſt:impetigines cum aceto illitum tollit: tuſsi antiquæ medetur:calculoſis prodeſt. Mitiùs multo eſt gummi, quod amygdalo dulci profluit: eiúſque fructus mitior:ideò viribus imbecillioribus ſuſpicatur.

Ambarum, ἄμβαρ,vulgò Ambra gryſea,& Arabum,& Actuarij,& Simeonis recentium Græcorum.Eſt odoramenti genus, locis diuerſis ſcaturiens, vt bitumen, ſulphur, noſtratibus hodie larga & præſtantiſsima ex littore Aquitanico mittitur: colore cinericio. Indica rufa eſt,pinguis,odorata,quòd Succinum orientale Hermolao dictum eſt. Arabibus, & Simeoni eſt prælata Arabicæ ſubalbæ, & tertiæ præter has nigræ, quod à piſcibus fontes Ambaris guſtantibus deuorata ſit, omnum peſsimæ.

Amylon,vulgus amydum: quod ſine mola fiat, dictum: ex medulla triticei frumenti præparatur,partes exaſperatas leuigandi vim obtinens. Cæterùm ſimilem panibus lotis habet facultatem.

Amomis herba eſt ſine odore, ſine fructu:qua amomum,quoniam ei ſimile,adulteratur:naſcitur in Armenia flore origani Dioſco.lib j.cap.xiiij.

Amomum ἄμωμον,roſa eſt Hyeroſolimitana,vel lacus Hyericontis vua, Dioſ. Gal.& Aëtio vocata,non Aſpalathus:quæ eſſe quibuſdam videtur. Amomum eſt alterum, tenuiſsimo frutice in Alpinatum iugis: cuius ſemen puſillum, odoratu fragrantiſsimum, & ad vſus pharmacopeiæ colligitur: miſcetúrque amomo, àtque pro eo vęnit. & odoris conciliandi gratia medicamentis miſcetur. Laxius in vua par ua ſeminis plena diffuſum,non adſtrictiùs cohærens,acre,mordax, nares vulnerans, recens non carioſum.

Amomi vua ob id dicitur,quæ Botrys noſtras videtur:quòd racematim velut in vua cohæreat ſemen Galeno,& Actuario teſtibus.

Amphora,ſiue Ceraneum,menſura eſt octo congios explens.Italica,capit olei libras ſeptuagintaduas: vini octoginta:mellis centum & octo.

Ampelitis ἀμπελῖτις,terra eſt bitumini ſimilis, circa Seleuciam Syriæ naſcens: quæ medicis φαρμακῖτις,dicitur, quòd morbo medeatur vitium. Dioſc. lib. v. cap. de Terra in genere. Gal. Simpl. libr. ix. cap. de Terra Samia.

Amodites,ſerpens eſt qui demorſos delendo apoſtemate inſigni tumeſcentes intra diem ſeptimum necat:cuius meminit poëta Lucanus his verbis: Exuſtíſque cinicolor indiſcretus arenis Amodites. Galenus commendat Andromachi theriacem ad Piſonem, ſerpente Amodite percuſsis.

Amphyſibena,ſerpens quoque in caput geminum conſurgens: quorum alterum in loco ſuo eſt: alterum in ea parte qua cauda: quæ cauſa efficit vt capite vterque ſexus minitabundo tractu ſerpat orbiculari. De quo ſic Lucanus, Et grauis in geminum ſurgens caput Amphyſibena. Galenus aduerſus ſerpentis huius morſum commendat theriacem, quæ eſt Andromachi ad Neronem, de ea ſcribens

ad Piſonem. Nam cætera venenata ſerpentum genera ſeriatim & ex ordine legũtur.

Amor ineptus, Græcis ἐρωτικὸς, eſt qui furoris amore perculſus agitur: perinde atque is qui πρὸρε πρικὸς, dicitur. Magna Græcorũ vetuſtas, inquit Cælius Aurelianus Chronion libro primo, furorem maniæ ſpeciem appellabat, quæ nunc μαντική, dicta eſt: atque alium ex Libero fieri patre, alium ex amore, & appellauit eroticum: vti ex muſis προτρεπτικὸν, quòd carmẽ inſtruere videatur. Itẽ duplicem furorẽ eſſe, alium inſipientiæ genus, quo omnem imprudentem inſanire probant Stoici: alium ex alienatione mentis, & corporis compaſsione: item tertium, ex animi purgamento fieri: ſed & quartum alienatione mẽtis, ex corporis cauſa, ſine iniquitate, quem Græci appellant μανίαν, vel quòd animum ſiue mentem laxet, vt ſatis compertum habetur amore diſſoluto in fœminas vexatis. Cætera, cum curatione, ex Cælio ipſo petes. Galenus de Hippocr. & Plat. placitis libr. iiij. Immutatio, exceſſuſque ex ſeipſis non aliũde oritur, quàm ex rationis aſpernatione: nam quòd ira inferantur aliqui, exturbencúrque ex ſe, neque apud ſe, neque in ſe ſint, aliáque huiuſcemodi perſpicuè iudicia eſſe perturbationes, in rationalíque animæ facultate exiſtere ſignificant. Vnde ab amantibus, aut aliquam aliarum cupiditatum libidine vehementer agitatis, tum etiam iratis, huiuſcemodi audire voces licet, cùm dicunt, ſuo ſe animo indulgere velle, ſibíque ſiue id meliùs, ſiue peius fuerit permitti debere, nihílque ſuper hoc à quoquam dicendum, atque eo modo prorſùs etiam ſi peccent, ſibíque inutile id videant futurum, eſſe tamen faciendum. Hæc ex Chryſippo Galenus.

AEgilops αἰγίλωψ, eſt abſceſſus inter nares & magnum oculi angulũ: qui ſi negligenter incurioſéque tractetur, in fiſtulam lachrimalem Methodicis nominatam, vertitur: eius quoque deſperata curatio omnibus eſt. Ad quid autem abſceſſus dicatur, & à qua re curationem accipiat, docet AEgyneta de AEgylope cap. proprio lib. tertii. Similiter prius quàm diſruptum exulceretur apoſtema, Anchilops appellatur.

Aglaophotis ἀγλαόφωτις, odoris iucundiſsimi herba eſt, colorísque: qua Magi vtuntur ad euocandos dæmones. Naſcitur in marmoribus Arabiæ, vnde illi nomen Marmoritis traxit. Quære dict. Pæonia.

Amurca ἀμοργή, olei cuiuſque fæx eſt, aut expreſſæ oliuæ recrementum: hæc decocta in cupreo vaſe ad craſsitudinem mellis adſtringit, cæteros præbens lycij, id eſt memythæ Arabum, effectus. Hæc Dioſcorides. Galenus verò amurcã terreſtris ſubſtantiæ eſſe dicit, calidæ interdum facultatis, vt non palàm mordicet: quod ſi coquatur, terroſior euadit: tunc quoque ex ſecundo excalfacientium & ſiccantium exceſſu iudicabitur. Siquidem contrahtt vt reſina, & pix ſicca, & bitumen.

Αχῶρες, ſunt Galeno, & AEgynetæ, cutis capitis cum tumore vlcera foraminulenta, è quibus ſanies manat tenax, ſed nec vt mel craſſa. Κήριον, verò achori ſimile maioribus foraminibus, in quibus ſanies melli ſimilis, inſtar faui apum continetur. Manantia capitis vlcera, vna voce nominat Pl. quæ Græci ἀχῶρας & Κήρια, Auicenna ſaphatum & tinean, generali & ipſe nomine, ſub quo non ſolùm ἀχῶρες & Κήρια, Græcorũ, ſed & ficus, & φυδράκια, & ἐξανθήματα, Arabes collocarũt. Per ſeriem quidem horum definitiones habentur in Exercitamentis.

Ammoniacum, ferulæ gummi exudans, à Dioſc. thymiama ob redolentiam appellatum: quod etiam AEgyneta inter odoramenta adnumerauit, & ſi odorem ſpirat grauem velut caſtorium. Hic ſuccus eſt ex frutice eiuſdem nominis ſumpto, tamen videtur nomen tractum à loco regionis, vbi Iouj Ammoni dicatum templum eſt: atque ibi frutex nominis eiuſdem inuenitur. Errauerunt qui Armeniacum ſal, dici Ammoniacum voluerunt quin ab Armenia regione Alexandriam, & Venetias, & noſtrum vſque orbem aduehitur: foſsile & non marinum facilè ſua acrimonia, & liquatione deprehenditur. Dioſcorides lib. iij. cap. lxxx. & lib. v. cap. lxxv. vj. & vij. Gal. lib. vj. Simpli. medicament. Braſſanolus in Exament. Gummi.

Amnios ἄμνιος, ab agnorum mollicie teneritudinevè, appellatur: quòd cùm

mulier conceperit, ex ſemine membranæ generantur, quarum prima, quæ totum orbiculatim fœtum amplectitur, tenuis eſt, ſuſcipitque vaporem à conceptu defluentem, qui perfectorum animalium ſudori proportione reſpondet. Huic foris alia tenuior incumbit, quæ farcimen ἀλλαντοειδὴς, nominatur. Hæc ad fœtus veſicæ fundum lato & inſigni meatu peruia eſt, atque vrinam fœtus iam efformati in ſe recipit, ac ad partum vſque colligit. Toti enim ipſi fœtui vndique membrana circumpoſita eſt ſubtilis, nomine ἄγνιον, ſuſcipiens id velut ſudor fœtus: & quæ ſuper iacet, ἀλαντοειδὴ, in veſicam eius perforata, quæ colligit & aceruat vſque ad partum id quod eſt velut vrina fœtus. Secunda autem membrana in circuitu quæ extrinſecùs eſt appoſita χώριον, internam matricem ſublinens, ne à ſubiacentibus matrix tangatur. Atque per hanc membranam mediam fœtus ipſe matri copulatur. His quidem plura habes ex Gal. vſus partium lib. xv.

Ἀλλαντοειδὴς, membrana, id eſt farcimen à figura, ex fœmineo ſemine generatur: initium ſuum ex meatu, qui οὐραχὸς dicitur accipiens. Cæterùm ad vteri apices emergit, clunibus & pedibus incumbens. Vſus eius fœtui eſt, vt vrinam animalis iam efformati recipiat, cum ſit meliùs non per pudendum vrinam fœtum reddere, ſed per vmbilicum. Galenus lib. de Diſſectione vuluæ: & ij. de Semine, & vſus partiũ lib. xiiij. & xv.

Ἀνάβρωσις, ſolutio continuitatis ex corroſione eſt. Fit autem vel ab interno corroſio, id eſt, ab humoribus malis erodentibus. vel ab externo, igne videlicet, aut ſimilem ei vim habentibus medicamentis. Facta ab interno eroſio, ſi oſſa vitientur: quæ recentioribus medicis ventoſitas ſpinæ vocatur. Gal. lib. iiij. Meth. medendi.

Anacardus ἀνακάρδιον Actuario à cordis figura & colore dictum: veteribus Græcis & Latinis medicis indictum, an quia incognitum haud ſcio. Affectus cerebri & neruorum humeſcentes frigeſcentéſque mirificè iuuare experimento eſt: at admotum cuti, vtpote cauſticum, vlcerat, & verrucas in totum tollit. Frequentiſsima eſt Anacardus planta in India, Sicilia, & Apulia regionibus Italicis.

Anagallis ἀναγαλλὶς θήλεια, id eſt, fœmina: morſus gallinæ vulgaribus: cuius flos violaceus ſeu cœruleus deprehenditur, quam quidam per Corchoron à Nicandro in Theriacis ſignificatam exiſtimarunt. Eſt prætereà & Anagallis mas, qui ſub hoc nomine κοραλλία ab AEgyneta deſcribitur: cuius flores punicei micantes cernuntur. Viribus paulò maioribus mas eſt, quàm fœmina, quemadmodum teſtantur Dioſco. & Galenus. Aëtius ſcribit herbam vtramque vim abſtergendi habere, & quidpiam calidi, attractoriíque vt ſurculos impactos auellat vtraque immordacem exiccandi virtutem habens.

Anagyris ἀναγυρὶς, frutex eſt arboris inſtar: neque, vt quibuſdam placet, malua terreſtris, ſed cuius lignum graui odore eſt. foliis Amerinæ, virgiſque: flore braſſicæ. ſemen in corniculis non breuibus gignit, ſubrotundum firmum, verſicolori facie, ſimile renibus, quod dureſcit vua matureſcente. Hæc Dioſcorides. Nomen autem habet ab excitando, quòd ea excitata deterrimum odorem emittat, digerentis excalfacientiſque facultatis: ſemen autem magis eſt ſubtilium partium, vt vomitum prouocet Gal. Simpl. lib. vj. & AEgyneta lib. vij.

Anaſarca ἀνασάρκη, καὶ ὑποσάρκα, καὶ λευκοφλεγματίς, fit quoties per totũ corpus humor pituitoſus diſſeminatur, vt ſpongiarum aut papyri inſtar, vniuerſa caro madida appareat. Ideóque totum corpus in ea intumeſcit, ac mortuo ſimile euadit: atque hæc hydropiſis ſpecies tertia, variis tamen ſub nominibus eſt. Quære dict. Hydropiſis.

Anas νῆττα, auis nota in paludibus, ſtagnis & fluuiorum ripis, cui naturale eſt, imbribus maximè rigentibus verſatur. Auis huius caro ſtomacho ad conficiendum duriſsima, & impurum ſanguinem ad generandum procliuis: cæterùm cocta caro vel lixa, vel aſſa ſeruatáque breuiter, vt cruda, putreſcit, vt in grandes etiam ver

mes

mes terreſtribus non abſimiles transferatur. Verum anatis fœminæ oua aliquibus minus vituperantur, quòd eſa ventriculo benè conferant: ſed fide dignis hominibus cum Bufone auis hæc ſæpenumero coire viſa eſt.

Anaſtomóticum, id eſt, ora vaſorum ſeu arteriarum & venarum aperiens, eſt calidum, acre, mordax, craſſarum partium, & terrenum: vt Cyclaminus, allium, porrum, & huiuſmodi.

Anaſtomoſis, eſt quæ accidit propter tum vaſis imbecillitatem, tum ſanguinis qui ad os impetu eius ruat copiam: ad hæc aerem quampiam quæ illi extrinſecus incidat qualitatem. Diapedeſis verò ex tunica quidem ipſa rarofacta, ſanguinem verò tenuato oritur: accidere præterea interim poteſt & ex graciliũ vaſorum ore adaperto. Curationem horum affectuum copioſè docet Gal. lib. v. Meth.

Anaſtomoticè ἀναςωμωτικὴ, alia eſt atque calaſticè καλαςικὴ, vi apud Græcos diuerſis quoque verbis ſunt reddẽdæ Latinis. Igitur quoniam καλαςικὴ, communi vſu laxatiuam conſueuimus interpretari, ἀναςωμωτικὴ aliter eſt interpretanda: quæ reſerandi, vel aperiendi ſignificatum adfert Difficultatis huius interpres eſt Manardus Epiſt. lib. viij. Epiſtola ij.

Idem Galenus locorum affectorum lib. iiij. cap. ix. ex Hippocr. hæc refert, inquiens: venas frangit aqua frigida, atqui ipſa per ſe eruptiones non facit, ſed quia tunicas venarum frigiditate ſua duras, & extendi contumaces reddens, vt rumpantur paratiores efficit. Ruptionis verò cauſa eſt, aut vehemens motus, aut humorum abundantia, qui vel per ſe, vel vnà cum frigido & crudo & flatuoſo ſpiritu, venas extendunt: cuius fractionis indicium præbet, ſubita plurimi cruoris vacuatio, &c.

Anaſtromoſis Celſo Artium lib. iiij. cap. iiij. fit aliquando gutture & arteriis vlceratis: frequens tuſsis quoque ſanguinem extundit. Interdum etiam & fieri ſolet, vt aut ex pulmone, aut ex pectore, aut ex latere, aut ex iecinore feratur. Tres ſunt differentes anaſtomoſes, prima διαβρωσις, ſecunda ῥηγμοκασμὸς, tertia ἀναςόμωσις, quarum vltima minimè nocet: prima quidem grauiſsimè: ac ſæpè euenit vt ſanguinem pus ſequatur.

Anatome, id eſt membrorum corporis diſſectio, eſt ſpeculatio eorum, quæ extrinſecus non videntur. Fit autem arte & exercitatione: ab accidente autem, qua ſoli empirici vtuntur. Gal. Simpl. facul. lib. x. de anatome hæc refert, Anatome viuorum ſi à regibus fiat in hominibus morti condemnatis, nihil graue committi: atque quanta vtilitas exteriorum & interiorum anatomes, tum quomodò phyſicæ ſubſeruiat, tum vtiliſsima & neceſſaria quæ ſit, in libris ix. anatomicis Galen. luculentiſsimam habes deſcriptionẽ. Sed quàm crudele, atque inhumanũ viuorum corpora diſſecare, ex Celſo Galenus abhorruit.

Anchuſa ἄγχουσα, herba, orchaneta herbariis dicta, officinis Parriſinis Leproſaria, ex genere bugloſsi eſt nullius quod ſciam, vſus. Eſt & anchuſa Alcibiadis, de qua petẽda eſt dictio Echion. Tertij generis anchuſa alia eſt, cuius radice, mulierculæ cum aqua & ceruſſa lixiua facta capillos curioſè tingunt: poſt frugum meſſem colligitur venum. Occurrit & quarta anchuſa, quæ λύκοψις, id eſt, lingua lupina quibuſdam ſuſpicatur. Anchuſa Dioſco. lib. iiij. cap. cap. xxj. nomine alio Calix, & onoclia appellatur: cuius folia ſunt lactucæ in acumen faſtigiata, hirſuta, aſpera, nigra, multa & humi ſparſa, ſpinis horrida: manus inficit radix ſanguineo colore, & vi aſtrictoria eſt. Gal. lib. vj. Simplic. quatuor anchuſarũ ſpecies, & viribus differentes diſtinctè ſcribit.

Androſaces ἀνδρόσακες, pleríſque herbariis Caſſuta eſt, vulgò cuſcuta herba appellata, non quidem ex ſententia Muſæ referentis Plinium in hæc verba. Iſtria eſt Androſaces feraciſsima: atque hæc habet radicem ſapore præditam amariſsimo: qua occaſione à Græcis picris appellatur. Quæ Dioſcoridis androſaces eſt, tenues ſpargit iuncos ſine foliis, folliculos, in capitulis habens, in quibus ſemen continetur: atque hæc copioſam hydropicis vrinam ciet.

Androſæmum ἀνδρόσαιμον, hypericum vulgatum Manardus, & Euritius Cor-

dus eſſe opinatur: quanquàm ab hyperico, aſcyróque, Dioſcoride authore, differt, quòd fruticet ramulis ſurculoſis, ac tenuibus: rubentibus virgis, & rutæ foliis, ſed maioribus. Hypericum verò ſurculaceo frutice eſt, rubentæ folio rutæ: flore albæ violæ luteo, ſubhirſuta ſiliqua hordæi magnitudine, ſemine intus nigro, reſinoſi odoris. Aſcyron autem hyperici genus eſt, magnitudine diſtans, fruticoſiúſque eſt, fructum habens hyperico nôn diſsimilem, viribus neque imparibus habentur.

Anemone ἀνεμώνη, pharmacopeis herba venti nominata: ſed & altera eſt bulbacei generis, quæ ἀνεμώνη λημωνία, Græcis dicitur: quam Porrion aliqui dixerunt, quod Leuconium bulboſum in ſyluis depræhenſum eſt. Manardus Anemonem Dioſc. à multis pro papauere rubro ſumitur, quia nunquam niſi vento flante, aperirur flos: Muſa tamen diſtinctum à papauere agreſti inquit, rubrum papauer Anemone Dioſc. eſt: quippe erraticum papauer duos tantùm colores habet, rufum & album.

Anethum ἄνηθον, vulgaris notitiæ eſt, ita tamen cũ Syluio ſentire malo, quàm cum nonnullis aniſum vulgare Græcorum anethum initio tertij ordinis calidum, ſiccum primo affirmare. Anethum verò vulgare calidius, ſiccius: aniſum Græcorum calidum ſiccum tertio gradu: nam vero veterum aniſo, vt Dioſc. & Galeni lectione coniectandum eſt, caremus.

Aniſum vel aneſum, ἄνισον καὶ ἄνησον, varium reperitur, atque inter prima laudatur Creticum: eius loco & penuria aniſum dulce vſurpatur: quod Actuarius γλυκάνισον, ſæpiùs appellat.

Anthera, eſt roſarum interior flos flaueſcens, in quo ſemen eſt & capillus, totúmque Anthera vocatur, cùm anthera Græcis compoſitio ſit roſas ſiccas & alia recipiens: quin & ſine roſarum flore Anthera medicamentum memoratum à Gal. lib. vj. compoſit. pharmac. Celſus lib. vj. cap. xj.

Aneuryſma, ἀνεύρυσμα tumor blandus tactu eſt, digitíſque cedens, ſanguine & ſpiritu contractus. vel tumor eſt ex Galeno, ex vulnere arteriæ tum oriens, cùm incumbens ipſi arteriæ cutis ad cicatricem peruenerit: verùm arteriæ vlcus neque concreuit, neque cicatricẽ recepit, neque carne obthuratũ eſt. Aneuriſma quid, & quando fit: vel arteriarum, vel venarum ex inciſuris, ſi aliis magis, ſi aliis minùs ſuperuenit, aperit Gal. Meth. med. lib. v.

Ancycoides vel coracoides proceſſus anterior omoplatę eſt, ſimilis anchoræ, vel roſtro corui collum tendentis. Quære dict. Omoplatta, & Galenum in libro de Oſsibus.

Anguilla, ἔγχελυς, quæ in ordine piſcium eſt, cuius quidem caro difficilimè concoqui ventriculo præſertim hianti atque inualido, creditur: quandoquidem febrientibus cibus perniciosiſsimus. Eſt denique anguillę ſpecies, Latinis Acus nomine: Grę cis verò ἡ ὑβελόνη, καὶ ἡ ῥαφὶς, aliis autẽ nonnullis Collum Ciconiæ, vel Gruis, à ſimilitudine piſcis appellatur marinis piſcatoribus. Totus piſcis mali ſucci eſt, vt anguillæ, & Lãpretæ, quæ perperam pleríſque Murena appellationem habuit. Anguis ſi eſtur, à ſtrumis liberat: author eſt Celſus libro quinto capite de Struma & eius curatione.

Angina συνάγχη ἢ κυνάγχη, eſt inflammatio in gutture vel faucibus, acutiſsimum malum & ſtrangulatu præſentaneum vitæ diſcrimen inferens. Veteres medici paſsiones omnes in iis locis euenientes, quas ſpirandi facultas comitatur, anginæ nomine vocant. Huius quatuor incurrunt differentiæ, vna vbi fauces inflammantur: altera, vbi neque fauces, neque reliquæ oris partes, neque etiam extremarum partium vlla inflammata videtur: æger tamen ſuffocationis periculum in gutture ſentit: tertia quando gutturis partes tum externæ, tum internæ, ſimiliter tum inflammantur: quarta, vbi ad anteriorem regionem ceruicis vertebræ

luxantur

luxantur &inde cauus apparet locus,dolorémque quando tangitur æger ſentit.Gal' Locorum affect.lib.iiij.capite v. AEgyneta lib.iij. cap. xvij. Celſus de faucium morbis,ac curatione de angina, déque eius ſpeciebus:déinde de ſpirandi difficultate,necnon de tuſsi,diligenter tractat. lib.iiij.cap.iiij.

Anhelatio,inquit Cælius,ſiue ſuſpirium, ab accidenti nomen ſumpſit. Vocatur præterea ſecundum aliquos ſpirationis difficultas,quam Græci δύσπνοιαν vocant,ſiue orthopnœam ὀρθόπνοιαν, ſiquidem ſeſe præfocari, ſentiant cùm iacuernt ægrotantes:atque erecti faciliùs ſpirent.Item,vt alij dicunt, contrario vocabulo ſuæ virtutis nomen accepit. Nam cùm ſui ratione conuertat ac deprauet tanquam corrigat orthopnœa vocatur,quam nos ſpirandi correctionem dicere poterimus. Multa enim contrariæ interpretationis vocabulum ſumpſerunt, vt fella, quæ Græci glycea vocant,velut dulcia,cùm ſint amariſsima. Grauat autem atque premit hæc paſsio magis mulieribus viros,& iuuenibus ſenes atque pueros, & durioribus natura corporibus teneriora,hyberno atque nocte magis,quàm die,vel æſtate, in quibuſdam ex initio generatur:in quibuſdam perfectis irruit paſsionibus. Sed magis ex profundo frigore ſequitur patientes ſpirationis difficultas, & frequenter natura celerior magis, quàm tarda.Item præfocationis ſenſus ſecundum thoracem,atque granedo,& feruor igneus. Item euteron ad ſuperiora conductio, & cùm paſsio vehementeſcere cœperit, ſtridor atque ſibilatio pectoris cũ pectoris debilitate. Tũ extẽſio colli atque vultus cum rubore,& oculorum ſuſpenſo attentu, & iacendi poteſtas ſchemate ſupino, tuſsicula nunc arida,nunc vuida cum ſputis tenuibus & ſpumoſis,& craſsis & viſcoſis,& ſudoribus & colore morbido,atque pulſu humili. At ſi grauior impetus ſuperpoſitionis fuerit,ora ægrotantium liueſcunt:& excluſo per nares humore mucilento reuelantur,atque præfocationis carent metu:quod non aliter cedit, etiam ſi ſuper oculos lachrymarum fuerit fluor. Quæ ſequuntur ex ipſo Cælio curioſiùs perlegat lector.

Angulus,eſt qui fit ex duarum linearum mutuo contactu: eſt enim figuræ particula à lineæ contactu in amplitudinem ſurgens. Rectus angulus, qui ex linea ſuper lineam cadente, & vtrinque altrinſecus duos inuicem æquales angulos faciente cauſatur.Obtuſus,qui recto maior. Acutus, qui recto minor. Rectilineus, qui ex rectis lineis cauſatur:aut quem rectę lineæ continent. Curuus, ſiue circularis, quem lineæ curuæ, ſiue circulares cauſant, vt in ſectione circulorum fieri videmus. Sphæralis,quem doo circuli ſpheræ ſuis circumferentiis continent, quales in quouis globo fiunt ex interſectione circulorum.

Anima,eſt actus primus & perfectus corporis organici in poteſtate vitã habentis,nec quibuſquam partibus conſtat: animus autem conſilii particeps eſt, anima vitæ. Atque hæc in ſtirpibus ſimplex eſt,quam altricem phyſici appellant, qua ſcilicet illæ alimentum attrahunt,retinent, & in vniuerſas ſui partes diſtribuunt, illíſque aſsimilant:& quod in alimoniam verti non poteſt,excernunt. Brutis verò animantibus anima duplex eſt,quæ à nobiliori ſua actione ſentiens appellatur,ſub ſe comprę hendens altricem. Longè autem homini nobiliſsima eſt anima, quę à ratione, qua ſolus homo vtitur,rationalis appellatur. Anima præterea pro animo, pro vita, pro ſpiritu apud pleroſque authores accipi ſolet:quam Galenus neſcire confeſſus eſt in libro de Conceptu. At animæ ſpeciei tertiæ animal particeps eſt, quam inter phrenas, id eſt,mentes,ſeu ſeptum trãſuerſum,& vmbilicum locari ſenſus eſt: cui nulla prorſus aut opinio,aut ratio,aut mens ineſt:ſenſus ſuauis,& triſtis cum cupiditatibus cõiunctus.Hæc Plato in Timæo,cuius interpres Gal.

Animus, eſt quo homines ſumus, quo ſapimus & intelligimus, quæ vis non eſt educta de potentia materiæ,ſed à Deo immortalis de nihilo creatur eodem tempore, quo & in corpus noſtrum infunditur.

Animi perturbationes, ſunt turbidi concitatique motus in homine, quòd magna illarum vis ſit, & miras in corpore motiones excitent: id quod timor,gaudium, ira, & verecundia euidenter declarant. Quære dict. Timor. Animal, eſt

ſubſtantia animata, ſenſoria, quæ naturæ impetu, ac voluntate mouetur: quòd voluntario nimirum ſe motu exercet. A tribus item principiis gubernatur, quorum quidem alterum in cerebro: in corde alterum: tertium in iecinore quòd ſedem obtineat: vt ex Platone in Timæo refert Galenus.

Animal, eſt quod conſtituitur humoribus quatuor, ſanguine, pituita, bile flaua, & atra: partibus totidem anni correſpondentibus, ac elementis, calido, frigido, humido, ſicco ſimul temperatis: ex doctrina Galeni ſuper Hippocrate libro de natura humana, de Elementis, & de Temperamentis.

Animalis facultas primaria, eſt quæ propter quam qua imaginamur, & ratiocinamur: vitalis, eſt quæ ſine qua viuere non dicitur: vegetatrix, per quam in melius corporis partes augentur. Alia animalis facultas, eſt quæ ex cerebro per neruos, ceu fiſtulas quaſdam, ſenſum & motum in totum corpus tranſmittit, ac intellectum fouet: hinc nomine alio ratiocinatrix λογιςική, dicitur: ea voluntariis actionibus vnà cum ſenſibus præſidet.

Animalis ſpiritus, eſt qui in cerebro ſedem habere fertur: & per neruos in vniuerſum corpus diffunditur, mouendi, ſentiendíque facultatem præbens. Animalis quidem ſpiritus dicitur, non quòd animæ ſubſtantia, ſed potiùs primum eius ibi habitantis inſtrumentum ſit. Generatur ex vitali ſpiritu ſurſum per arterias elato, perfectius cocto, & elaborato: in quem ſanè vſum reticularem plexum, quaſi varium quamdam labyrinthum in cerebrum natura fabricauit. Quęre dictionem, Spiritus.

Animalis item ſpiritus, à temperie & cerebri natura fit: in cerebro etiam nutritur, partim à ſpiritu attracto ex naribus, & in reti mirabili partim quoque nutritur, & conficitur in cerebri ventriculis. Officium eius eſt præſtare ſenſum & motum, qui à cerebro in vniuerſum corpus per neruos defertur: vtrum tamen feratur per neruos ſecundum ſubſtantiam, an ſecundum rationem parui faciendum eſt: vt Galenus in libro de Sedibus affectis, & de Symptoma. cauſis declarat. Cæterùm animalis ſpiritus, ac viſibilis quid differant: déque viſionis generatione, repetendus eſt Galenus in libro de Oculis, Theoremate ſecundo, capite quinto & ſexto.

Anni tempus partibus quatuor diſtinctum eſt, in ver, æſtatem, autumnum, & hyemem. Harum quidem curationi tempus optimum, oportuniſsimúmque verum eſt: aut certè neque feruens, neque frigidum: ſi quidem ægritudines, & nimius calor, & nimium frigus infeſtant: maximè tamen horum varietas, ideóque perniciofiſsimus autumnus eſt. Hæc Celſus lib. v. Artium, cap. de obſeruationibus. Ob id ipſum etiam anni tempora conſideranda, quibus methodo certa ægritudines curantur, monet Gal. Meth. med. lib iij.

Animi mores qui, & quomodò animal biliofum ac pituitoſum reddunt: quoniam animi affectus febrem accendunt, ac grauiſsimis morbis initia præbent: ipſis tametſi ad debitum modum reuocatis, ægros non paucos, nulla etiam pharmacorum appoſitione, curari certum eſt, ac perſanari: itaque animi ſanitas philoſopho mandatur. Galenus libro primo Sanitatis tuendæ animum pueris fingere docet ſecundo ſeptennio, quod videlicet id tempus aptiſsimum ac oportuniſsimum probis conſuetudinibus, & grauibus diſciplinis, quæ animi modeſtiam pariant. Quare ne infantes in aliquos animi motus incurrant, qui optimi ſunt temperamenti, non leui cura indigent: eſtque anima actiuarum ipſarúmque optimarum qualitatum temperamentum.

Animalia, alia aliis ſicciora ſunt: alia humidiora, ſpeciatim inter ſe collata, vt canis homine ſiccior eſt, homo humidior: at canis formicæ collatus & api, humidior inuenitur: illa verò ſicciora. Gal. Temperament. lib. primo.

Animalis prima conſtitutio ex ſanguine & ſemine eſt, quæ humidæ & calidæ res ſunt: cuiúſque animalis nuper nati corpus propter redundantem in eo humorem liberis ne quidem edendum. Gal. Temperam. ij. libro.

Ani-

Animantia quæ frigidiori ſunt natura per hyemem ob frigoris vim, perinde acſi mortua eſſent, latitare ſolent, quemadmodum viperæ, anguéſque: quas ſi manibus tractes haud quaquam mordent: eadémque animantia haud obſcurè declarant frigidam diſtemperantiam animales actiones torpidas efficere:ea quoque hyeme delitefcentia adipe fiunt obeſa. Locorum affect.lib.iij.

Animalium vetula recénſque caro vitanda: illa námque durior, concoctùque difficilior:hæc immodicè humida, & excrementoſa,ac maximè ex animalium generibus eſt humida ſuilla,& ouilla.Meth.lib.viij.

Anodinum, id eſt ſedans dolorem, vacuata doloris cauſa, calidum primo exceſſu, tenuium partium, Galenus libro primo compoſitionum pharmac. ſecundum genera. Narcoticum anodino contrarium, quia frigidum, craſſum, nomine tantùm abuſiuè anodinum dictum, quia tactum ſtupefacit, ſine quo non eſt dolor.

Anodina antidota ſeu medicamenta, ea ſunt, quæ partium exiſtunt tenuium, & non multò calidiora, quàm ſymetra ſunt: ideóque neceſſe eſt vt euacuent & diſcutiant: tum rarefaciant, extenuent, concoquant, & æquabile reddant quicquid in partibus dolore vexatis, aut humorum acrium, aut lentorum, aut craſſorum, aut multorum meatibus infractorum, aut etiam vaporoſi, aut craſsi, aut admodum frigidi ſpiritus exitum commodùm non inuenientis, cohibitum atque incluſum eſt: itaque nihil prorſus adſtrictionis habeant oportet. Quare anodina quibus exhibenda, & ipſorum ſoporiferorum differentia, & quibus quando vtendum, & quomodò, Galenus maximè ab vſu grauiter ſopientium abhorruit.Meth.med.lib.xij.

Anodinorum ſicuti cauendus eſt vſus quoad fieri poteſt, ita ſi vrget neceſſitas, omnino non contemnendus: quoniam anodina ſoporifera magis ſalubria ſunt, ſi poſt annum ſumuntur.

Antidotum, eſt medicamentum quod non extrinſecus impoſitum, ſed intra corpus aſſumptum malis medetur: atque in treis partibus differentias, quarum primum lætalium gratia medicamentorum offertur: quoddam propter beſtias virus iaculantes: quoddam verò malis ex prauo victu obortis auxiliatur: vt Mithridatis antidotum aduerſus venenorum pericula: aut theriaca aduerſus venenatos ictus ſerpentum.

Anthrax ἄνθραξ, fit cùm ſanguis & feruefcens in aliquam corporis particulam decumbens cutim exuſſerit. Incipit plerumque à puſtula ambuſtis conſimili, interim verò & ſine hac. Qui malo hoc corripiuntur, particulam omnino ſcabunt, vnde puſtula orta rumpitur, atque adeo vlcus non cruſta gignitur. Eſt tamen & aliud carbunculi genus, quod ex humore craſſo feruentéque naſcitur. Sæpe verò non ab vna oritur puſtula carbo, ſed multæ exiles veluti ſcabentibus milij ſemina, crebræ in particula reſidentes: quibus perruptis, ſimiliter cruſtoſum vlcus prouenit. Galenus xiiij. Methodi. In carbunculo non eſt aduertenda fluxio, quoniam eo qui affliguntur, neceſſariò febricitant: ſed ſuperpoſita remedia modicè reprimendo digerunt,vt refrigerantia deſideret.

Anthriſcus & anthriſcum ἀνθρίσκος, herba eſt ſcandici adeo ſimilis, vt eadem videri poſſet, niſi tenuioribus odoratioribúſque foliis diſtingueretur. Hæc viribus quidem eſt, quod fatigato venere corpori ſuccurrat: iámque ſenio marceſcentes coitus excitet, & alba fœminarum ſiſtat profluuia. Plinius libro vigeſimo, capite decimoquinto.

Antiſpodium Dioſcoridis, & Galeni, vocatur à medicis omne id, quod cum ſpodio facultatem habet: quæque in ſpodij inopia pro eo poſſunt ſupponi. Quære dict. Spodium.

Antimonium, id eſt, ſtibium, ſtimmi Manardo,quod Plinius platyophthalum vocatum ſcribit, quia in oculorum medicinis efficax eſt: quo eo mulieres etiam fucantur, gynæceum appellatum eſt. Dioſc. libro quinto, capite quadrageſimonono.

Galenus libro nono Simpl. medicament.

Anſer χὴν, auis, cuius caro difficillimè conficitur: alæ tamen, iecur, & pedes, ſi peritis credendum medicis, ad coquendum non rebellant. Oua quinetiam in precio habentur ob nutrimentum, & concoctu ſunt facilia.

Ἀντίσπασις, Latinis reuulſio, eſt quæ ad contraria fit vacuatio: cuius tres videtur deſcripſiſſe diuerſas differentias Galenus in libro de Miſsione ſanguinis per venas, vt aſſerit Manardus Epiſtolarum lib. xij. Epiſtola quinta, ſic inquiens: Si quis contendat omnem reuulſionem à Galeno ſub triplici illa diuiſione fuiſſe comprehenſam, dicam vel à dextro ad ſiniſtrum, ſi in ſiniſtra parte fuerit inflammatio: vel è contra, ſi in dextra facere reuulſionem, atque ita ad ſecundum genus ibi recitatum, hoc eſt, ad eam quæ ſecundum latitudinem fit, eſſe reducendam, & inter reuulſiuas omnino computandam. Reuulſio itaque omnis euacuatio eſt, & non contra, vt eſt author Galenus Meth. med. lib. xiij. & v.

Apate ἀπάτη, genus intibi ex Theophraſto ſuſpicatur, quod à Gaza Fraus conuerſum eſt, eo quod guſtantes amaritudine decipiat.

Apios ἄπιος, ſiue Iſchas, eſt raphanus ſylueſtris, ſic dictus, quoniam rotundam inſtar pyri habet radicem: iuncos duos, ſiue tres ſpargit, rubros, tenues, qui à terra parum attolluntur. Cætera ex Dioſcorid. ſunt petendâ, deſcriptionem ſcilicet & facultates. Galenus ſub nomine Rhaphanis hanc plantam aſsignat: quam exceſſu tertio excalfacere, deſiccare verò ſecundo, vtpote domeſtica efficatiorem, contendit. Quin & ſemen ipſum planta efficatius eſt. Radice raphanidis vtuntur medicorum hac noſtra ætate plerique in macerandis affectorum corporum abditis per inediam. Ebeno relicto, verùm quantùm profecerint ſumentes hactenus haud compertum habeo.

Apium σέλινον, multiplex eſt: nam quod vulgò petrapium ſiue petroſelinum vocatur, apij grandioris ſpecies quidem eſt, perſillum vulgus nominat: at paluſtre ἐλειοσέλινον, neque illud eſt, quod Berula paluſtris ſuſpicatur: quod autem apium montanum aliquando fuit, Græcis, & Latinis ὀρεοσέλινον videtur dictum quin & vtiliter cognoſcitur, atque vſui aptatur, paſsim quoque hortis nutritur. Apium ſiquidem grande, quod Macedonicum petroſelinum eſt, Græcis, ἱπποσέλινον, cuius ſemine purgantur equi poſt torminum dolores, non accepit nomen, ſed à ſua ipſius magnitudine: non illud eſt, quo, poſt perſillum, peculiariter paſsímque vtimur. Quod coniectandum eſt hortenſe apium non noſtrum eſſe perſillum, obſoniis vulgare. Quære dict. Oluſatrum.

Apocynum ἀπόκυνον καὶ κυνοκράμβη, id eſt Braſsica canina, ſiue erratica, hippomanes quibuſdam auguratur, quòd de ea ſi equi ederint, in furorem, vt ſcribit Heſiodus, coguntur. Ἀπόκυνον præterea δὲ μᾶζα μεμαγμένη φαρμάκῳ πρὸς ἀναίρεσιν κυνῶν, id eſt Apocynum panis eſt ex veneno aliquo pictus, ad interficiendos canes. Quære Catonem de Braſsica, in lib. de Re ruſtica verſus finem.

Appetitus, eſt diuerſi cibi, & potus deſyderium, ſeu appetentia animantibus à natura diſtributa. Eſt & caninus appetitus contraria amiſsioni appetitus paſsio: plures enim appetunt cibos ſic affecti, atque cum appetitum cohibere nequeunt, in ingerendis cibis modum excedunt: deinde eorum multitudine grauati, & aſſumptos cibos citra nocumentum ferre non potentes, ad vomitum diuertunt: poſtea rurſus ſe explentes, iterum ad vomitum redeunt, quemadmodum canes.

Appetitus vehemens animalis non caloris copia accidit, ſed contra, refrigeratis ſcilicet his partibus quibus appetentia debetur: quoniam appetentiam conuenientis ſibi qualitatis omnibus animalis ineſſe partibus, odiúmque contrarij: itaque appetentia ſi fuerit attractio, erit & fruitio aliqua: cuius ſiquidem quinque illi occurrunt ſymptomata, vt author eſt Gal. Symptoma. lib. primo, Temperam. lib. ij. facultatum natur. libro iij. & Methodi medendi libro viij. de appetentia deiecta continuatione

diarchææ

diarchææ ex cruditate ventriculi.

Apiaſtrum μελισσόφυλλον, herba eſt, qua apes mirum in modum delectari viden tur: vulgò meliſſa appellatur. Tota herba iucundi odoris eſt, vt citreum malum ſuo odoratu oleat: quas autem vires habet apertas facit Dioſcorid. lib. iij. cap. xcix. Galenus lib. vij. Simpl. Citraginem vocat, cuius loco marrubio odoro vtendum monet. Cæterùm ſi cui fortè ad manum quandoque marrubium non fuerit, illo vti liceat, modo non exciderit quando ab hoc exuperetur.

Aphace ἀφάκη, vulgus domeſticum Geſſes, leguminis genus eſt: cuius vires ſunt adſtringentes, ſicut in ipſa lenticula, quæ φακὸς Græcis eſt, eſtur vt lenticula, ſed ægriùs concoquitur: at in moderato calore valenter deſicca t, minùs autem ipſa lenticula.

Apophyſis, eſt grandioris totius oſsis pars, & ab epiphyſi diuerſa. Galenus in libr. de oſsibus, & Anatomes.

Apoplexia ἀποπληξία, eſt paſsio in qua cõmuni omnium neruorũ principio patiente, omnes corporis particulę motum & ſenſum ſimul amittunt: vel, eſt priuatio ſenſus & motus in vniuerſo corpore, cùm functionum à voluntatis imperio prodeun tium læſione, ſubitò ſuperueniens. Latini Attonitum morbum vocant. Author Galen. locorum affect. lib. iij. cap. x. Celſus lib. vj. cap. xxvj. Item Galenus libro primo de Morborum differentiis.

Apozema ἀπόζεμα, eſt ex variis ſimplicibus cum puriſsima aqua decoctum, ſeu condimentum, medicamenti vim habens concoctricem, digeſtiuam & expultricem. Compoſitiones autem diuerſas ac multiplices tractat Actuarius, & poſt eum qui habentur poſteriores medici, etiam emunctiſsimi.

Apoſtema ἀπόστημα, latinè abſceſſus, de quo ſuprà egimus.

Aphthæ ἄφθαι, vlcera ſunt quæ in ore fiunt nõ adeò profunda, ſed quæ in ſuperficie oris accidunt, igneæ caliditatis quippiam habentia. Genus hoc apoſtematis com munes medici Alcola appellant. Meminit & Celſus Artium lib. ij. capite primo, & lib. v. meth. med. Galenus curationis author eſt. Sed & abſceſſus quoque ad Glauconem lib. ij. non minùs diligenter curandi viam ex Galeno ipſo tradit medicinæ doctiſsimus Akakia.

Apepſia, ventriculi vitium eſt, quod Latini medici cruditatem vocant, cùm cibi ſcilicet in ventriculo non mutentur. Differt autem à dyſpepſia, & à βραδυπεψία, quæ ſpecies tertia eſt, de qua paulò ante dictum mihi eſt.

Apophlegmatiſmus ἀποφλεγματισμὸς, id eſt pituitã ex cerebro à capite per os tra hens: ſiue euacutio per medicamenta, quæ in ore retinentur & commanducantur: ſub quibus quoque comprehenduntur ſternutamenta cientia, & alia quæ per nares ipſas cerebrum euacuant medicamenta.

Apoſtema ventroſum vulgaribus medicis quod eſt, Græcis ἐμφύσημα nomen habet, & hoc pacto fieri ſcribitur: Tumores aut ab humoribus fiunt, aut flatuoſo ſpiritu, qui quandoque ſub cute, quandoque ſub perioſtiis membranis, quandoque in ven tre aut in inteſtinis, quandoque in medio horum & peritonæi colligitur. Si ab humo ribus, aut calidi aut frigidi ſunt, aut mixti: calidi aut fiunt à ſanguine bono, & phlegmone, hoc eſt, inflammatio eſt: aut à bile, vel feruenti & tenui ſanguine, vel ſanguine & bile calidioribus quæ inflammatio Græcis ἐρυσίπελας, Latinis verò ignis ſacer. Frigidi vel à tenui pituita, vt οἴδημα, id eſt tumor laxus: aut ab humore atræ bilis, vel craſſa & tenaci pituita, vt σκίῤῥος, id eſt durities. Miſcentur interdũ ſimul hi tumo res: & ſi alter alteri dominetur, dominantis nomẽ præfertur: ſi verò ſunt pares, per co pulam vnà coniungimus: atque in cæteris, ſi trium, vel plurium ſit commixtio, copulabimus. Atque hi quidem principales ſunt tumores: nonnulli tamen alij occurrunt, qui licet ſub aliquo dictorum generum comprehẽduntur, variis tamen ex cau-

ſis diuerſa ſortiti ſunt nomina : ſicuti phygthlon , phyma , & bubon , laxarum partium affectus,quas adenas Græci vocant:de quibus omnibus ſuo dicetur loco.

Aqua ὕδωρ,ea eſt,quæ exactè & ſyncerè alterius ſubſtantiæ miſtione vacat. Itaque puriſsima aqua ſenſibus tribus iudicatur,guſtu,viſu,olfactu atque pondere: guſtu,vt nullam prorſus qualitatem præ ſe ferat, ſed videatur ab omni qualitate immunis:id eſt enim Græcorum ἄποιον viſu, vt pura ſit ſyncera, & exquiſitè clara.Olfactu, quum eorum nihil ei ineſt,quæ in aquis vitioſis eſſe olfactus teſtatur.Pondere,vt cæterarum aquarum leuitatem facilè ſuperet.quæ iam ſi in præcordiis, poſtquam bibita eſt,non fluctuat,ſed deſcendit maturè, potiorem non deſyderabis. Galenus libro primo Simpl.medic.cap.iiij.& in libello de Renum affectibus, vbi negat aquam ſimplicem poſſe conuerti in alimentum : contra eos qui aliter ſentiunt. Aquæ dignotio ex Hipp.Aph.lib.v.Aph.xxvj.

Aqua inter cutẽ palbebræ, ὑδατὶς Græcis dicitur : eſt pinguis quædã ſuperioris palpebræ ſubſtantia,pondere ſuo ſic grauans, vt vix attollere oculũ ſinat,eóque aſsiduas fluctiones excitat. Palpebræ enim in hoc malo aquam inter cutem repræſentãt. De aqua autem inter cutem totius vel partium corporis, Quære dict.Hydrops.& ex Hypp.Galenum Prædict.lib.ij.cap. primo.

Aquila ἀετὸς,vulgaris notitiæ auis eſt : cuius genus triplex repreſentatur rapina violentiſsimum:quarum quidem ſublimior ſiue procerior oculos valde acres habet, adeò vt ſi felle eius ex melle probato hebetes acie oculi cuiuſuis animantis illinuntur,acutiores fiant:hæc propter medicinam,ſunt dicta.

Aquæ frigidæ intempeſtiua potatione iecur refrigeratum affatim , aquam ſtatim inter cutem inducit , antequàm ſcilicet in durum tumorem attollatur : vt teſtis Galenus locorum affectorum libro quinto , capite ſexto , qui non tamen negat frigidæ aquæ potionem à cibo per calores aut æſtus pueris : quoniam quæ mediocris frigidæ potio eſt, confert , quæ immodica maximè lędit : & ſi frigida quoque eſt , non vi ſua , ſed per accidens calfacit : quale exemplum Galeni ex Hippocra. eſt hoc,vbi frigidæ aquæ multa perfuſio calorem reuocans diſtentionem ſoluit:quia calens non ſolùm humectat,ſed & calfacit.

Aquæ vitia ex frigiditate pendent omnia , cuius culpa & in præcordiis diutiùs moratur,& fluctuationes excitat , & in flatum mutatur & corrumpitur, atque ita ventriculi reſoluit robur , ſicvt deteriùs proinde concoquat : ſed nec digerendo per corpus alimento aliquid magnopere conducit.Meth.lib.vij.

Aquæ omnes vim medicam præ ſe ferentes deſiccant,vt quæ ſulphureæ, aluminoſæ, & que bituminis ſunt, aliquid horum ſubſtantiæ repręſentant, quò certè non ſimplices dicantur:vt Galenus paſsim deſcribit.

Aracus ὁ ἄρακος, leguminis genus eſt quod lenti innaſcitur: rura veſciolam dicunt. Dioſcorides ſub hoc nomine Aphaca, meminit : cui vis adſtringendi eſt ſi torrefacta eſtur:ſi freſa lentis more vtendum. Plinius Aracum fructum appellauit, radicibus ſolis,nec vlla ſuperficie conſtantem.

Arbutus ἡ κόμαρος, aliquibus Bruta arbor nuncupatur : cuius fructus adeò capiti & ventriculo nocet , vt ei vnedo nomen retinuerit , ex argumento vnum tantùm edendi , Plinio hæc ſcribente. Arbutus autem appellatur non verè , quia hoc nomen Epimelidi tribuit Galenus. Meminit & Dioſcorides libro primo , capite cxxxviij.

Arcium ſiue arctium ἄρκειον καὶ ἄρκτιον , perſonatia herba eſt maior , & minor : huic Percicocinapi, alteri, Lappa nomen : variis capit ex Dioſcorid. vtrumque diſtinctum. Arctium verò illud ex Galeno quod Tapſo verbaſco eſt ſimile, radice tenera , candida , dulci , caule oblongo & molli , ſemine Cymino ſimili , facultatis eſt admodum tenuium partium : & ob id exſiccantis, & extergentis facultatis eſt. Arctium autem aliud , quod Lappa maior , Bardanáque eſt : ſemen profert

profert diſsipandi,extenuandi,& propulſandi vires habens: ac matricis refrigeratæ ſemen potum dolores tum ſedat,tum calfacit.Sed & Arctium tertium eſt,quod Galenus Proſopitis nominat lib.vj.Simpl.

Ardea grandior,& Ardeola breuior ἐρωδιὸς,aues: quæ pullis volandi imperitis duces ſe præſtare ſcriptoribus fertur. Auis vtriuſque caro, in cibis parum grata eſt, quòd laborioſè in ſtomacho conficiatur:nam maioris excrementi,quàm ſucci eſt.

Ardens febris, eſt quæ propter biliosi humoris copiam fit, cuius colore vrina ſi non inficitur,conſtat bilem in vaſis non retineri,ſed ad cerebrum ſua leuitate aſcendere.Itaque quibus vrinæ albæ & perſpicuæ,malæ: præſertim ſi in deliramentis appareant.Nos in dict.Febris diſtinctè differentias febr.percurremus.

Ardor ſiue vſtio ἔγκαυσις, eſt calor circa caput perſeuerans, ex ſole actiuo contractus. Vſtionē tametſi ab ardore ſeparat Galen.lib.decimo,Meth.med.ſic inquiens, Vſtio nonnunquàm corporis habitum conſtipat, quod ipſum ſcilicet febris principium,vbi cum horrore inuaſit,ſtipationem ſubinde facit. Nam & frigiditas, & adſtringentium vſus,mediam ſtipationem ſemper febrem excitant:quinetiam glutino ſi & craſsi,aut etiam copioſi ſucci,vbi mediocriter obſtruxerunt,diariam febrem interdum accendunt.Denique lib.viij.Meth. Vſtionem vult Galenus protinus ab initio refrigerationem deſyderare,tum crebriorē lauationem:minimè verò aut oleum largum,aut crebram frictionem:quod cùm caput ardore captum eſt, roſaceo ſuperfuſo atque ſimilibus eget,non alia frictione.

Argemon ἄργεμον,triuiales medici Achimon,fit id vlcus in oculi iridis circulo, exteriorem etiam locum occupans, ita vt intra iridem albus color,extra rubor appareat.Manard.Epiſt.lib.vij.Epiſtola ſecunda.

Area,eſt cutis capitis,& faciei depillatio:cuius quoque duo ſunt genera.Commune vtrique malum eſt,quod emortua pellicula ſumma pili primùm extenuantur, deinde excidunt,ac ſi ictus locus eſt,ſanguis exit liquidus,& mali odoris: increſcitque vtrunque in aliis celeriter,in aliis tardè. Peius,eſt quod cutem dēſam,& ſubpinguem,& ex toto glabram fecit:ſed ea quæ ἀλωπεκία nominatur,ſub qualibet figura dilatatur:fit & in capillo,& in barba.Id verò quod à ſerpentis ſimilitudine ὀφίασις appellatur,incipit ab occipitio:duorum digitorum altitudinem excedit,ad aures ſerpit,quibuſdam etiam ad frontem. Celſus libro ſexto,cap.iiij.

Araneus trium generum animal eſt,vnum nomine holcon,ſiue lycon: quo in ardendis tertianis ad tempora appoſito vtimur: tela eius vulneri impoſita ſanguinem ſiſtit,& ab inflammationis iniuria vindicat. Alterum aranei genus,candidam,tenuē, denſámque telam orditur:qui ſi in aluta ligatus,& lacerto appenſus quartanis mederi dicitur:ex roſaceo decoctus & infuſus aurium dolores finit. Tertium eſt, araneus mus,qui ſui morſus,diſſectus & impoſitus,veneficia luit.hæc Dioſc.& AEgyneta.

Argemone ἀργεμώνη, cuius ſpecies tres à ſcriptoribus nonnullis deſcribuntur, Hiero. Tragus ſuſpicatur eam eſſe plantam, quam vulgus roſam frumenti vocat. Herba autem hæc nomen traxit ab ἄργεμα & ὄνημι,quod oculorum albugines & maculas deleat,éſtque abſterſoria & diſcuſſoria,vt prodit Galen.

Arnogloſſum plantago maior eſt,quæ triplex paſsim legitur. Largus πολύνευρον, Plinius nerualem,& Apulleius quinqueneruiā vocari,tradit. Quære dict. Plantago.

Argemon ἄργεμον,eſt vlcus quod in iridis oculi circulo naſcitur, vndiquaque occupans,vt ſic circa exteriorem iridis partem rubicundum,circa verò internam album appareat.

Armenia gleba vel terra,vulgò Bolus armenus,colore pallido vel luteo promptiſsimè calcis modo ſoluitur,aut quouis liquore alio affuſa,ſummè ſiccat: ob id eſt optima ſanguinis ſpuitioni,dyſenteriæ,ventris fluori,fluxionibus à capite ad thoracem,& inde naſcenti aſthmati,& phthoë,quia vlcus in ea ſiccat, tuſsim ſedat:vlceribus etiam putribus oris,fiſtulis ani remedio eſt.In peſtilentia qui glebam hanc bibūt celeriter remediantur.

Armenius lapis, præfertur leuis, colore cæruleo, perquàm æquabilis & friabilis, non tantis depræhenditur viribus, quàm Chryſocolla. Nullum medicamentum efficacius eſt melancholia correptis Armenio lapide loto vel illoto: verùm lotus quinquagies ſecuriùs exhibetur.

Armeniaca mala Plinio, & Columellæ, inter prima numerãtur: quæ Abricoqua appellata iſtò ſeculo videntur. Quære dict. Perſicum malum, ſeu Malum perſ.

Argentina Manardo herba Aſplenium eſt, quæ locis humectis in ſaxis naſcitur: foliis ſcolopendræ vermi ſimilis, quæ à noſtris medicis Arabicis Citrach: ab aliis vulgaribus Argentina vocatur. Ex ea ſiquidem vnguentum factitatur ad lienis obſtructionem peroptimũ: quale namque eſt: Oleũ capparorum, muci altheæ, adipis anatis, aſplenij in pollinem tenuiſsimum ſubacti, ſingulorum quantùm videbitur ſatis.

Argentum, poſt aurum, metallorum puriſsimum, & temperatiſsimum: atque vt aurum in follicula & bracteolas ad medicinæ vſum arte extenditur: ipſo quoque auri loco vtuntur virium reſtaurationi myropolæ, feliciùs propinatur, niſi ipſo auro eſſet multò imperfectius atque impurius.

Argentum, volubilitate, viuum, ἡ ὑδράργυρος à conſiſtentia Græcis dicitur, Latinis verò à motu viuum, & à colore argentum: ſed arte factum poſterius libro nono, Simpl. exiſtimat Galenus: prius autem minerale vult Hermolaus: cùm tam factitium ex minio, quàm minerale, ſeu in argenti fodinarum tectis ſtillatim concretum, ſiue per ſe in metallis inuentum Dioſcorides ὑδράργυρον appellat. Argentum viuum, eſt metallorum omnium cum ſulphure materia à calore temperatiſsimo ſic per minima vnitum, vt ſiccum humido æqualiter in eo temperentur: vnde calore & frigore temperatum quoque dicitur: non quarto ordine cum quibuſdam frigidum, cũ aliis calidum. Eius vſum in medicina docet Dioſcorides: & qui ſunt Dioſc. ſequuti Aëtius, AEgyneta, & poſteriores. verùm Galenus nuſquàm eſt vſus.

Armoracia, rapiſtrum agreſte χέρια, & κέρα Græcis: herba eſt folio, flore, & ſemine ſimilis rapo, cui tametſi radix non bulbus eſt: rura rauenellas dicunt. Aliquibus ῥαφανὶς, id eſt, campeſtris raphanus ſiue armoracia. Quære Dioſc. lib. cap. cv. & dict. Radix.

Aroma omne, id eſt quod amaritudinis, grauiſque odoris innocens eſt: fœtoris quoque immune, vt zingiber, nux nuriſtica, cinnamomum, caſia, caryophyllus, atque huiuſmodi. Rhabarbarum ſiquidem ob excellentem quam habet amaritudinẽ, aromaticum percipitur: nam ſaporum nomina ad odores tranſferri docet Ariſtoteles, non contrà: amaritudóque ipſa adeò eſt à propriè vocatis aromatibus aliena, vt quibus adeſt, quocunque odore præcellant, nomen aromatis auferat. Vinum etſi ſuo genuino odore fragrat, non ideo aromaticum, neque etiam inter aromata connumerandum, docet facultas.

Ariſtolochia rotunda ἀριστολοχία στρογγύλη: & eſt longua ariſtolochia: & tertia nomine clematitis κληματῖτις: & genus quartum, cuius nomen piſtolochiæ eſt. Eſt nunc etiam ἄριστη λοχεύσαις ſic dicta, quia ſit parturientibus optima & ſalubris. Dioſcoridi & Galen. triplex numeratur, radicis figura præcipuè diſtincta.

Arquatus morbus ἴκτερος, quod cœleſtis arcus ſimilitudinem, ſi colorem eius inſpicias, habeat, nuncupatur. Aliter morbus regius, & arquatus Galeno locorum affect. lib. v. cap. vij. nominatur. Quære dict. Bilis vtriuſque.

Ars, eſt comprahenſionum ſimilium congeries, quæ ad finem quendam vitæ cõmodum referri poſſunt: quoniam omnis ars à notioribus ad ignotiora procedit. Facilè enim ex certo, exquiſitéque cognito, quod incognitum eſt, inuenitur. Namque ars & artifex, vtique & ipſa ars & fortuna, quomodo ſanitatis ſint cauſæ, quamuis medicinæ ars longa vſqueadeo ſit, infinita vt credatur, Docet Gale. Metho. med. lib. xj. & Aphoriſmor. libri primi, Aphoriſ. primo, atque in multis ſuorum operum libris.

Arſenicum veteribus Græcis archenicon, Latinis auripigmentum: in iiſdem metallis, vt auro, argento, quibus Sandaracha gignitur: ob id eadem gleba, ambo ſæpe miſta, vidētur. Optimum exiſtimatur cruſtoſum, aureo colore micans, nulli materiæ permiſtum, in ſcamas, tanquam bracteolas fiſsile: alterum globoſum, pallidum, & colore ſandaracham imitans.

Artis partes ſunt, ſpeculatiua, poſſeſsiua, actiua, perfectiua, à quibus medicina, quæ ſpeculatur quibus principiis corpus conſtat, tueatur ſanitatem: nihil operetur no ui, venam aperiat, luxata reponat: poſt actionis euidens opus relinquat ſanitatem, hæc Celſus.

Artabe AEgyptiaca mēſuræ genus, modios quinq; cōplet pro ſiccorū menſura.

Artemiſia procerior eſt, quæ noſtras: & tenuior, quæ agreſtis legitur: eas inter matricarias eſſe neque contendimus. Eſt & vna, nomine πλατύφυλλος, quæ vulgaris eſt: ſecunda, λεπτόφυλλος, quæ tenuior apparet, vulgò Matricaria. Hinc ſubſequitur Artemiſia μονόκλονος, id eſt, vniramis, quæ Athanaſia noſtras eſt, quæ quibuſdam Oculus Indicus creditur. Vires habent excalfactorias ſecundo exceſſu, & diſiccatorias verſus finem primi: ideóque tenuium ſunt partium, vt renum calculos frangant expellántque: matrici refrigeratæ auxilium commodè ferunt tum potu, tum fomentis. Nam & ſirupus factitatur ad matricis ſuffocationes vtiliſsimum.

Arteria omnis, eſt receptaculum ſanguinis rarioris, purioriſque, commixti cum ſpiritu naturali: ſenſúque prædita eſt: cuius origo cor eſt. Nam ſicuti cerebrum ſubminiſtrat neruis, ac muſculis: cor arteriis, iecur venis ſuppeditare virtutem functiones harum partium manifeſtant. Cætera ex Galeno habentur Meth. med. lib. vij.

Arteria aſpera τραχεῖα, & βρόγχος, fiſtula eſt, quæ à faucibus ad pulmones vſq; protenditur. Caput arteriæ huius guttur λάρυγξ vocatur: quæ conſtat cartillaginibus quatuor. Hæc ſpiritus meatus eſt, exterior colli fiſtula ad pulmones, & cor pertinens, eouſque aërem deducens, ſecatur in multas cauernoſas fiſtulas. Arteriæ aſperæ corpus ipſum qualiter compoſitum eſt, ſic varia curatione ſanandum, quoniam variis, diuerſiſque implicatur ex cerebro humore acri defluente vlcerationum ægritudinibus: quin & venarum & arteriarum, & cordis, & thoracis, & renum, & vtriuſque veſicæ, commune eſt opus, cum euacuatio fit. Gal. lib. vij. Meth. med.

Arteriace medicamen, ideo vocitatum, quod ad arteriæ tracheiæ tumorem, raucitatem, vocis abſciſionem, & ad ipſam arteriam exaſperatam applicatur.

Arthrodia, eſt quæ cauum leuiter & in ſuperficie, & capitulum etiam depreſſum habet: oblongum autem, & depreſſum dicit Galenus capitulum, ad ceruicē idipſum cui adnaſcitur referens, lib. de Oſsibus.

Articulus, eſt naturalis oſsiū cōpoſitio: oſsiū verò naturalis vnio, ſymphyſis appellatur. Articuli autē differētiæ, Diarthroſis, ac videlicet Synathroſis. Gal. de Oſsib.

Articularis paſsio ἀρθρῖτις, eſt vbi imbecillitas in omnibus corporis articulis cōſiſtit, humórque innaturalis ad eoſdem confluit. Differunt itaque podagra, & arthritis non toto quidem genere, ſed locis patientibus: in vtroque enim articulorū eſt imbecillitas, & humor à natura alienus ad hos ipſos cōfluēs. Si ergo in pedibus cōſtiterit, podagra appellatur: ſi verò reliquos artus occupauerit, articularis morbꝰ nominatur.

Artolaganus, ἀρτολάγανος, panis genus delicatiſsimi, quod puſillo cum vino, lacte, oleo, & pipere pinſabatur, coquebatúrque ad vſum. Plinius lib. xviij. capit. xj. & Ruel. lib. ij. cap. xiiij.

Arundo marina, quę farcta & craſsior Dioſc. habetur, apta olim quæ pro ſagittis, & haſtis vſurparetur: cuius tandem vſus apud poſteros inoleuit, quanquam adhuc viſitur in Græcia, atque ipſis vel ignota, vel vſui inexperta.

Arundo συρίγγιας, hoc eſt, fiſtularis, ea eſt de qua fiunt calami ſcriptorij: at quæ χαρακίας, id eſt, vallaris arundo, in ſepibus vallium frequens viſitur: olim pro militum caſtris muniendis: imbrium cohercendorum cauſa, fuit vſitatiſsima. Quæ arundo tibialis, ſiue muſica ad conficiendas ligulas tibicinum legitur, illíque

illíque inſtrumento armoniam accommodat. Atque ille crebræ in Brannonicum ſtagnantibus paludibus, ſtagníſque, hoc ſolùm differre cognoſcuntur, quòd altera mas, altera arundo fœmina ſit.

Arundo καλαμος, Columellæ canna vocatur, de cuius radice calcinata alterum fieri ſolet Spodium, quo hodie vtuntur vulgares medici: & ſi Spodium verum in metallorum fornacibus ex Dioſcoride, & Galeno, eruitur. Neque ſanè eo inquam vtendum ad medicamenta corpus internum purgantia, quia veneni viribus pollet aſperrimis: at priore quidem, quod Arabum inuentum eſt, ex cannarum radicibus, ſemoto omni etiam periculo vtendum. Quære dict. Spodium.

Arundo vernacula δόναξ, iuncea, herbaceáque, folíis porri multò longioribus latioribúſque: tota paluſtris, atque in aquis ſtagnantibus naſcitur, priore quidem diſsimilis: fert pappos in ſummitate ad culcitra valdè vtiles componenda: atque in eum vſum iam traxere Bellicēſes Seguſiæ. Pl. Cypriā arundinē vocat, cuius radix inutilis.

Aron, & ariſaron ἄρον, bulboſa herba eſt, quæ inter ſerpentarias annumeratur. Quidam ob ſimilitudinem idem atque vnum ſimplex eſſe retulerunt Aron, & Dracontium, quod ex Dioſco. cognoſcitur deſcriptione differri, diuerſúmque eſſe vtrunque & figura, & viribus.

Argentum viuum manifeſtum, quod mercurius appellatur: antiquorum vſu eſt aqua viſcoſa, ſubſtantiæ ſubtilis, albæ, tinctæ, per calorem temperatiſsimum: vnita tali vnione per minima, quouſque humidum temperetur à ſicco, ſiccum æqualiter ab humido, vſque dum calidum contemperetur à frigido, & frigidum æqualiter à calido: nomen quoque ſumpſit Mercurius à planetarum inſtabiliſsimo Mercurio. Et hæc Geber de Argento viuo.

As vel aſsis duodecim vnciis, quæ libra Romana eſt, conſtat. hac ſiquidem medici pro libra, non ea, quæ eſt ſexdecim, necnon myropolæ in pharmacorum exhibendorum menſura, vel pondere vtuntur. Partes autem eius ſunt duodecim: deunx, vndecim: dextans, ſeu decunx, decem: dodrans, nouem: bes, octo: ſeptunx, ſeptem: ſemiſſis, ſex: quincunx, quinque, triens, quatuor: quadrans, tres: ſextans, duo: vncia, vnum.

Aſſarius, ponderis genus eſt, & habet in ſe binas drachmas.

Aſa, quæ duplex eſt, fœtens & odorata, quæ pro liquore Syrenaico Gal. vſurpatur: myropolæ Benzoin appellant: verùm quæ fœtet, Aſa ſimpliciter authoribus ſcribitur. Nam cuius odor eſt acceptus, Laſer, aut Laſerpicium nō eſt. Quære dict. Laſer, & Laſerpicium.

Aſarum ἄσαρον, Bacchar olim Gallis, vt Italis, vt author eſt Vergilius, dicebatur: nunc quidem ſyllabarum inuerſione vulgus Cabbarat, vocat. Quære dict. Baccharis.

Aſellus ὀνίσκος piſcis, ſpecie quidem duplex, maior ſcilicet, & minor: vulgò Merlus, & Merluche, quibus Britannica Anglia abundat. Sic quidem ab aſini colore, vt Varro ſcribit, piſcis vterque eſt dictus. Febrientibus recens captus, & eſus, non minùs ſaluber, referente Galeno, quàm quiuis alius ſaxatilis piſcis.

Aſelli, vermiculi ſunt, qui Dioſco. millepedæ vocantur, ſub aquariis vaſis ſtabulantes, multis pedibus nituntur, & contacti re aliqua contrahuntur in orbem, ac ſi cōuellantur. Qua verò experientia venerint in medicinæ vſum non facilè dictu eſt, niſi qui legerit Dioſc. lib. ij cap. xxxiij. Galenum lib. vij. Compoſ. pharmac. Actuarium li. v. & Syluium de medicina ſimplici libr. j.

Aſtyllis ἀςυλίς, lactucæ latioris genus, ſine caule, quòd ob inſignem frigiditatē Veneri reſiſtere maximè creditur: vnde & Eunuchion, Spadonium, à nōnullis eſt appellatum. Columella lib. x. Quære dict. Lactuca.

Aſylla herba eſt, qua ſibi medentur pecora, ſi quādo Anagallidē fœminā imprudenter deguſtarint: Latinis Ferus oculus habet nomē, vt ſcribit Pli. lib. xxvj. cap. xiij.

Aſcarides ἀσκαρίδες, tertij generis lumbricorum ſunt, breues ac tenues, vermibúſque ſimiles. Horum magna interdum copia in hominibus ac iumentis cibum ineptè concoquentibus apparet, qui in extremo longaone potiſsimùm reperiuntur. Quære dict. Lumbricorum Helminthes.

Aſcalonia

Aſcalonia cepa ἀσκαλώνια κρόμμυα, genus affine cepis capitatis, quoniam aſcaloniæ longiores capite produntur: atque harum vires cæteris cepis non ſunt inferiores. Vulgus Cibolas, & Aſcalotas vocat. Quære dict. Cepa.

Aſcyron ἄσκυρον, tertium hypericonis herbæ genus eſt: ſecundum, Androſemō: & primum, hypericon, idcirco neque perforata, ſiue tracherana myropolis popularibus appellata, Aſcyron erit: quanquam Herbariorum quidam Rutam campeſtrem ab antiquis autoribus appellatam admonent, quam poſteriores ex foraminibus, quæ in foliis apparent Perforatam nomen ei attribuunt, nullam inter ipſas diſtinctionem facientes, quod eaſdem vnam arbitrentur non diuerſas, decepti Dioſcoridis deſcriptione.

Aſcites ἀσκίτης, fit cum inter membranam peritonæum, & inteſtina plurimus aquoſus humor coaceruatur. Sic dicta, quòd vtris modo locus qui eſt intra peritonęū & inteſtina aquoſo humore impletus videatur. Huius ſpeciei hydropiſis meminit Horatius his verſibus:

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor. Quære dict. Hydropiſis.

Aſthma, eſt cum ob craſſorum humorum ac viſcidorum multitudo pulmonis brōchiis fuerit infarcta: aut tumor quiſpiam abſceſſui ſimilis in ipſo ſi conſtiterit.

Aſthmatici ἀσθματικοὶ, ſunt qui citra febrem frequenter reſpirant, vti adſolent qui velociter cucurrerunt: hi & anheloſi, & ſuſpirioſi dicuntur: quemadmodū & malum ipſum aſthma vocatur. Eoſdem etiam propterea, quòd thoracis corpus penitùs rectum habere cogūtur ob ſuffocationis formidinem, orthopnoicos appellamus: paſſio verò ipſa orthopnœa dicitur: dyſpnœa omnis difficultas ſpirandi eſt: propriè tamē eſt ea difficultas ſpirandi, quæ propter craſſos, & viſcoſos humores bronchia pulmonis obſtruentes accidit, vt placet Gal. lib. vij Secundum locos. Facilè autem inuicem hæ paſsiones diſtinguuntur: nam deſtillatio etiam ſanis ex manifeſta cauſa repentè accidit, in totum ferè citra febrem, cōcomitantibus etiam propriis deſtillationis ſignis. Si verò tumor abſceſſui ſimilis in pulmone fiat, neceſſariò febris conſequitur: neque ita diu poſt, inflammatione in pus tranſmutata, pus reiicitur cum tuſsi. Si autem crudum tuberculum gignatur, hi neque grauitatem magnam ſentiunt, neque difficultate ſpirandi admodùm infeſtantur. Qui propriè aſthmatici & orthopnoici appellantur, in totum febrem non habent, grauitatis verò ſenſus eis contingit, neque quippiā purulentum per ſputum reiectant.

Aſclepias ἀσκληπιὰς, non eſt hederacea herba Græcis medicis χαμαίκισσος, dicta, triuiali vocabulo hedera terreſtris, vt placet quibuſdam: ſed quæ Seguſianis populis peſtifuga vocitatur, quòd aduerſus peſtis furores legitur. Quære dict. Chamæcythus, & Hedera. Aſclepiadem Dioſcorides depingit ita: Aſclepias ramos emittit longos, folia hederæ longa, radices numeroſas, tenues, odoratas: floris virus graue: ſemen Securidacæ naſcitur in montibus. Galenus huius vires non expertus eſt.

Aſpalathus ἀσπάλαθος, roſæ hyericonthis frutex aliquibus ſuſpicatur. Manardo autem arbor nobis incognita, quæ Arabibus Darſiſahan profertur, vt Santhali ſpecies, quod Braſs. negat. Sed conſideret Lector, Santhalum quoduis frigidæ, & ſiccæ eſſentiæ eſſe: quòd ſi quod aliud admittitur, ſuppoſititium quidem eſt: contrarias verò habere vires Aſpalathum negabit nemo. Proinde gemina Aſpalathi in Dioſco. deſcriptio maris Roſmarinum vulgaribus dictum, repræſentat. meminit poſt Ser. Largum, Columella lib. rei ruſticæ vj. capit. decimoſeptimo, in hæc verba: Venena depellit vipere Symomanum trifolium, quod inuenitur in confragoſis efficaciſsimum, odoris grauiſsimi, neque abſimilis bitumini: idcirco Græci eam aſphalton ἄσφαλτον appellarunt: noſtri autem propter figuram Trifolium acutum: Rhomanenſium Allobrogum vicinia aſphalto trifolio abundat, vt in Lyguria montes, ſi Largo credimus.

Aſparagus ἀσπάραγος, duplex reperitur, hortenſis ſcilicet, & ruſticana planta, nomine alio Corruda. Orminum Atticè appellari vult Geſnerus. Eſt & Aſparagia ἀσπαραγία, quam vertit Gaza Corrudaginem è Theoph. nomenclaturam Dioſcoridis ſequutus li. ſecundi, cap. cxviij. Galeno Aſparagus petræus, aut myacanthinus vocatur: cuius abſterſoria vis eſt citra manifeſtam caliditatem aut frigiditatem: renibus & iecinori radix & ſemen vtilis.

Aſphaltos & aſphalton bitumen eſt, optimum nigrum, & ſubſplendeſcens: dum aquis innatat molle: cùm ſiccatum eſt, pice ſicca durius efficitur. Verum bitumen in mari mortuo, ſtagno ſalſo in Cœloſyria, id eſt, caua Syria, prouenit. Hoc mare abyſſus eſt Gomorrhæ, & Sodomæ vrbium diuinitus ſubuerſarum. Dioſcorides Iudaicũ bitumen, quod præfert cæteris appellat: nigrum & ſordidum non probat, tanquam vitioſum & inualidum. Naſcitur & bitumen alterum circa Epidaurum nomine piſſaſphalthos, quod miſtam bitumini picẽ redolet. At Babylonica Naphtha bituminis colamem, colore candidum: ſed & nigrum quoque colore inuenitur. Vis ei ignium rapax, ita vt ex ſpatio protinus in eam tranſiliant. Hæc ad ſuffuſiones oculorum, & albugines vtilis. Omnis autẽ bituminis facultas eſt, glutinare, diſcutere, & emollire. Petes cætera ex ipſo Dioſcoride li. j. cap. lxxxv. Gal. li. xj. Simpl. med. prope finem docet bitumen hoc omne reficcare & excalfacere in ſecundo ordine. Merito itaque eo vtuntur chirurgi, populareſque medici, ad glutinationes vulnerum cruentorum, quę exſiccari debent cum leuiuſcula excalfactione.

Aſphodelus ἀσφόδελος, haſtula regia, ſiue Albucum eſt à caule inſigni ex multis radicibus bulboſis emicante, quibus agnatis abundat. Nunc porcorum cibus, olim hominum, muribus venenum. Autumno legitur, cùm valet plurimum. Dioſc. li. ſecundo, cap. clxj. Galenus li. Simpl. vj. ait eſſe facultatis Aſari, Ari, & Dracontij vtriuſque: nempe extergentis facultatis, proinde vſta radix alopecias ſanat, quia potentior.

Aſpis, inter ſerpẽtes venenatas nominatur, cuius corporis longitudo à tribus cubitis ad quinque protenditur: cute liuida, & oculis coruſcaatibus apparet, & collo prætumeſcente, Nicandro & Strabone authoribus. Si quem vulnerat, tabe repentina conficitur, & membra frigore ſtupefacit, ſingultu aſsiduo, vehementique dolore excruciat, & ſomni tandem profunditate ſopitus moritur. de quo Lucanus poëta:

Hic quæ prima caput mouit de puluere tabes:
Aſpide ſomni feram tumida ceruice leuauit:
Plenior huic ſanguis, & craſſi gutta veneni
Decidit, in nulla plus eſt ſerpente coactum.

Eſt prætereà & aſpis alter, cubitorum duûm longitudinem adæquans: cuius cutis aſpera atque arida, oculos non in fronte ſed temporibus & natura hebetes habet: atque auditũ expergiſcitur: neque minor quàm in cæteris veneni facultas experitur: huic aduerſatur antidotus Andromachi, & Zopyri Theriacæ.

Aſplenium ἀσπλήνιος, quibuſdam Ceterach creditur, eſt herba foliis ſcolopendrę vermi non diſsimilis, quæ vulgaribus Argentina, id eſt, Ceterach myropolis vocatur: Dioſcoridi Scolopendrion, longéque diſcrepat à Lingua ceruina herba vulgò ſic appellata, quæ Dioſc. Hemionitis eſt: Quære dict. Scolopendrium, & Hemionitis.

Atheroma ἀθήρωμα, ex abſceſſuum genere quidem, eſt: vt Teſtudinem appellemus tumorem hunc vt mollem, non vſque adeò durum, ſatis tamen magnum, in quo pinguis materia tunica quadam obtecta continetur, quæ caluariæ ita hæret, vt ipſam plerunque vitiet. Hoc ergo non eſt dubium de numero eſſe abſceſſuum ſub meliceride, contineri: ſed tamẽ ad meliceridem magis attinet. De quibus ſingulis quære dict.

Aſter Atticus ἀστὴρ ἀττικὸς, neque Eringium, neque Centum capita Pli. neque Aſpergula, quæ minor eſt, videtur: verùm recentioribus quibuſdam Inguinalis, Bubonium, & Alibium imaginatur, Dioſcoridem ſequutis libro quarto, cap. cv. cuius verba hæc ſunt. Aſter Atticus, ſeu Inguinalis, cauliculus lignoſus, florem in cacumine habens purpureum, luteúmve, & in ambitu diuiſum, authemidis modo, capitulum: ſed ea quæ ambiunt folia, ſtellæ modo radiata, oblõga, hirſuta. Quibus ſit remediis

poſt

poſt Dioſc. Gale.lib.vj.Simpl.docet Bubonium non tantùm ob id vocari, quòd illitum,ſed etiam quod ſuſpenſum bubonas ſanare credatur:habet verò quiddã etiã digerens,vt miſtæ ſit potentiæ,vti roſa,verùm id non aſtringit.

Aſter Samius,terræ ſpecies ad varios medicinæ vſus,quæ in Samo inſula effoditur:præfertur quæ candida,leuis,tangenti linguæ glutinis modo adhæreſcens, mollis,ſuccoſa,friabilis.Duæ enim ſpecies eius. Galenus Samiam terram egere lotione negat:ſed vtimur altera eius ſpecie magis,qui After Samius eſt, ad ſanguinis expuitiones vndecunque obortas,velut etiam Lemnio ſigillo,terra ſigillata vulgaribus appellata.Eadem vi iuuant hæ omnes ſanguinis ex vtero profluuia, & vocatum fluxum muliebrem.Dioſc.lib.v.cap.xciiij.Galenus Simpl.libr.ix.cap. de Terra Samia. Nos cætera proſequemur in dictione Terra.

Attractilis ἀτρακτυλὶς, ſpina eſt ex cnici genere,cartamo ſimilis:cuius rura flore pro croco vtuntur,myropolæ verò ſemine ad placendas purgatorias conficiendas: cui diacartamo nomen tribuunt. Attractilis alter,Carduus benedictus neque eſt, neque ei vires repræſentat ſimiles.Quære dict.Cnicus,& Cartamus.Galenus Attractilida cnicum agreſtem ex ſpinarum genere eſſe ſcribit:cuius facultas eſt deſiccatoria, & modicè digeſtoria,ex lib.vj.Simpl.

Aſtragallus,ſiue os baliſtæ,talus pedis eſt:cui calcaneus,ſeu os calcis adiunctum eſt,vt author eſt Gal.in libello de Oſsibus:& in Anatomicis adminiſtrat.

Aſtragallus planta, montanum cicer, & ruſticum rura vocant: nonnunquam etiam ſylueſtres Serras,vt memoriæ proditum eſt à Ruellio de natura Stirpium.lib. iij.cap.ciiij.

Attonitus morbus qui Latinis, Apoplexia Græcis dicitur:teſtimonio Celſi vel citiſsimè moriuntur attoniti,vel in reſolutionem tranſeunt.Quære dict.Apoplexia.

Atra bilis,veluti fęx eſt ac ſedimentum ſanguinis:ideóque colore,vt nomen ſatis indicat,nigra.Ab ea expurgari iecur neceſſe eſt,ideóque inſtrumentum quo eiuſmodi humor expurgetur,natura lienem condidit.Qui ſi minùs,quàm iuſtum ſit,atram ad ſe bilem trahit,vt ſanguis impurior,ſic totum corpus redditur magis decolor.Porrò atra bilis inertes,ſubdolos,auaros,moroſos,perfidos,triſtes,inuidos, timidos,& puſillanimes reddit.Galenus Locorum affectorum lib.iij.cap.v.de atra bile hæc refert.

Atra bilis ob ſubſtantiæ varietatem non obſcuras habet differẽtias: nam alia eſt veluti fęx ſanguinis,quæ admodum ſpiſſa eſt,fęcibus vini craſsioris haud abſimilis. Alia verò,quam ſuperior,eſſentiæ eſt multò tenuioris,atque vomentibus eam, & olfacientibus,acida videtur,quæ etiam terram radit,attollit, & fermentat : atque ampullas quales feruentibus iuſculis ſupernatare videmus, excitat. At ea, quæ ſimilis fęci craſſæ eſt,in terram effuſa, non inducit feruorem, niſi fortè in ardente febri, ipſam præaſſari contingat neque vlla etiam acida qualitate participat: cuius nomen melancholicus ſuccus,aut ſanguis eſt. Quære Gal.lib.de Atra bile.

Atriplex ἀράφαξις, herba arrochia eſt hortis & ruderibus notæ vulgaris, quod vna hortenſis,altera ruricola legitur.Inter has ſpanachium vtrunque adnumeratur, agreſte ſcilicet & ſatiuum:agreſte diuo Phyacro tribuitur:Græco autẽ nomine Chryſolachanum,quaſi plus aureum,coniecto Io. Agricola, appellatur. Spanachium nobis hodie olitorium,non ex Atriplicum genere nihil differre videbitur:quoniam inter lactucas minùs conuenit,Manardo hæc ambigente,lib.ix.Epiſtola iij. Dioſc.lib.ij. cap.cxij. Atriplex vtraque Galeno,humida & frigida temperie eſt. humida quidem ſecundi,frigida verò primi ordinis eſt:quæ,cuiuſmodi roſis,qualitas teporis eſt.

Attractrix facultas,eſt quæ cõuenientem particulæ ſuccum appetere,& attrahere poteſt.Conueniens autem & familiaris cuique particulæ ſuccus eſt, qui maximè vt huic aſsimiletur,atque adeò vt inde alatur eſt accommodus. Hæc itaque facultas materiæ copiã,ex qua quæuis particula nutritur,ſuppeditat,vt inde alteratrici famuletur:nã rebus omnibus attrahẽdæ familiaris facultas ineſt. Gal. Natur.facult.lib.j.

Attrahens facultas,eſt quæ ſuccos ex alto vehementiùs euocat, vt calidum tenuium partium in dictammo,thapſia,ſagapeno,fimo colũbino,& huiuſmodi.

Atrophia,nutrimenti penuria eſt,ſiue defectus & indigentia,propter quam corporis membra nutriri non poſſunt,neque habere augmentum:quod contingit non ſolùm animantibus,verùm plantis etiam ipſis.Gal.lib.j. Metho.Non omnis mutatio, inquit,ab eo quod ſecundum naturam ſe habet,ad id quod præter naturam eſt, morbus cenſetur,ſi modò permanentia illi adſit? At coloris tam vitium,tum atrophia, in quo corpus non nutritur,ſymptomatis,nequaquam morbis adnumeretur. Sũt præterea affectus qui ad totum oculum videntur pertinere,vt ἀτροφία,quaſi nullius nutrimenti membrum dicatur:qui quoties fit, totum oculum minorem,humilioremq;, hoc eſt,depreſſum magis reddit.Celſus imminutum oculum.Fit & è contra,vt nimis promineat, ἐκπιεσμὸν, vocat AEgy.vulgares medici,Exitũ.Manar.Epiſt.li.vij.Epi.ij.

Attagen & attagena ὁ ἀτταγὴν,& ἀτταγᾶρ, Beccaſea auis noſtras:magnitudine pullaſtræ adoleſcentis,roſtro oblongo,curſu celeri,ſed volatu breuiſſimo.In Galliis, Allobrogibus,& Seguſianis frequentiſsima:& inter cibos menſæ lautioris repræſentatur:tamen intrinſecum nonnihil habet,quo ſuccus ſanguinem minimè laudabilem veſcentibus generet.Scholiaſtes Attagenam pro Gallinagine,id eſt,Scolopace vſurpauit, ſequutus Poëtę Nemęſiani deſcriptionem,inquientis.

Cùm nemus omne ſuo viridi ſpoliatur honore,
Fultus equi niueis ſyluas pete protinus altas
Exuuiis,præda eſt facilis & amœna Scolòpax,
Corpore non paphiis auibus maiore videbis.
Illa ſub aggeribus primis,qui proluit humor
Paſcitur,exiguos ſectans obſonia vermes.
At non illa oculis,quibus eſt obtuſior,etſi
Sint nimium grandes,ſed acutis naribus inſtat,
Impreſſo in terram roſtri mucrone ſequaces
Vermiculos trahit,& vili dat præmia lingua.

Quære dict. Gallinage.

Augmentum,ſeu incrementum αὔξησις,ἐπίδοσις,& ἀνάβασις,eſt id quod ſtatim poſt morbi principium incipit,& ad vigorem vſque durat:quod inter ipſum & declinationem Status eſt.Sed morbi augmentum,eſt ex hora in qua fit acceſsio, & longitudinem eiuſdem,& magnitudine depræhenditur.

Auctio,eſt ſolidarum partium animalis incrementum,ampliatióque, in longũ, latum & profundum:& acquiſitio maioris,molis corpori intrinſecus ab alimentis.

Auctrix facultas,ea eſt quę ampliat in longum,latum, & profundum: hæc vbi perfectam magnitudinem animal eſt adeptum,toto poſtquam editũ eſt tẽpore, vſq; ad ętatis vigorem dominatur.Auxiliatrices & veluti miniſtræ eius ſunt, alteratrix, & nutrix facultates:de quibus ſuo loco tradimus.Gal.lib.j.Natural.facult.

Auellana,& antiquitus Abellina,κάρυον ποντικὸν,& λεπτοκαρυὸν,nux ſiue fructus Coryli arboris in Ponto exuberantis:vnde traxit nomen Pontica nux,Romanis.Nux auellana ſtomacho infeſta eſt,quia ægerrimè conficitur, toſta tamen & eſa ſemen auget: quapropter Veneri dicata traditur:ſed pota tuſsi veteri non minùs mederi videtur. hæc, atque alia ex ea Dioſcor. libro primo,capit.cxlij. Galenus libro ſeptimo.Simpl.Eſt & aliud genus nucum Ponticarum plus habens eſſentiæ terreſtris ac frigidæ,cætera magnæ nuci ſimiles,quæ Iuglandes Latinis, καρύον βασιλικὸν Græcis.

Auena βρομός. AEgilops Galeno,quam Geſnerus pro ſterili auena,id eſt, feſtucagine verſore Gaza,vſurpat,digerendi vim poſsidet,id quod ex guſtatu depræhẽditur,leuiter enim eſt acris,quòd phlegmonas induratas & ægilopas ſanat: febriẽtibus in pulmentis miniſtrata calores vehementiùs accendit:ob id iumentis, non ardoribus autem infeſtis hominibus,exhibenda.

Auricula muris μυὸς ὠτὶς, & μυὸς ὦτα, vel vt Latinis, quæ iam vox vſitatior , Myoſotis : ea eſt,quæ nomine altero Alſine profertur , non autem

Mater

Materſylua,ſiue ſyluana,aut caprifolium.Quidam vulgares medici ſimpliciũ ignari hanc plantã pro Anagallide vſurparunt figuræ vicinitate decepti.Ad quid hæc faciat,docet Dioſc.lib.ij.cap.clxxvj. Galenus Simpl.lib.vj.Alſinem vocat.

Auriculam muris,dicítque Helxines,id eſt,parietariæ,ſimiles obtinere vires,nẽpe refrigerantem,& humectantem:eſſentiæ enim aqueæ eſt.

Aureus myropolis,pondus eſt drachmæ vnius & ſemis. Dauich Arabibus, granorum ſex pondus:Kirath verò trium.

Auris vtraque in temporum ſita eſt,& ſub vtriuſque foramine particula mollis ſuſpenſa:quæ fibra ſeu auricula à Valla dicitur,ſuperior verò pars, pinna: verùm in vtraque naſi parte ſub oculis quidem Concaua ſic dicta,ſita ſunt.

Aurium dolor,ὠταλγία,eſt qui vel inflammatione,vel vlcere, vel abſceſſu, vel alia quapiam cauſa fit:cuius propinquus affectus δυσηκοια eſt,hoc eſt, difficilis auditus,reſpondétque κὼφωσις,ſeu ſurditas,quæ vel à primo ſtatim ortu,aut poſt, accidit Galeno lib.iiij.locorum affect.cap.iij.

Aures vermiculantes σκωληκιῶντα ὦτα,in auribus tetrum mali genus eſt,vt nõ aliter quàm ex corrupto cadauere,illic prodeuntes vermes videre liceat.Exit ex aure interdum vtraque modò ſanguis, modò pus, modò vermiculi αἱματτόμενα ὦτα AEgyneta:πυῤῥοῦντα Galenus:Dioſcorides autem ἰχωῤῥοῦντα:tertiũ σκωληκιῶντα, vocat:Latini hoc vltimum verminoſas aures. Creſcit in eis caro, & vocant Græci ὑπερσαρκῶντα.Deeſt aliqua eius pars,& κολοβώματα idem AEgyneta, Celſus curta.Tumores poſt eas naſcuntur,& παρωτίδας vocant.

Aurium ſibilus,eſt qui & ipſe ſub ſymptomatis genere continetur:eſt enim operatio auditus corrupta.Fit autem ex alio ſymptomate,hoc eſt,à motu inordinato,fumorum in meatibus ad inſtrumentum proprium auditus pertingentibus, occluſis, atque vt ſequens eſt,à morbo in eis exiſtente. Manardus lib.xiiij.Epiſt.iiij.

Aurigo ἰκτερὸς,inquit AEgyneta,eſt effuſio bilis vel flauæ,vel nigræ in totum corpus,quæ redundat:regium morbum & arquatum Celſus: Plinius fellis ſuffuſionem:ſunt qui auriginem,ab auri pallore medicorum vulgus ictericiam.

Aurium vehementiſsimis vlceribus ferri ſcoria tonſa tenuiſsima, cum acerrimo aceto roſaceo ad mellis ſordiúmque craſsitudinem cocta auxiliari docet Galenus Meth.med.libro quinto.Nam auribus ſanandis vehementiſsimè ſiccantia adhibẽda, quippe audiendi locus ſicciſsimus:tum quæ oblectent medicamenta aures:earúmque dolor,de Sympt.cauſis,& de Different.febrium libro ſecundo. Galenus cap. decimo-tertio.

Auſterum atque acerbum,vtrunque ſcilicet adſtringit:ſed magis acerbum, qualis omphacia galla:auſtera ſunt multa,vt mali punici genera, atque cotonea mala, ac reliqua non pauca menſis apta. At adſtringentia vocata in idem cogendi ac ſtipandi, non detergendi, neque purgandi facultatem habent:atque ipſorum vſus ſiccitatibus maximè contrarius,ſiue ea cibi ſint,ſiue potiones,ſiue medicamenta. Meth. med.lib. vij.& locorum affectorum lib.ij.cap.ij.Galenus.

Auſter, à meridie ex tempeſtatibus ventus eſt egelidus, Aquiloni maximè contrarius: & quas ſecum afferat ægritudines, hæ ſunt: aures hebetat, ſenſus tardat,capitis dolores mouet, aluum ſoluit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum. Cæteri venti quo vel huic, vel illi propiores ſint, eò magis vicinos his, illisvé affectus faciunt.

Aquilo, tuſsim mouet, fauces exaſperat, ventrem aſtringit, vrinam ſupprimit, horrores excitat,item dolores lateris & pectoris. Sanum tamen corpus ſpiſſat.

Autumnus partium anni longè periculoſiſsimus, at ſaluberrimum ver eſt: proxima deinde ab eo hyems,ſed periculoſior æſtas. Ex tempeſtatibus verò optimæ æquales ſunt,ſiue frigidæ, ſiue calidæ:peſsimæ autem, quæ variant maximè, quò fit vt Autumnus plurimos opprimat:nam ferè meridianis temporibus calor,nocturnis

atque matutinis,ſimúlque etiam veſpertinis frigus eſt.Ex Hippocratē Celſus.lib. ij. cap.primo,atque ex Hippocrate Galen.Aphoriſmo.lib.iij.per totum.

Autumnus à vere hoc maximè diſsidet, quòd mediam temperiem & æqualitatem perpetuò non ſeruat: quippe meridie eſt multò calidior,quàm mane aut veſperi.Sed frigidus non adeo ſi per ſe ſpectetur,quam ſi cum æſtate collatus, frigidior appareat: ſed neque tamen temperatus ac ver depræhenditur: tametſi mortiferum autumnum maximè facit ipſa inæqualis intemperies, ob id quoque peſtifer, & letifer à poëtis deſcribitur.Neque tamen autumnus, calidus abſoluto ſermone,neque frigidus,quippe cum vtrunque habeat,ac ad ſummum neutrum. Temperamentorum lib.j. Galenus.

Auripigmentum rubrum,Serapioni Sandaracha eſt: Chymiſtis verò Arſenicū rubrum, vt croceum Auripigmentum quoque videtur. Scribonius Largus diſtinguit Sandaracham ab auripigmento cap.centeſimodecimoquarto: contra torminoſos & cœliacos:Dioſcoridem ſequutus libro quinto,capit.ſeptuageſimo,& vno. libr. item vj.cap.vigeſimonono,in quibus facultates medicatorias,& vires veneno plenas exprimit.Galen.ix.Simpl. Archenicum more veterum Auripigmentum appellat, facultatis cauſticæ ſiue vrentis eſſe tam combuſtū, quàm vſtionis expers: atque exulcerans eſt. Vide Arſenicum.

Aurora,tempus eſt ante Solis ortum quo cœlum ſplendere incipit,hoc eſt, circa horam ſextam matutinam, ad exhibenda ægrotis, & ſanis medicamenta liquidiora,ſupputatum.

Auditus in ſenſu impeditur, cùm quicunque affectus in aurium oculis obiecta concauitate,oriuntur:neque rationali inueſtigatione egent:illæſo verò apparente aurium foramine, ſi audiendi facultas læditur,ſimili via & ratione inquirendæ ſunt notæ. Vbi enim præter hanc nihil læſum eſt,neruum proprium affectum eſſe, non abſurdè coniicimus. Gal. Locor.affector.lib.iiij.cap.iij.

Aurum,metallorum puriſsimum & temperatiſsimum,in foliola & velut bracteolas detractum inter chartas lateſcit:eóque vtuntur medici poſteriores ad naturæ robur, & affectus melancholicos, quamuis in eo principiorum miſtio ſit firmior, quam vt à calore noſtro poſsit diſſolui. AEquius multo chymiſtica arte ſolutum, & potabile exhiberent,medicinam lætificantem, & corpus conſeruantem iuuenilibus viribus reparandis,quàm vel in bracteas,vel pollinem in catapotia ſubactum proficeret,ſi,poſt Geberum, Ficino credimus.

Auxilium,quod ad hominis ſalutem conſtitutum eſt,dicitur:compoſitum quantitate,qualitate,ordine & tempore,quibus ad curationem ex ipſis obſeruatam recordatur medicus, vnde ſequitur temperamentum, & naturalis facultas ad ſanitatem corporis humani conſeruandam;quarum rerum perdiſcendarū libris propriis præceptor eſt Galenus.

Auxilium,quo tempore iuuat ac proficit, ſicut omnis materia quæ quomodolibet corpus alterat,& impedit,ſanitati cōtrariū eſt, ita è contra,vocatur à Methodicis auxilium:vt cum homini bonum affert,prodeſt ex cauſis ſanis: at cùm malum, ex cauſis morbificis eſt. Adeò difficile tamen eſt, aliquod auxilium inueniſſe, quod citra vllam noxam profit magnificè.Id accidit ex complexione ortorum in corpore, præter naturam affectuum, vnà cum præcedentibus cauſis, & ſequentibus ſymptomatis. Atque ita quidem à temperamento ægrotantis, aut ipſius partis laborantis, auxiliorum indicatio ſumitur.

Auxilium denique eſt, vt aliquid nonnulla cum fiducia, vel cum periculo facere, quàm ſpe adempta certò perire: tantò profectò ſatius eſt potentibus præſidiis pugnare, quàm nihil agere. Sunt autem auxilia tria,quæ deplorata non ſunt: à quibus quidem principio ſeruantur omnes,per ſanguinis miſsionem,per purgationem, & per ea quæ caput,& cor roborant. In quo enim deſperata omnino ſalus eſt, imprudentis conſilij fuerit apud vulgum infamare præſidia,quæ multis fuere ſaluti:verùm iis tempora præſidiáque,quos ſeruari ſpes eſt,obſeruanda:quando ægris qui inſanabiles

biles ſunt,iis nec tempus vllum oportunum,nec præſidium vllum eſt. Gal.ex Hippo. Metho.libro vndecimo.

Axis,linea recta eſt per centrum ſphæræ acta, circunferentiæ ambas extremitates attingens,circa quam ſphæra voluitur,quemadmodum rota circa axem.

Axes conorum viſoriorum,neceſſe eſt in vno eodémque plano habere poſitionem,ne quod eſt vnum,duplex appareat. Axes hi in nobis principium habent meatus ipſos à cerebro proficiſcentes: quod oportuit eos, cum animal vtero geritur ac formatur,in vna quadam ſuperficie locari. Galenus libro decimo. Vſus partium, capit. decimotertio.

Axioma, id eſt,enunciatum ſeu propoſitionis argumentum,eſt quod ex ſeipſo ad huiuſmodi dignotionē,fidem habere videtur. Id enim quo tangente afficimur, & quo ſeparato quieſcit affectus,cauſam eſſe,apud omnes homines,in confeſſo eſt. Gal. Locor.affect.lib.primo.

Antirrhimum Dioſcoridi,aliis anarhinum vocatur: herba eſt caule & foliis Anagallidi ſimilis, flore albæ violæ, purpureo:ideóque ſylueſtris Anagallis nominata eſt: ſemine vituli narium ſimili. Vide plura apud Ruellium.

De litera B.

BAcchar, & *Baccharis* βάκχαρις, id Dioſcoridis Aſarum eſt, & Virgilij Poëtæ: quod inuerſo nomine Chabara paſsim enunciatur. Interdum etiam Baccharis vſurpatur pro verbaſco herba ſtolonos ab vna radice quamplures producente: quæ officinis Herbariorum Chyrotecæ diuæ Mariæ, appellari ſolita eſt. Nam Baccharis huius radix Veratri nigri ſi æmula, cinnami tamen odore eſt: verùm quæ Aſari, exilis eſt: & per anfractus nodoſa, Nardi odore. Folia illi ſcabra vt violæ nigræ, & Verbaſci magnitudine: huic planè leuia, & herbacea, prorſúſque hederacea. Illa ramoſa, cubitalis: hæc folioſa, & humilis. Vtraque rei medicæ in vſu eſt. Ex Ruel. hæc I. Agric. Quære dict. Aſarum.

Baccharis, Doronicum Rom. eſt: atque ex Dioſco. fruticoſa herba, folia habens aſpera, violam, & verbaſcum ſequens, & ſubrugoſa cum caule anguloſo & cubitali, aliquantulum aſpero: flore luteo, violæ haudquaquam ſimili, & inodorato: ex cinnamo eius radix nonnihil retinens. Huius facult. apud Dioſcorid. libro tertio, capit. quadrageſimotertio, petes. AEgyneta libro ſexto, de Simpl. herbæ huius radicem decoctam aperitiuam eſſe docet, vrináſque, ac menſes muliebres ciere: necnon adſtrictoriam vim occultam habere: & folia cohibendi fluxiones. Cuius herbæ totius nullibi (quod ſciam) meminit Galen. Manardus libr. noni, epiſtola tertia, Baccharem Dioſco. & Vergilij ignorauit, & ſi regionibus noſtris vulgatiſsima eſt. Sicuti interdum apud veteres medicinæ authores Bacchar pro herba ſumebatur, ita nunc quoque pro Lydio vnguento, præſertim apud Hippocr. accipi tradit Galenus.

Bacca μαργαρίτις, gemma candida, & baccæ viſci arborum more pellucida, rotundáque, non glutinoſa: quam ſanè vnionem, & perlam dicimus. Huius meminit Plinius libro decimoſexto, capit. decimo, atque apud peritiores medicinæ authores vſus ad cor corroborandum eſt frequentiſs. Quære dict. vnio.

Bacca, τὰ ἀκρόδρυα, continent intra ſui nominis ambitum fructus diuerſorum generum, laurus, oliuæ, corni, myrti, & aliorum huiuſmodi. Differunt ab acinis, quòd acini denſiùs naſcantur, vt in vuis: baccæ verò diſperſius, & rariùs. Corymbi autem hederę vtriuſque, nigræ videlicet & albæ, inter Baccarum genera non numerantur. Plinius libro xv. capit. decimoquarto. Authore Dioſcor. Baccarum laurus, neque cæterarum arborum, meminit libro primo, capite nonageſimo.

Balanus multiplex eſt, myrepſica μυρεψικὴ βάλανος, vulgus officinarum Bem nominat, id eſt glandem vnguentariam. Myrobalanus quoque Plinio dicta, quia ex Barbarica regione iam olim allata ad nos, hodie frequens eſt. Hæc cùm hydromelite pota drachma vna, vomitoria eſt. Vide plura apud Syluium lib. primo de medicam. ſimpl. natura. Item poſt Dioſc. Galen, ſimpl. libro ſexto. Recurre ad dictionem Myrobalanus.

Balauſtium βαλαύστιον, ſylueſtris mali punici flos creditur: ſatiui verò flos citinus. Nam poſtquam arbor florere deſiit, fructus ipſius apparet in mali punici ſpeciem figuratus. Vtriuſque arboris flores à medicis ſeculo iſto cum Plin. Balauſtia vocitantur. Dioſc. lib. j. cap. cxxvij.

Balani

Balani Sardian i βάλανοι σαρδιανοὶ Græcis olin: nos nunc Caſtaneas vulgatas dici cimus. Primum enim Sardibus creduntur proueniſſe referente Plinio, decimo-quinto libro, cap. vigeſimotertio: Cæterùm Balanitis genus caſtaneæ rotundius, & maximè purgabile, ſponte proſiliens: à rotunda glandis effigie ita appellatum. Sed quæ ſit Balanitis docet Plinius lib.xv.cap.xxiij.

Balanites βαλανίτης, gemma ſubuiridis eſt, & Corynthio æri perſimilis, ſecante mediam flammea vena, author eſt Plinius lib.xxxvij.cap.x.

Balanus, βάλανος, generale nomen ad omnia continens, quæ apud medicos glandis vocabulo compræhēduntur. Præcipuè tamen hoc nomen Dactili aſſumunt, & oliuæ, & ſuppoſitoria medicis vocitata, & ſi qua ſunt alia, quæ nucleos intus habent. Atqui Balanus myrepſice, βάλανος μυρεψική, fructus eſt arbuſculæ Myricæ ſimilis, magnitudine nucis auellanæ: ex cuius cortice liquor odoriferus erumpit, quem vocant oleum Balzanimum. Sunt qui ſuſpicantur glandem eam eſſe, quam vulgò Nucem moſchatam vocant, quod verum non eſt: nam glans myrepſica eſt intus lignoſo oſſe, quo moſchata nux caret, veteribus parum nota. Glans autem myrepſica nux vnguentaria eſt.ex Dioſcorid. & Pli.lib. xij. cap.xxj. Quære dictionem Myrobalanus.

Ballote, βαλλωτή, marrhubium nigrum eſt, ſiue putidum, nemini non cognitum: pracium fœtens alioqui dictum: At verò Muſa Anthonius Braſſanolus ex Dioſcoride illam ſuſpicari herbam ait, quæ noſtris vrtica mortua, id eſt, inexpungens declamatur: cuius folia vrticæ ſimilia, ſed non pungentia aut adurentia. Nam albo, hoc eſt odoro pracio ad ſerapiorum, cataplaſmatum, & emplaſtrorum medicamenta vtiliter vtimur. Præter cæteros medicinæ ſcriptores, quære Dioſcoridem libro tertio, capite centeſimo: deinde dict. Marrhubium. poſt Gale. Simpl. Medic.lib.viij.

Barba hyrcina τραγοπώγον, Theophraſto delinitur radice longa, dulci, folio croci longiore, caule paruo, quo ſuper calix latus & barbula, quæ ſummo in vertice incana & prolixa funditur: vnde illi nomen inditum: atque apta eſui eſt. Dioſc. lib.ij.cap.cxxxvij. Ruellius lib.ij.cap.lxxvj.

Barochum, hoc eſt, Apiſugium, quam herbam Cordus diuinat Galiopſim eſſe. Brunſelſius verò pro galliopſi herba Scrophulariam, hoc eſt, Chelydonium minus Dioſcoridis eſſe innuit: cuius herbæ apud eundem Dioſcorid. fuſa deſcriptio habetur lib.ij.cap.clxxiij.

Balſamum, arboris nobis incognitæ lachrima eſt. Strabo libro decimoſexto, tradit de Balſamo hæc, inquiens. Hiericus eſt campus monticulis quibuſdam circundatus, vt in theatri ſpeciem declinet. Hoc in loco palmetum eſt, cui immiſta alia materies cernitur domeſtica, & ferax: palmis abundans ſpatio ſtadiorum centum, totum irriguum, habitationibúſque plenum, vbi & Regia eſt, & Balſami viridarium: quæ arbor aromatica eſt, & fruticoſa, Cytiſo & Termyntho perſimilis. Eius corticem vulnerantes lachrimas in vaſis picatis ſuſcipiunt, tenaci lacti perſimiles ac ſubinde coagulantur repoſitis in conchis. Dioſcorides aliter arborem vniuerſam depingit lib.j.capite decimooctauo. Vtrúque authorem locum Balſami adiiſſe certum eſt: ſed quanta eſt deſcriptionis in ambobus diſcrepantia viderit candidus lector, quoniam rarior in Plinio fides eſt. Balſami lachrima, fructu, foliis, & ligno caremus.

Baſilicum, id eſt, regium ocimum duum generum notitia noſtra eſt: vnum latioribus longioribúſque foliis, ſubpinguibus, odore fragrantibus: ſemine rotundiore & pleniore, quo vſus eſt Actuarius in cordis paſsionibus. Alterum veró minus eſt tum ſtolonibus, ſed fruticoſis, denſius, & ſemine feracius: at conſtat folio breuiore rotundioréque, cum ſeminis minuſculi exuberantia: verùm odoratius priore experitur, viribus quoque ſuperabundat ipſa

experientia. Interdum apud Galenum in libro Compoſitionum pharmacorum Secundum locos in vſu inuenitur. Lege Dioſcoridem libro ſecundo, capite cxxxv. Recurre ad dict. Ocimum.

Balæna, φάλαινα, vaſtiſsima maris belua, ex genere Cetorum: quam Plinius tradit in Oceano Indico ad quaternum iugerum magnitudinem excreſcere: cuius vſus in cibis eſt, ſed quàm difficilimè conficitur edentibus. vide dictionem Cetum, & Plinium lib. ix. cap. iij. iiij. & vj.

Bambacium βαμβάκιον, βάμβαξ, καὶ βαμβακίς, lanæ genus candidiſsimum, in exiguo naſcens frutice: quem nonnulli Goſſopium, plures xilon appellant. Fert arbuſcula hæc fructum barbatæ nuci non diſsimilem, quæ dehiſcens veluti in culeatum lanæ globum detegit, ex qua deinde veſtes fiunt. Hanc lanam vulgus Tomentum, ſiue Cotonum vocat. Require dict. Goſſopium, poſt Pli. libro Nat. hiſt. xix. cap. primo. Deinde Ruellium ij. lib. cap. cl.

Balneum, eſt euacuationum medicinæ quintum genus, quod quidem occurrit duplex: vnum naturale, alterum arte confectum. Primum, quod per ſe aut ſponte, aut naturaliter prouenit ſcaturitvè: ſunt & qui Thermas, quod inſit calfaciendi facultas, dicant. Balneorum autem naturalium, quædam ſalſa, alia nitroſa, nonnulla ſulphurea, alminoſáque, bituminoſa aliqua, & quæ generis varij metallorum vim obtinent ſunt non pauca. Balneorum ſaluberrima prope Chamberiacum Allobrogum veterum nobile oppidum & regionis caput, varij generis ſcaturiunt, ad infinitorum languentium ſanitatem requirẽdam. Vide Galenum de Balneorum vtilitate. Fuchſium Compoſitione Medicamentorum, capite xx. & Brancaleonem.

Balnei arte confecti apud veteres fuiſſe quinque partes ſequentibus nominibus comperitur: pars prima ἀποδυτήριον, Latinis Tepidarium, in quo balneaturi ſeſe exuebant: ſecunda pars, πυρνατήριον, & ὑπόκαυστον, noſtris calidarium, ſiue ſudatorium: tertia, ſolium calidum, ſiue labrum aut lauacrum: Gale. ἔμβασις, vel. δεξαμένη dicitur: pars quarta, frigidum ſolium: quinta, vbi ſudorem detergebant veteres. Galenus libro decimo Therap. metho. & libro tertio de Sanit. tuenda. & poſt hunc Brancaleo.

Baſilare palati os, dictum videtur, quod totius cerebri molem columellæ reſpondentem, ſuſtineat, &, niſi in Anathome, oſtendi minimè quidem poteſt.

Baſiliſcus, interreptilia ſerpens perniciofiſsimus, cuius color ad nigredinem citrino interdum colore miſto, declinat: capitis ſupremum acutum habens maculis ſparſim candidis, & rutilis intuentem oculis interficit. Longitudo totius animantis eſt ſexquipedalis Solino authore, & Plinio lib. xxix. quem AElianus eſt ſequutus libro nono, cap. decimo octauo & xix. Naſcitur in Sicilia, Italia, Allobrogum Alpinatibus, & potiſsimùm in Sirenaica regione Lybiæ prouincia. Huius animantis his verſibus meminit Lucanus poeta:

Sibilaque effundens cunctas terrentia peſtes:
Ante venena nocens latè ſi bi ſubmouet omne
Vulgus, & in vacua regnat Baſiliſcus arena.

Nicander Poeta in Theriace, & Gal. meminerunt huius ſerpentis. Galeni autem ſunt hæc verba: Nam Baſiliſcus, belua ſubflaua, & triplici apice frontis munita: viſus etiam ſolùm, conſpectúſque & ſibilo auditus, homines momento perimit. Porrò ex aliis animantibus ſi quod illum iam extinctum, iacentéque attingit, & ipſum ſubitò interit: quare omne aliarum ferarum genus propinquitatem ipſius deuitat.

Βατράχιον Dioſcoridis, vulgus Latinorum hoc ipſum Ranunculũ & pedem coruinum: Officinæ Apium riſum dicũt. Nam à colorum varietate ſic denominatum eſt Pauſania authore. Chymiſtis autem quoddam eſt Chriſocollæ genus ex diuino laticeprouenies: cui tanta eſt veneni vis, vt vel ſolo halitu incautum Phyſicum quendam, alioqui præter cætera Chymiſtam inſignem interfecerit. Poſt Cælium Rhodiginum Antiquarum Lectionum libro vigeſimooctauo, capite nono. vide dictionem

Ranun

Ranunculus: qui ſpeciatim quatuor habet differentias, Galeno teſte Simplic. medicamentorum. libro vj.

Batiria mora ſunt, quæ ex Bato, hoc eſt, rubo leguntur: non longè latéque ſerpenti & ſpinis hamatis horrido: ſed altero minori ac mitiori, mora parua, non nigra, ſed cœrulea ferenti. Hæc Syluius.

Bauractz, nitri factitij ſpecies eſt: olim quotidiani vſus in balneis & eſcis, iam vix cognitum, ob id vſu perquàm rarum. Vera autem nitri ſpuma Dioſcoridis & Galeni naturalis eſt. Petrus Belonus ait Salpetræ ſuppoſititium nitrum eſſe, quòd ſcilicet verum non ampliùs viſitur. Poſt Dioſcoridem & Galenum, quære dictionem, Nitrum.

Batis κρῆθμον, vua eſt quæ hortis colitur, Plinio Aſparagus Gallicus appellata: vulgò Bacilles, quaſi baticulas. Altera Batis criſta marina, quod ad maris littus naſcatur, in hunc diem eo nomine inſignita eſt: atque eam ipſam Bacillam ſyluestrem plerique vocant. Crethinum, & Cretanum Geſnerus appellari poſſe ſcribit. Quære Dioſco. lib. ij. cap. cxxij.

Bechium βήχιον, Latinis Tuſsilago, officinis vngula caballina, & pes aſini nominata eſt. Hæc vehementiſsimæ tuſsi ſuccurrit ſi per infundibulum fumus crematæ herbæ & radicis ſuſcipitur & deuoretur: maximè quidem ipſa radix. Farfara nonnullis poſterioribus inſignita eſt. Vide plura in dict. Tuſsilago.

Bechica medicamenta, ſunt tam quæ tuſsim excitant, vt Galenus ſimpl. medicament. capite decimoſeptimo libri ſecundi, quàm quæ eam ſedant, vt iſdem author capite primo libri quinti Simpl. & bechicæ hyppoglottides ſimiliter Galenus in lib. compoſ. med. part.

Bedegar, eſt eſchinus ille qui in roſetis concreſcit ad ſpongiæ formulam quandam natura coaceruatus, ad medicinæ vſum frequens. Quidam cardui eſſe ſpeciem, perperam Dioſcor. & Plin. interpretantes, crediderunt. Vide I. Agricolam de Simpl. medic.

Behen duplex eſt, alba, & rubra, magnitudine radicis paſtinacæ palmæ, calida, humida, odorifera, ſemen augens viris, & fœminis. Eius loco, ſi id ſolùm non poſſunt, Eryngij radicem ſubſtituit Iacobus Syluius potiùs, quàm radices neſcio quas Iaceæ herbæ albæ ſcilicet & nigræ, id eſt, Gyi, nobis ab inſtitoribus venditari ſolitas. Vide Ruellium libro ſecundo, capite centeſimo trigeſimooctauo, & dict. Geum.

Ben deſcriptione Meſues ex Syluio, & Serapionis Arabum, eſt Dioſcoridis, & Galeni nux myrepſica, id eſt glans vnguentaria. Quære dictionem Myrobalanus.

Bellis βελλὶς, pratenſis, & erratica, ac humilis herba eſt, à qua prorumpit inodoratus flos, qui mulierculis Margarita ob inſignem formæ pulchritudinem, vocitatus eſt. Medicis recentioribus Confirma minor: vtique bellis altera, Confirma media, ſiue bouis oculus βούφθαλμος, nec perperam appellationem accepit. Quæ autem maior confirma, ſiue conſolida magna, cumicis acuti folio eſt, non herbaceo, ſed albicante, & eſt radice oblongua, tereti, extra nigra, intus candida, & glutinoſa admodum, atque inſipida. Nec hæc Symphitum eſt, vt ſuo loco deſcribitur. Has tres Confirmas diſtinguit Ruellius libro tertio, capite octogeſimo primo.

Belzabard, referente Ioanne Agricola, eſt Antidotum contra veneni vim epotum efficaciſsimum & prorſus diuinum. Itaque memoriæ prodit Plinius libro octauo capite xxxij. quod ceruis cum ſerpente ſit pugna ita vt inueſtigent cauernas, nariúmque ſpiritu contrahant renitentes. Exitio ſerpentibus eſſe ceruos nemo ignorat, vt ſi quæ ſunt extractæ cauernis mandant, ſitique ardentiſsima corripiantur: hinc confeſtim fluminibus ſeſe immergentes, nulla pota aqua, animo & viribus reficiuntur. Erumpunt autem interim ex oculis lachrimæ, quæ paulatim

craſſeſcunt

craſſeſcunt,coguntur & coagulantur: atque in multam magnitudinem excreſcunt: quas poſtquàm ex aqua ſanus euaſit ceruus,deciduas homines obſeruāt & colligunt, & vt rem præcioſiſsimam inter Ceimelia meritò reponunt: atque hoc Belzahard Arabum voce appellatum.

Berberis,& ſpina vineta ὀξυάκανθα,Dioſcoridi libro primo,cap.cv.quam nonnulli pyrinam,aut pythyantem vocant: arbuſcula ſpinoſa eſt valdè, pyraſtro minor, non tamen ſimilis: bacculas profert racemoſas, oblongas, rubras cùm maturuerint, & intus nucleum veluti acinum habentes: ipſis iam maturis pro ſerapiis, cum ſacchare conditis, & per ſe aduerſus acutas febres, & ſitim vehementem ſine noxa vtimur. Non omnis regio hanc arbuſculam profert, niſi quæ lentori dedita eſt,qualis propter Seguſiorum ciuitatem Bellicium frequens apparet Vide Ruell.libr.primo cap. cvj.deinde Geſnerum de plantis.

Berberi,& berberium genus conchæ eſt,ex quo margaritæ ſumuntur,quarum caro inter epulas laudatiſsima eſt. Ex iis autem conchis eximuntur vniones, quæ vulgi appellatione Margaritæ dicuntur. Hæ perlæ ſunt, quibus mulierculæ ad oſtentationem precationū vtuntur:mari Indico colliguntur, Plinio teſte libro ix.cap. xxxv. Eſt & vnio genus cæpæ capitatum:vt refert Columella lib.xij. capite decimo rei ruſticæ:quod nomen apud Gallos velut triuiale hactenus vſurpatum eſt pro eo cæpę genere,quod pluribus bulbis non coagmentatur:atque hæc cæpula eſt.

Berſilium lignū,vel verziniūm à verzinia vrbe Indiæ aduectum dictum eſt:medicis in vſum nondum venit, ſed quia rubente colore eſt, hactenus infectorium tantùm manet. Lege dictionem Santhalum, poſt Ruellium libro primo capite quadringenteſimoquinto.

Bes, partes duæ tertiæ, id eſt, vnciæ octo: continet ſcrupula ducenta & quadraginta.Bes etiam eſt Geometrarie menſura,continens iugeri partes octo in duodecim diuiſi,vt eſt author Columella lib.v.cap.primo.

Balbus bleſúſque, atque alio ſimili impeditus vitio quiſquis is eſt, linguæ in loquendo impedimentum atque loquutionis formandæ exprimere vocabulum nequeat,aut quum natura ipſum formare non poſsit, vniuerſam linguæ functionem, lædi certum eſt. Huius rei Galenus author eſt Locorum affectorum libro quarto cap.vij.

Bdellium βδέλλιον,arbor nigra,magnitudine oleæ,& folio glandiferæ roboris perpetuo virentis, fructu caprifici, gummi genus exudans: quod & ipſum Bdellium vocatur. Mirificè commendatur à Dioſcoride & Galeno, qui duo ei conſtituit genera lib.vj. Simpl.medic.Vidē Dioſcorid.libro primò, cap. lxix, & Plinium libro duodecimo,cap.ix.

Beta vtraque nigra ſcilicet & alba, σεῦτλον μέλαν, καὶ σεῦτλον λευκόν: τεῦτλιον, & τεῦτλις: vbique gentium olus notiſsimum, dictum à ſimilitudine quam habet cum β itera Græca, dum ſemine turget: habet enim ſummitatē in cacumine reflexam. A que eadem rationeà caulis rectitudine quæ literam Iota æmulari videtur, à quibuſdam Iota appellatur: aliis populis Gallicis, des Romans, quod id olus à Romanis primùm inuentum ſit. Allobroges omnes Reparatam, more medicorum veterum, quibus in vſu fuit, nominant. Quidam etiam Siclam vocant: ſed hæc magis rubra eſt,tum nigra altera,ſed tertia candida habetur: quæ omnes ventrem, & clyſmis, & decocto optimè ſubducunt. Verùm quæ candida eſt, magis mouet inteſtina: cuius quoque radix, quia tenuioris eſt ſubſtantiæ, ad glandes ſedi inferendas valde conuenit. Hæc Carol.Stephanus de Re hortenſi. Dioſc. lib.ij.cap.cxvj. Gal.lib. Simpl.medic.vj.

Beta ſylueſtris, Biſtorta vulgaris non eſt, quæ à Geſnero ex vocabulo Græco ἡ λειμωνιά, & τὸ λειμώνιον,ſuſpicatur. Nam Biſtorta non ea eſt, quæ Serpentaria creditur: neque etiam quam Britannicam appellant. Fuere qui ſecundam ſpeciem Catananſes apud Dioſcoridem putarint: ſed repugnant radix, & folia. Iam verò Tormentillam

mentillam vulgarem Officinæ Biſtortam plantam vtramque confundentes, appellant: ſed quæ Tormentilla vulgò dicitur, quinquefolio eſt: at Biſtorta cenſetur Rumicis folio, à terra cæſio, ſupra herbaceo, flore rubro, concoloríque radice: atque vtrique ad eadem effectus, ſed huic imbecillior, vt refert. Ruel. lib. de Natura ſtirp. ij cap. cxxxix. Dioſcor. cap. xxxiiij libri iiij.

Betonica ſiue Ceſtron, ea eſt, quam quidam Latinorum Serratulam vocauere: vt author eſt Plinius: quia circunquaque in morem ſerræ folia diuiſa ſunt. In pingenda hac herba Brunſelcius deſcriptionem aliam facit, quam tu, ſi curioſus lector es, perleges, iudiciúmque feres. Poſt autem lectiones varias, recurre ad Dioſcoridem libro quarto, capite primo: & Ruel. libro tertio, cap. lxxvj. Plin. libro xxv. capite viij. & x. Gal. Simplic. medica. libro ſeptimo, à quibus omnibus vires maximas collige.

Badius color, is eſt & quem Phœniceum vocamus, à colore dactyllorum, quas φοίνικας vocant Græci φοινίκειον χρῶμα. Idem & Spadiceus dicitur, & Baius, ab eo quod termitem vnà cum fructu à palma reuulſum σπάδικα, καὶ βαῖον, Græcis appellatam. Qui huius coloris eſt infectus homo, à cholera nigra, quandoque vtraque con traxit: qui color vulgò dicitur coleur Bazanee, quòd cutem totam huiuſmodi infecter. Neque à Medicis colorum diuerſitates ſunt aſpernandæ, propter recrementorum in ægrotis varios colores vnà implicatos continentium. Vide Thyleſij libellum de colorib. & Actuarium de Vrinis, & Bayphium de Gene. veſt.

Bettonica βεττονική, ſiue vettonica, aut Altilis: quam vulgò flores Tunici, aut Caryophylli aroma repræſentans, eſſe Ruellius ſuſpicatus eſt: quod Vllietum noſtrum eſt, & garyophyllata vtraque rubra videlicet & alba: & tertia colore vtroque tincta. Longè differt noſtra garyophyllata, à viola lutea, cuius præcipuus eſt in medicina vſus: de qua re plura in dict. viola reperies.

Bimpinella, ἡ ἐρυαλλίς vt vertit Gaza in Theophraſto, inter Syteritides adnumeranda eſt, vt putat Ruellius, non inter Saxifraga: licet ſit Saxifragi facultatis indifferentis, vt docuit experientia. Dicta eſt Bimpinella, quòd folia habeat alternatim diuiſa, ac veluti in duas pinnas aſſurgere videantur. Hæc herba inter acetaria reponenda eſt, quoniam cruda non cocta eſtur. Vide plura apud Ruell. lib. ij. cap. cxxxvj. Dioſc. libr. iiij. cap. xxvij. de Sideritide, & de Empetro.

Blatta Byzantia βλάττος βυζάντος, appellatur Actuario, in compoſitione Aureæ Alexandrinæ, & diamarg. calido: qui vnguis odoratus, vel aromaticus Dioſcoridi eſt. Eſt hoc conchilii tegumentum, odore quadantenus in caſtorium inclinans: hinc odoramenti gratia ſuffitu adhibetur. Lege Dioſcoridem, capite ſeptimo libri ſecundi. & Pl. lib. xxxvj. cap. vj. Ruell. lib. ij. cap. vij. Gal. lib. xj. Simpl.

Blatta præterea eſt vermis, qui in piſtrinis degit, & in aquariis Scribonio Largo authore, ſtabulari conſueuit: quem vermem Aſellum vocat. Ad quem medicinæ vſum conueniat ex eodem authore petes: & ex Dioſco. lib. ij. cap. xxxiiij. ex Plinio libr. xxv cap. ix.

Blattaria Plinio, Primula veris eſt: quæ Græcis φλόμον τὶ εἶδος, genus eſt verbaſci, non ita hirſutis, ſed viridioribus foliis tertia verbaſci ſpecies eſſe ſuſpicione deprehenditur. Ruell. lib. ij. cap. cxxvj.

Blitum βλίτον, ἢ βγῆτον, à Beta oleris genus eſt diuerſiſsimum: nunc rubrum, nunc ſubalbum paſsim ſeſe olitoribus offert, pulmentis, & clyſteribus diligenter aſſeruatur. Ruel. æſtimat hoc olus betam rubram eſſe, cuius locum leges libro ſecundo, capite quinquageſimóſexto, ex Dioſcoride nullius in medicina vſus. Quære dictionem Atriplex.

Bilis flaua χολὴ, ſic ab eius colore qui eſt flauus, appellationem accepit. Huic humori natura propriam ſedem machinata eſt, eam nimirum quæ iecinori ſubeſt veſicam: neceſſarium ſiquidem fuit vt ab ea ſanguis purgaretur, ne ſcilicet totius corporis

ris color ab ea, haud ſecus quàm in ictero, conficeretur.

Bile flaua qui abundant, iracundi, celeris ingeni j, agiles, leues mente, macilenti, & cibum confeſtim conquoquentes fiunt. Pete dict. Humores.

Bilis flauæ non naturalis quinque ſunt ſpecies: prima λεκυθώδης, hoc eſt, vitellina, quòd ouorum vitellis, tum colore, tum conſiſtentia ſit ſimilis, appellatur, & hæc in venis generatur. vide Gal. de atra Bile.

Bilis flauæ ſpecies ſecunda πρασοειδὴς eſt, hoc eſt, porracea, quia porri calorem re præſentat. Hæc in ventriculo gignitur, vt eſt author Galenus Pronoſt. libro ſecundo, capite xxxix.

Bilis flauæ tertia ſpecies ἰώδης, id eſt æruginoſa, ab eruginis ſimilitudine, vocatur: &, vt ſuperior, in ventriculo naſcitur.

Bilis flauæ quarta ſpecies ἰσατώδης, iſatidis herbæ colorem referens, nominatur: atque eodem quo præcedentes duæ, loco procreatur. Quinta autem, cœrulea nuncupatur. Quære Galenum lib. x. de Simpl. medic. facul. cap de Bile.

Bilis flauæ vſus, vt inteſtina à pituitoſis excrementis expurget, & abſtergat, atque eorumdem excretionem adiuuet. Hæc ab hora diei tertia, vſque ad horam diei nonam dominatur.

Bilis atra μελάγχολια, veluti fæx eſt, ac ſedimentum ſanguinis: ideóque colore, vt nomen ſatis indicat, nigra. Ab ea expurgari iecur neceſſe eſt, ideóque inſtrumentum quo eiuſmodi humor expurgetur, natura Lienem condidit. Quod ſi minus quàm æquum ſit, atram ad ſe bilem trahit, vt ſanguis impurior, ſic totum corpus redditur magis decolor. Porrò bilis atra inertes, ſubdolos, auaros, moroſos, perfidos, triſtes, inuidos, timidos, & puſillanimes reddit. Gal. de Atra bile eſt author: & Calanius ſuo libro de Bile atra.

Bilis atræ non naturalis vna duntaxat ſpecies eſt, quæ radens vel acida nominata, quoniam acris in modum aceti ſit, & corpus animalis radat, terrámque, ſi ſuprà eam effuſa ſit, attollat, ac fermentet, bulláſque quales feruentibus iuſculis innatare videmus, excitet.

Bilis atræ vſus, vt ventriculi actiones iuuet Galenus libro quinto de vſu partium ſic docet: Ipſa enim, quum acerba, & acida ſit, ventrem intendit, & in ſeipſum contrahit, & comprehendere cibos exquiſitè cogit, & retinere vſquedum planè concoquantur. Pete Hippoc. lib. vj. Epidimiarum, partic. vj. deinde Fuſch. ſuper eodem libro in commentariis.

Bilis atra ab hora diei nona, donec ad horam tertiam noctis dominatur. Cæterùm prædicti humores non ſemper ſeruant eandem formam, ſeu ſpeciem, dum animal præter naturam afficitur, quam habent quum ſecundum naturam diſpoſitum eſt. Galen. ij. libr. Faculta. natural. & Fuſch. in compend. medic. capite decimo diligenter perquires.

Bilis vtriuſque per vniuerſum corpus effuſio ἴκτερος, ſic dictum malum hoc vel ab aue, quæ ἴκτερος, id eſt, Galbula: quæ ſi ſpectetur, ſanari malum, & auem mori, creditur. Vel ab aue, quæ ἴκτινος, id eſt miluus vocatur: nam oculi hoc vitio laborantium, miluinis oculis ſimiles videntur. Vel à muſtella, quæ ἴκτις, id eſt viuerna nominatur. Harum partium te docebit Fuſc. comp. medic. cap. xxxvij.

Bolimus βούλιμος, eſt ingens veheménſque ac execrabilis appetitus auiditas, ſiue fames, canino appetitui contraria ex vomitu tantùm, ſed inappetentiæ diſsimilis prorſus: poteſt quoque dici irrequietus appetitus. Fit autem ex ventriculi frigiditate indigentiáque, ac virium imbecillitate, & ferè in totum ab externo frigore initium capit. Curatio eſt apud Fuſch. lib. iij. de Medendis morb. cap. iiij.

Bolus ſeu buccea βλωμὸς, καὶ ψωμὸς, medicamentorum fruſtulum eſt eſui aptum quantùm ſcilicet bucca commodè capere poteſt vice vna: variiſque formatur modis, ſecundum ætatis, morbi, temporis, & virium exigentiam. Quære Fuchſium,

Comp.

Comp. Medic. lib. ij. cap. vij.

Bombacis ſemen, habet ſimplex tomento lanuginoſo, ceraſi nucleo ſimile inuolucrum: quod cardiacum Actuario deprehenditur, & ad vitia pectoris purganda efficax. Melita inſula frequens mittit, & multiplex, ſed ſibi implexum, & nigrum.

Bombix, vermis eſt natura ſua ſericum texens, qui arboris mori vtriuſque frondibus Verè toto paſcitur: & cæteris anni partibus in inuolucro veluti ouo quodam deliteſcens nouos ponit fœtus. Bombix iam frequens in Galliis ad veſtimentorum luxum cum magna cura alitur, & expetitur maximo prouentu. Vida carmine eleganter Bombicem deſcripſit, quem ocyus petes: & dict. Sericum crudum.

Boletus, βωλίτης, fungi genus AEgynetæ inter omnes optimi: de quo abundè Pli. lib. xxij. c. xxij. At verò Dioſcoridi fungorum duplex: aut enim manduntur, aut perniciales ſunt. Multis de cauſis venenoſi gignuntur; vbi videlicet clauus ferreus, in quo ſit rubigo, au panni marcor adfuerit, aut ſi iuxta ſerpentis cauernam arboréſve, quæ priuatim pariunt noxios fructus, erumpant. Eorum qui veneno imbuti non ſunt, ſuauem in iuribus gratiam habēt. Vide reliqua apud eundem Dioſcorid. lib. iiij. cap. lxxj.

Borago ἡ βούγλωσσος, bugloſſum tum ſatiuum, tum agreſte veteribus & recentioribus medicis, eſt: Catoni bubula lingua: & quia calida humida vino iniecta, lætitiæ ac hilaritatis cauſa eſſe creditur. Vnde εὐφρόσυνον, id eſt, Corago, corrupta voce, Borrago. Dioſco. Bugloſſum magnum Circium dictum eſt.

Borax, ſeu Borrachinus lapis vulgari medicorum appellatione, eſt ex Myrepſo, aut ex eius interprete Fuchſio, Criſocolla: nam artifices argētarij aurum conglutinare non poſſent, ſi deeſſet Borax. Siquidem à Dioſcoride, Plinio, Galeno Criſocolla nuncupatur, quaſi auri gluten, ſiue colla dicatur: & capiſtrum auri, & tincar Arabibus. Quære dict. Criſocolla.

Botris βότρυς, herba micranea eſt Allobrogibus: vulgaribus autem officinarum Seplaſiariis Criſpula. Hanc quidem varietate, & odore decepti, Ambroſiam eſſe contendunt: alij Ammomū propter odoris in ſemine fragrantiam, decepti Myropolæ noſtrates pro vero Amomo Botryos ſemen, quod racematim oſtentet per ſurculorum longitudinem, pendentes exiſtimant. Quim Ammomū volutū, turbinatúmque ſemen in ſe habet. Quære dict. Ammomum, poſt Dioſc. lectionem lib. iiij. capite cx. & lib. primo cap. xiiij.

Botryitem duplicem reddidit Scholiaſtes, qui vnam fruticis ſpeciei aſsignat, quaſi inter arborem, & herbam non diſsimilem coæquet: quæ vulgò Mycranea eſt: alteram, quam vulgus roſam Hieruſalem, Botryitem expreſsit: ſed ſimplex aliud eſt, atque diuerſum Hiericontis roſa, vt ſuo loco ſcribitur.

Brachium, ſiue Humerus, totum mēbrum cum manu cōprehendit: aliquando ab humero ad cubitum: interdum etiam à cubito vſque ad vertebram manus tantùm: atque à muſculorum motu, id eſt, lacertorū Lacertus nominatur. Brachij os ſuperius, quod vnicum eſt, os adiutorii habet nomen: à cubito verò ad manum vſque, vlna, & foſsile maius eſt, & minus: quæ pars etiam hæc tota dicitur brachium Celſo. Foſsile minus Cereis, ſeu Radius eſt. Carpus, ſeu Brachiale, & Raſceta: conſtat oſsibus octo, quatuor in ſingulos ordines coniectis: non incertus horum numerus cum Celſo. Metacarpium & pecten oſsibus quatuor cōſtat Galeno, non quinque cum Celſo, Guidone, & aliis. Singulis quinque digitorum oſſa tria. Acrocheirum ſeu manus extrema, etiam carpum, & metacarpium cum digitis continet. Vide plura in Galeni libello de Oſsibus: & Celſum de Brachij curat. lib. viij. & Methodi medendi lib. vj. apud Gale.

Bolus Armenicus, ab Armenia ad nos vectus, ideo appellatus: neque is eſt qui hodie in officinis oſtentatur: quia facultate non reſpondet. Ergo tellus Armenica ſumma exciccandi vi eſt, colore palida, friabilis veluti calx, aut terra Samia, leuitate tamen inferior, vt inde conſtet hanc ſpiciorem, & minùs aëream eſſe: itaque niſi ac-

curatè ſpectetur,facilè lapis putabitur. Diſentericis,aluique fluoribus, ſputo ſanguinis,diſtillationi,ac putridis oris vlceribus conuenit, præcipuè tamen capitis fluorem ad pectus cohibet, nec tabe laborantibus minùs prodeſt: ita enim eorum vlcus exiccat vt non ampliùs tuſsiant. Gal.ix.Simpl.cap.x. Dioſco. lib. v.cap.xciiij. Aëtius Simpl. lib.ij.dein quære dict. Terra.

Braſsica,cuius generalius nomen ad omnes herbas hortenſes, Caulis eſt:quæ herba Triciana Columellæ, Lacuturris, id eſt, cabucia, Plinio, & quæ Apiana, id eſt, criſpata, Selnoeis Catoni: vt Sabellica rubea dicitur: atque hæ omnes eandem facultatem obtinent. Lege plura apud Carolum Steph. in libello de re Hortenſi, Catonem & Columellam.

Braſsica agreſtis, ἡ κερά, Theophraſto eſt, vt Geſnerus ſcribit: quibuſdam verò Lampſana, ſed eodem Geſnero potiùs Armoracia vt ſit,placet. Sed marina Dioſcor. Braſsica ſeculi noſtri medicis Soldanella eſt. Eſt denique hortenſis Braſsica, vulgato nomine olus, ſiue caulis:quæ ſuperioribus differt,vt videre eſt in dict. Crambe.

Branca vrſina, Dioſcorid. Acanthus, & Romanis Pederota: ſic cognominata quòd foliis priores pedes vrſorum imitetur figuram. Sed re vera ſpinarum mollicie, quibus armata eſt, mollis Achanthus Vergilio celebrata eſt. Dioſcorides alteram ſcilicet ſylueſtrem tradit ſuperiore, effigie tota inferiorem, ſed durioribus aculeis fulctam:vtraque vires eaſdem habet radice, & foliis, & eduliis olim aptiſſima, ſed in clyſteres poſteà commodè vt veniret, vt ederetur deſitum eſt. Require Dioſcoridem libro tertio,capite decimooctauo. Braſſanolum libro priore de Simpli. examine.

Bregma,id eſt ſyncipat,capitis anterioris pars:in qua oſſa duo numerantur, quæ alioqui parietalia appellari ſolent. Vide multò plura in dict. Caput.

Britannica, viola altilis, ea eſt Barbaro, quam vulgus noſtrum vocat Armoiriez. Dioſcorides & Plinius Vettonicam appellare videntur. Scholiaſtes quidem Simpli.de Britannica his verbis inquit: Britannica ea herba eſt,quæ ab Italis Piatamana vocatur:aliis herbariis, Biſtorta: quam nonnulli præterea alij Lapathum acutū autumāt, id eſt Rhabarbarū monachorum. Eius autem herbæ Britannicæ & ſi origo ad Britannos refertur,circa Rhenum tamen in Germanici Cæſaris exercitu inuentam author eſt Plinius lib.xxv.cap.iij de qua mira ſcribit. Igitur viderit lector in ignotis ſimplicibus depingendis apud pleroſque authores idoneos ſcribendi diuerſitatem: quorundam etiam obſeruaturus negligentiam. Quære dict. Bettonica.

Bryonia,vna ἄμπελος λευκὴ id eſt, vitis alba, quòd folia, & corymbos, ac capreolos vitis vinaceæ, eadémque folia habeat alba, præſertim dum grandiora ſunt: eſt quoque radice in terræ altum propenſa, intus & extra alba, & cùm eius corymbi maturuerint rubri fiunt. Altera, ἄμπελος μέλας, id eſt, vitis nigra: quam alij Bryoniam nigram eſſe volunt, quòd eius corymbi primùm virides, deinde verò nigri appareant, folia & caules hederæ ſimiles, radicem foris nigram, intus verò buxeam. Dicta eſt præterea vitis alba Pſiletron, quod locum vrendo depillet. Galenus libro ſexto, Simplic.medic.& primo libro. Compoſitio.pharmacorum ἄμπελον λευκὴν, ἀπο τῆς βρυωνίας ſeparat. Scribonius largus vitem albam Bryoniam interpretatus eſt. Dioſcor.petendus eſt libro quarto,capite clxiij. & clxiiij. Plinius libro vigeſimotertio,cap. primo.

Brya,μυρίκη,id eſt Myrica Dioſcoridis,pumillus quidem frutex in Achaia repertus,qui Romanis Thamarix appellatur. Eius duo occurrūt genera,ſatiuum fructum ferens gallæ ſimilem: & ſylueſtre fructu viduum, flore muſcoſo excepto. Dioſcorid. lib.j cap.xcix. Ruel. lib j.cap.xcix.

Bryum marinum βρύων θαλάσσιον,aliquibus Corallina ſuſpicatur: eſt præterea muſcus ſeneſcētibus arboribus,& rupibus continua aqua madentibus,valde peculiaris:qui Græcis etiā βρύον nominatur. Itaque Corallus,id eſt,muſcus marinus Dioſc.

& Plin

& Plinij Bryon eſt:cuius vſus contra lombricos,pattas, & teredines efficax,atque frequens.Eſt denique Bryon herba Plinio lupus ſalictarius appellata: officinis Lupullus:cuius petes dictionem.poſt Dioſcorid.libro quarto,cap.lxxxiiij.

Brochon βρόχον,arbor ſui generis,colore nigra, magnitudine oleæ, folio roboris perpetuo virentis,fructu caprifici:ex qua Bdellium illachrimat. Arboris aut lachrimæ duo efferuntur genera,Scythicum,& Arabicum: prius nigrius, ſed poſterius lucidius oſtentatur. Vide Dioſcoridem libro j. capite lxix. Gale. lib. vj. Simplici. Aëtium lib.primo medic.AEgynetam libro vij. Artis cur. Ruell.lib.j. cap.lvij. Repetes dict.Bdellium.

Bronchus βρόγχος,aſperæ arteriæ cartillagineum corpus eſt, quod pro gutture accipitur,& gutturis tumore à defluxi cerebri ibi retento Galeno definitore: eſt quoque ab eo Brunchocela, vicium: ſiue tumor magnus, & rotundus in ceruice inter cutem & aſperam arteriam, qua modò caro hebes, modò humor aliquis includitur: interdum etiam minutis oſsibus pili immi ſti. Contrahitur hoc vicium aſsiduo potu aquarum niue reſolutarum.

Bruchus,βροῦχος,ex vermium genere videtur: atque inter locuſtas, ſi alis non careret,adnumeraretur:adeo herbis, & arboribus pernicioſus, erodendo vt interficiat: vnde ei cecidit nomen βροῦχος, vt authores ſunt Columella, & Plinius. Atque hic etiam deſcribitur,quod in morbis abditis quibuſdam benefacere docuit experientia.

Bruma χειμερινὴ τροπὴ,hyamalis ſolſtitii dies dici creditur,qui eſt ad xviij.Calendas Ianuarias, quo die fit in Capricorno hyemale Solſtitiũ.Et dicta Bruma, vt interpretatur Budæus,quaſi βραχύμερον,id eſt breuis dies.

Bruſchum βρύσχον,arboris Aceris tuber eſt, intortiùs criſpum:nam quod ſimplicius ſparſum eſt, Moluſchon dicitur. Huius rei Plinius ſcriptor eſt libro, & capite nono.

Brutia pix,ſecundus eſt liquor qui ex tæda excoquitur & aceto coagulatur: doliis aliiſque vaſis illinendis vtilis ab alia pice lentore differens. Primus autem tædæ liquor Cedrium appellatur, quo AEgyptij defunctorum corpora in multum æuum conſeruarent. Hoc autem accepit nomen ab agro Brutio in quo excoquebatur. Plura de hoc gummi genere leges apud Plinium libro xvj.cap.xj.

Buteo ἡ τριόρχης,non ex Accipitrum, ſed Ardearum genere auis eſt, niſi quod plumarum colore variatur. Verſatur hæc auis in aquis ſtagnantibus, demiſſo in aquæ profundum roſtro clangorem ædens, terrorem horreſcentem audientibus vt inferat,tantúmque ſpectaculum ignaris præſtat,quaſi Genios aut Laruas errare credant. Vulgus Gallicum Boutor vocat,ſed Græci ſcriptores à teſticulorum numeroſitate, τριόρχη appellarunt.

Buceras βούκερας,herba eſt Theophraſto,quæ notiore nomine Fœnogræcum effertur: quam herbam Columella Silicam ſimpliciter deſcribit. Dicta quidem hoc modo,quòd corniculorum ſimilitudinem quandam figura ſemen præ ſe ferat. Facultates reddit Dioſco.lib.ij.cap.xciiij. Plinius lib.xxiiij. cap. vltimo. Gale. libr. viij. Simpl.medic.Quære dict.Telis.

Bucranium, Antirrhinũ eſt.vulgò ocul⁹ catti,cuius flos cæruleus id eſt, violaceus, depræhẽditur:neque videtur differri ab Anagallide, cuius dict.petes, & Antirrhinũ.

Bubo βουβών,tumor eſt in inguinum emunctoriis,qui propter vlcus quod in collo,capite,manus ac pedis digito,vel aliqua alia vicina parte natum,oritur. Per peſtilentiam denique periculo præſenti in femoribus, alis, & collo Bubones ingruere ſolent. Petenda curatio eſt à Fuchſ. libro primo de Medendis morbis, capite vigeſimo ſeptimo. Gal. libro ſecundo ad Glauconem, cuius eſt Akakia interpres. Eſt inſuper Bubo auis nocturna,dirum omen cantu ſuo viciniæ præſagiens, vt author eſt Vergilius libro primo Georgicorum.Quære AElianum libro decimoquinto, cap. xxxvj.

Bubonium, ſiue Aſter atticus ἀςὴρ ἀττικὸς, quod deſcribit Galenus libro nono Simplicium Medicamentorum, Aſter atticus nuncupatum: & à Latinis Inguinaria quoniam tritum & impoſitum pro cataplaſmate, œdemata cohibet. Pl. libro xxvi j. cap.v. Dioſc. lib.iiij. cap.cv. & recurre ad dict. Aſter att.

Bubonochele βουβωνοχήλη, Manardo teſte, herniæ ſpecies, cum inteſtinum, vel omentum non intra ſcrotum delabitur, ſed in inguine retentum, ipſum tumeſcit. Vide plura in dict. Ramex.

Bucheis, genus orchis, id eſt, Satyrionis, quem palmam Chriſti herbariorum officinæ, vocant, Braſſanolæ, ob radicis ſimilitudinem, viſum eſt: Huius ſiquidem nominis nemo veterum cùm Græcorum, tum Latinorum ſcriptorum, ſed ſolus recẽtium Hermolaus Barb. in Corrolariis primus meminit. Quære dict. Satyrium, poſt Dioſc. lectionem lib.iij. cap.cxxij. Ruell. lib iij. cap.lxiij.

Bucca γνάθος, vtrumque oris latus quod ſpiritu retento inflatur, dici ſolet: vel oris concauitas intra malas à mento ad oculos, quæ ſpiritu à pulmone reuocato, & oppreſsis labiis retento inflatur: & quod eſt reliquum in dict. Malæ reperies.

Bucephalus βουκέφαλος, herba eadem cum tribulo terreſtri eſt: quoniam trium generum occurrit, ita dicta, quod bubuli capitis imaginem referat duobus cornibus & ritu, vt author Marcellus Verg. ſuper Dioſcoride, capite de Tribulo herba. Quære dict. Tribulus.

Bucolicum, βουκολικον, panacis genus videtur, quod ex Macedonia affertur: ita dictum, quòd armentarii eius ſponte profluentem humorem excipiant, vt eſt author Plinius lib.xxv. cap.iiij. In dict. Panax lecturus plura.

Bulbus appetitorius ἐδώδιμος, quæ cæpula, alioqui porreta minutula: quæ dum eſtur, appetitum mouet, hortulanis denominata eſt: Aſcalonitæ Latinis, quod etiam vulgus nomen retinuit. Cibus hic veneris potiùs irritamento, quàm vitæ vtilis.

Bulbus alius eſt agreſtis, quem Græci κονδιον vocant. Eſt præterea bulbus alius laniger, circa annium ripas naſcens. Inſuper & alius eſt bulbus vomitorius appellatus, ad bulbi cibarij diſcrepantiam: eſtque foliis nigris, radice allio ſimili: & vomitum ciet. Plura alia ſunt Bulborum genera, quæ qui ſcire cupiet, requiret Theophraſtum libro octauo de plantarum hiſtoria, Dioſcorid. & Plinium.

Buphonum, ſiue vlophonum Plinio lib. xx. capite xviij. βουλεφονον, & βουφονον, herba eſt, quæ à bobus deuorata, anginam parit: eóſque necat. Aliquibus hæc herba Chamæleum, aliis Cynozolon, quòd fœtore eius Ricini è canum auribus decidãt. Quære dict. Chamæleum.

Bullæ, quæ in ſuperficie vrinæ apparent, adulterini ſpiritus ſunt ſigna: quorũ aliæ per omnem ſuperficiem videntur, aliæ in ſola corona circumiacent. Vide dictionem Corona.

Bullæ, quæ in corona ſola ſeriè conſiſtunt, ſi contigerit vt colore humoris vrinæ imbutæ ſint, magnam capiti paſsionem, & dolorem non mediocrem adeſſe ſignificant: quæ autem ſparſim mitiorem, ſi aurea non apparet vrina: cuius dict. petes.

Bullæ albæ, in coronæ ambitu conſiſtentes, nullum aut exiguum capiti dolorem adeſſe pollicentur, ſed propter renum potiùs obſtructionem, vt eſt author Hippocrates Aphoriſ. lib.vij.

Bullæ verſus vrinæ medium apparentes, remiſsionem quandam doloris oſtendunt: ſed palantes in ſuperficie, ſolùm multam naturæ imbecillitatem, & crudorum humorum copiam portendunt.

Bullæ denſiores in vrinæ corona, dolores capitis, aut renum, aut defluxum in pulmones nunciant. Apparent quandoque etiam innatantes pinguedines quædam veluti aranearum telæ.

Bunias referente Ruellio Napus noſtras creditur, & differt à Rapo, & Bunio: Quære dictionem Napus.

Bunium

Bunium, Scopa regia eſt, qua charpentarij, vt Plinio placet, recenter vulnerati, vtuntur: & hæc Bunij ſpecies altera Geſnero videtur, ſed quæ ſit nondum cõſtat. Sunt quidam tamen, qui ad minorem Saxiffragam, ſic officinis dictam, hanc accidere, lege nulla adſtricti, ſuſpicentur. Verùm quid Bunium, ſit docet Dioſcor. libro ſecundo, capite centeſimonono. Pli. libro vigeſimo, capite quarto, Gal. libro ſexto, capite Bunium

Burſa paſtoria, quia admota naribus ſanguinem profluẽtibus, Sanguinaria herba paſtoribus appellata eſt. Herbariis quibuſdam Thlaſpi alterum ſuſpicata eſt. Braſſanolus Thlaſpi plantæ ſimilibus lineamentis, non guſtu, comparauit. Itaque Thlaſpi ſemen in mandendo, vt Sinapi, mordax deprehenditur. Paſtoriæ verò burſæ & herbæ & ſeminis facultas, ſiue guſtatu in mandendo, ſiue in odorando, fatua omnino refertur: quòd planè coniiciendum Burſam paſtoriam minimè inter herbæ Thlaſpis ordinem eſſe adſcribendam deſcriptione Ruellij lib. ij. Stirpium, cap. cxlij. Summaria conſideratio docetur in dict. Thlaſpi.

Bubula caro, Galeno teſte de Alimentis, mediocris non alimenti perhibetur, ſed & cõcoctu difficilis, adeò equidem ſanguinem vt gignat fœculentiorem, ingeniúmque edẽnti hebetiorem. Facilè id eſſe quidem melancholicis natura apparet, qui ſibi ſi contraxerint affectu aliquo mœrorem alterum, pedetentim torrefieri ſanguinem, in grumóſque paſsim conuerti: hinc inde ſuboriuntur affectus Cancer, Prurigo, Scabies, Elephantiaſis, Lepra perperam nominata, & febris quartana.

Buphthalmus, βούθαλμος, id eſt Bouis oculus: quæ alioqui Confirma media Ruellio, & aliis herbariæ rei ſcriptoribus, deſcribitur: Bupthalmi ſiquidem flos cardiacus Actuario eſt, æmulatúrque Anthemidis florem colore, multo maiorem, & acriorem referre vim, quod valentiùs digerit. Hæc putatur Cotula non fœtens vulgò dicta, Anthemis autem, ſeu Chamæmelon ab odore mali dictum: cuius genera ſunt tria Dioſcor. flore tantùm diuerſa, intus in omnibus aureo, foris candido in Leucanthemo: melino in Chriſanthemo: purpureo in Erãthemo, quod Vere floreat: atq; has herbas hiſce nominibus Macer herbarius diſtinxit. Legẽdus eſt Pli. lib. xxv. cap. viij. Dioſ. libro iij cap. cxxxiij.

Bupreſtis βούπρηστις, cõiectore Ruellio libro ſecundo, cap. cxxvij. herba eſt, quam maiores noſtri in ciborum deliciis habuere. Eſt & Bupreſtis referente Plinio libro xxx. cap. iiij. animal ex genere Cãtharidum, Scarabeo longipedi ſimile, venenoſum, quod fallit inter herbas bouem paſcentem, vnde nomen inuenit: in quo genere Pythiocampa ſectile animal numeratur. Horum animalium meminerunt Dioſcorid. Largus Plinius, & Galen. contra iaculantium venena, Butyrum ex eo fit, quod in lacte habetur pinguiſsimũ, digeſtiuæque facultatis reſoluentis & emollientis Tumores præter naturã acquiſitos flaccidos ac molles digerẽdo facilè conſumit, vt ſunt parotides, bubones, & oris flegmones cataplaſmatis forma impoſitum: necnõ ad quamplurima alia probatur vtiliſsimum Dioſc. lib. ij. cap. lxiiij. & Gal. Simpl. facult. libro x. experientia.

Buxus, & buxum ἡ πύξος, exiguus frutex eſt, qui nonnunquam lõgitudine proceꝛa apparet, vt altitudine primum æquet in imis montium rupibus. Producit ex ſe granum ſiue ſemen ſiliqua rotũda, ollæ ferreæ forma, incluſum: quod poſtquam maturum eſt, recluditur fiſſura triplici, in quo grana tria tantùm compagibus inter ſe diuiſa, reperiuntur, lini ſemine colore, ſed grani pyri ferè figura: cuius facultas mouere aluum, & benefacere Neapolitana Lue vexatis docuit experientia. Huius autem tria genera facit Plinius libro decimoſexto, capite xvj. cuius neque Dioſcorid. neque Galenus meminerunt.

Byſſus, lini genus tenuiſsimi, vt inter Serici genus videatur reponendum, proximam ab Abeſto dignitatẽ obtinens, ex quo ſubtiliſsimæ fiũt veſtes: quæ mulieribus olim præcipuè in deliciis habebantur. Plinius circa Elim Achaiæ naſci credidit. Po-

lux verò in India: Philoſtratus autem Byſſum ex quadam naſci arbore, quæ populos æquat altitudine, foliis autem ſalicis eſſe prodidit. Videbis reliquum apud eoſdem authores.

Bugla, Symphitum petræum eſt: plurimum quoque differt à reliquis Conſolidis, ſiue confirmis: quæ quatuor differenter Dioſcor. Plinio, & Galeno diſtingũtur, quem admodum memoriæ tradidit poſt omnes Ruellius lib. iij. cap. lxxx.

Bulimus, inſatiabilis fames eſt: quæ calfaciendi methodo curatur. Bulimos enim ab externo frigore, quale contingere ſolet in longo itinere, per gelu, & niuem, ortum habet. Hũc affectum ſequitur membrorum inanitio, ſpirituum defectio, & virium lapſus. Itaque omni ratione calfacere oportet: hoc eſt, cibo potu, medicamentis, odoribus, frictionibus, & aliis, quæ corpus calefacere idonea ſunt. Hæc ſuper libro priore ad Glauconem Acakia.

De litera C.

C*Acalia* κακαλία πόα, aliquibus Leontice eſt, aliis Careum ſyluaticum: Scholiaſtes verò ſic interpretatur, Cacalia, officinis Lilium conuallium: vulgò Muguetum magnum: quod quidã Galeni Cancamum eſſe ſuſpicantur: nonnulli præterea alij Carei agreſtis ſemen. Carus autem, vel Carum officinis carui poſſidet nomen. Deſcriptionem integram lib. quarto, cap. cviij. reddit Dioſcorides: Plinius lib. xxv. cap. vndecimo, Ruel. libro tertio capit. vigeſimooctauo.

Cachexia καχεξία, corporis totius habitus malus, quo corrumpuntur alimenta in ſtomachum iniecta, appellatur: fit cum longo morbo corpora deprauantur, verùm ſi illo etiam vacant, alimentum tamen in ſui ſubſtantiam non conuertunt. Hoc vitio qui detinentur, Cachetici dicuntur. Legendus eſt Gal. Temperamentorum lib. iij. Sanitatis tuendæ lib. iij. Methodi lib. xiij.

Cachryes κάχρυες, ſunt oblonga panicularum modo nucamenta, quæ ſquamatim compacta perpendent è ramis arborum. Creſcunt enim hyeme, Vere dehiſcunt in flauentes ſquamulas, & folio prodeunte decidunt: qualia multa in Abiete, Picea, Iuglande, Corylo, cæteríſque id genus arboribus, conſpiciuntur. Deſcriptionis author eſt Plinius lib. xvj. cap. vij.

Cachrys κάχρυς, Lybanotidis fœcundæ ſemen eſt, id eſt, Roriſmarini noſtratis referente Dioſcorid. libro tertio, capit. ſeptuageſimo. Sunt qui etiam volunt ſemen hoc Cachry nominandum, cardiacum eſt apud Actuarium Medicament. libro quinto. Eſt inſuper Cachrys, quoddam parturientis arboris indicium, quod nec fructum, nec florem propriè eſſe dixeris. Cachryn Plinius pilulam vertere auſus eſt libr. xvj. cap. vij.

Cadmia, Chymicis cathimia, & climia peculiare nomen, eſt corpus racematim & densè concretum in rudibus ferreis, ex fuligine æris in fornacibus candentis egeſta flatu, & lateribus cameríſque fornacum ferratis inhærente: eſt colore ſpodij, fractáque, cinerulenta, & æruginoſa, quæ optima eſt. Fit etiam ex argenti terra, & cocto lapide pyrite. Dicitur & Cadmia Botryitis Dioſcorid. & Galen. id eſt, racemoſa. Eſt denique lapis in montibus, & riuis fluminum Cypri repertus, alia omni cadmia efficacior, inuentu rarus. Lapide calaminari, ſic dicto, hodie æs tingunt.

Calamintha καλαμίνθη, cuius formæ tres ſcribuntur: vna hortenſis Nepita dicta: altera pro agreſti Pulegio oſtentatur: tertia Herbariis aliquibus herbæ catti, quæ vera Nepita vſurpatur: quartam addit haud vulgaris literaturæ medicus, quam, quòd in fontium irriguis calamintha depræhenditur, facultate, lineamentis, & figura, à cæteris differentem, facit. Dioſcoridi triplex legitur: Galeno duplex: Syluio autem ex Actuario, quadruplex: ſed ob imperfectam omnium hiſtoriam in hac ſententiarum varietate iudicium difficile, vt refert Syluius lib. priore de Medicam. ſimpl. natura: & Ruell. libro tertio, capit. xxx. Dioſcor. libro tertio, capit. trigeſimoquarto.

Calamus odoratus, vel aromaticus, neque galanga, neque acorus, ſed cannæ vnguentariæ ſpecies: Hippocrati μυρεψικός: Arabicus Plutarcho: Alexandrinus Celſo. Requirendus eſt Galenus Simpl. facult. libro ſeptimo. Syluius de Medimen. ſimpl. natura, libro priore.

Calamitæ, ranæ paruæ ſunt, & prorſus virides, quæ quibuſdam Dryopetæ vocan-

tur:quòd ſuper quercus, aliáſque arbores verſentur, ſic ſunt appellatæ, Plinio libro xxxij.cap.vij. Vigonęi Chyrurgi emplaſtrum ex oleo ingrediuntur.

Caligo oculi ἀχλύς, vlcus ſuperficiarium eſt, quod in nigro oculi apparet cœruleum, caliginoſo aëri ſimile, nigri partem maximam occupans. Caligare verò oculi, authore Celſo, nonnunquam ex lippitudine, nonnunquam etiam ſine hac propter lippitudinem, imbecillitatemvè aliam conſueuerunt.

Calendulam.I. Agricola in Leontopodio, non in caltha vult annumerari: Errant inquit, qui calendulam aliquibus ſponſam Solis dictam, Helyotropium eſſe cenſent: Cætera ſunt ex ipſo authore elicienda: nos verò meminimus paulò fuſiùs in dictione Helyotropium. Sed horum ſimplicium controuerſia dirimenda eſt ex lectione Dioſcor. Plinij, & Ruellij.

Canna ſiue arundo, Græcis δόναξ: de cuius radice cremata fictili vaſe, non autem de elephanti oſsibus, ſi Auicennæ credimus, ſpodium conflatur: quod de vtroque id facere reclamat materia ex Dioſcoride & Galeno. Quin Spodium fieri ex Pompholige, authorum recitatorum lectione ediſces: quod nos etiam adnotauimus in propriis dict.

Calx omnis viua vehementer vrit, & ſecundum materiam de qua conflatur multiplex, variáque eſt: cuius chymiſtæ diuerſitatem virium experientia nouerunt. Fit ex omni metallica & foſsili materia, & ex omni genere lapidum, oſsium, & cornuũ.

Calcifraga ἐμπετρον, quæ & ſaxifraga, vulgi appellatione Saluia vita, inter Scolopendria aliquibus annumeranda: itaque Plinio libro vigeſimoſeptimo, capit.nono, ea herba eſt in maritimis locis proueniens, & à calculis frangẽdis Saxifraga nominata. Author plenioris deſcriptionis, poſt Dioſcor. eſt Ruellius libro ſecundo, cap.centeſimovigeſimonono, & quod reliquum eſt, in dict. Saxifraga copioſiùs retulimus.

Cali herba in Galliæ maritimis prodit ad Narbonam, Solda regionem incolentibus appellata: de qua fit cinis, atque tum ex ipſo ſal nomine Alcali, & ſoldura veluti fex. in conflandis poculis candidis, quæ vitra & vitrea vaſa dicuntur, aptiſsima excipitur.

Callitricum καλλίτριχον, Adiantum videtur: cuius genera plura efferuntur, vt Polytricum, Cæteras, nigrum Adiantum, & album, Saluia vita, & lingua ceruina, quæ nomine proprio Omyonitis Dioſcoridi pronũciatur: quæ quidem herbæ omnes facultatis eiuſdem reperiuntur. De Adianto vtroque latiùs tractat Dioſcor. propriis cap. & Plinius lib.xxij.cap.xxj.

Calligonum καλλίγονον, vulgari nomine à ſiſtendo ſanguine Sanguinalis herba proclamata eſt: à Dioſco.lib.iiij.cap.iiij. Plinio lib.xxij.cap.xxj. Polygonum: differtque à Polygonato ſicut ſuo loco dicetur.

Calix κάλυξ, ſignificat folliculum, quo primùm flos, & deinde ſemen harbarum, vel fructus arborum cooperitur: à quo calliculus deducitur. Deſcriptionis rei huius author eſt Pli.lib.xv.cap.xxij. & lib.xvj.cap.xliij.

Calculus λιθίασις, renum aut veſicæ paſsio eſt, qua prouectæ ætatis homines, quàm pueri frequentiùs appræhenduntur. Cauſæ autem generationis exiſtunt, aſsiduæ cruditates, ardor ignea, humores craſsiores, & huiuſmodi ſimiles calculos formant. Curationis eſt author Galenus in eo libro, qui de Renum curatione inſcribitur: & Fuchſius lib.iij.de Medend.morbis, cap.xxxj.

Calathiana viola, flos eſt præter violarum naturam autumno erumpens cœrulei coloris, foliis minutis, ſine odore: à calathi figura nomen flos cum herba contraxit: cuius deſcriptor ex Plinio libro vigeſimoprimo, capit. ſexto, eſt Ruellius, quem adibis.

Caltha, quæ & calendula, & Solſequia κάλθη, quam violæ ſpeciem, eámque luteam & graui odore Plinius ſcripſit: vnde coniiciendum datur aliquibus Caltham Dioſcoridis eſſe Leucoium, præſertim tertij generis, luteis floribus, & odoratis,

ratis,maximi in medicina vſus. Petendus eſt Dioſc.libro tertio, cap.cxviij. & lib. iiij. cap.cvij.

Calor cœleſtis, eſt qui tanquam naturæ primariæ, ſeu diuinę primarium inſtrumentum, res varias pro variis elementorum miſturis generat. Cùm igitur Sol omnis luminis fons ſit, ab eo non ſolùm Luna,verùm etiam reliqua Aſtra lumen mutuantur, proindéque variis luminum, & calorum miſtionibus afficimur. Similiter quoque in plantis flores variis notantur coloribus, quod ars ſicut natura effingere nullo modo poteſt. Conſulendus Acakia ſuper priore libro Galen.ad Glauconem: & Angeſtus ſuper libris ambobus de Materiæ,& Formæ proprietatibus.

Calidum prorſus, frigidumvè nullum cæterorum corporum eſt,ſed ſola elementa:quicquid prꝗter hæc ceperis ex his miſtis conſtant, vt docet Gal.lib.primo Temperamentorum.

Calidi, frigidi, humidi, ſiccíque duo ſignificata hæc ſunt : alterum ex abſoluto ſermone, loquentium miſtura carens & ſyncerum : alterum ex contrariis miſtis conſtans:cæterum ex ſe pollent in miſtura nomine dictum:vt primo Temperamentorum libro tradit Galenus.

Cancer καρκίνος, fluuialis ambabus cholis anteriùs armatur, & induitur teſtaceis ſquamis toto corpore, quibus vſtis & in cinerem redactis aduerſus morſus venenoſos benefacere docet Galenus libro vndecimo. Simpl.medi. Cancrorum caro cum caprillo lacte,vel bubulo hecticis analeptica vſu cõtinuo,eſt. Quãtùm proficiant corpori humano cancri vel crudi,vel quomodolibet cocti in integrum docet Dioſcorides lib.ij.cap.ix.

Cancer καρκίνωμα, paſsio eſt corneę oculi, dolorem immenſum excitans, & ruborem tunicarum, cruciatúmque punctorium vſque ad tempora, potiſsimùm ſi quatiantur,protenſum vueæ membranæ paſsiones ſunt & πρόπτωσις, & croſio, & ruptio,corneævè procidentia contingens.

Cancer καρκίνος, & καρκίνωμα, eſt denique inæqualis, lineſcens, aſpectu teter, & cum dolore tumor, in omnibus corporis humani partibus qui fieri ſolent. Siquidem in oculis, vtero, verùm præcipuè ac ſæpiùs in fœminarum mammis accidit, quod raræ, & laxæ ſint, ac craſsiſsimam bilis atrę materiam promptæ excipiant. Fit enim hoc malum à Bile atra feruefcente, quæ ſi acrior exiſtit, vlcerationem etiam efficit. A ſimilitudine Cancri accepit nomen, quoniam in eo venæ oppletæ,& in ambitu tenſæ,cancri animalis pedibus ſimiles ſunt.

Carcinus καρκῖνος Manilio, commune nomen eſt Plinio, quo στρακόδερμα compræhenduntur. Ariſtoteles autem eos Cancros vocat tantùm, quibus corpus eſt rotundum.Cancer eſt etiam ſpecies στρακοδέρμων, quæ Gallis Crabes, hoc eſt, Caridas, & Gamaros. Galenus ſcribit Aſtacos, Paguros: Cancros, Locuſtas, Caridas,& Gammaros carne dura conſtare tam maris,quàm fluuiorum:atque ob id difficilimè confici,ſed firmi alimenti eſſe.

Cancamum κάγκαμον, neque lacca pictorum, neque myropæorum eſt : eſt arboris Arabicæ lachrima, myrrhæ quodammodò ſimilis, viroſi guſtus,ad ſuffimenta vſurpatur, Lacca interdum Actuario vſurpatur, præcipuè in duplici deſcriptione compoſitionis Dialacca,inquienti λάχαν κεκαθαρισμένον purgatum. Dioſcor.libro primo,cap.xxiiij.

Cannabis κάνναβις, ἥμερος,& ἀγρία, id eſt hortenſis, & agreſtis: planta eſt magni in vita vſus, præſertim quæ domeſtica colitur. Semen eius largiore cibo ſumptus, genituram extinguit : ſuccus ex plantę foliis conuenienter aurium doloribus inſtillatur. Syluestris Cannabis decocta radix, illitu inflammationes mulcet,humores diſcutit:tofos articulorum diſsipat. Hęc Dioſco.

Canaria

Canaria κύνωψ, quòd ea herba canes ad vomitum proritandum edocti à natura, vtantur. Canaria, vt Ruellio placet, accepit nomen : nullius quòd cõiiciam in medicina vſus, niſi ad ſanguinem è naribus eliciendum iuuenibus capitis dolore vexatis. Vtrùm Dioſcor. Phœnix ſit, quæ alioqui pleriſque officinis Palea nominata eſt, nondum liquet.

Canis-rubus κύνος βατος, Eſglanterius rubus eſt, non Flamboiſius, ſiue Ampoius rubus, frequentiſsimus in Grolæa Seguſiorum monte: & eo nomine ab incolis appellatus. Differt iterum à Rubo, qui inter Sentes refertur, proceritate, & eius fructu aliquantiſper: cuius rei ſcriptor eſt Dioſcorid. libro primo, capit. centeſimoſexto.

Canis teſticulus κυνοσόρχις, ἢ ὄρχις ἀπλοῦς, ſcriptoribus nonnullis creditur, ſed ex Geſnero ſecus. Teſticulus referente ex Andrea Dioſcor. nomine alio Serapias vocatur, quoniam radix ad multa vtilis ſit: radice bulbi effigie teſticuli ſimilitudine, quæ gemina eſt, apparet. Hæc differt à Satyrio, cuius differentiæ quàmplures paſsim Herbariis occurrunt. Reliquum libro tertio, capit. centeſimovigeſimo primo. docet Dioſcor.

Cantharides vermiculi alati, ſunt & verſicolores, luteas in alis tranſuerſas habentes lineas, corpore promiſſo, craſſo blattarum modo præpingues, inertes, ac imbecillæ quæ vnius ſunt coloris. Totis vtitur Galenus ad pſoras, & lepras libro vndecimo. Simpl. & in Theriace ad Piſonem. Hippocrates caput & pedes amputat in libro de Fœminarum morbis. Dioſc. earum differentiam tradit, & vires libro ij. cap. quinquageſimoſecundo.

Cammarum κάμμαρον, herbarum veneno quouis aptiſsima: quæ notiore nomine Aconitum Herbariis peritioribus appellatur: quam à radicis flexura Dioſcori. Scorpij caudæ aſsimilat. Cammarum item nonnulli eſſe Mandragoram voluerunt, aconiti genus referentes. Totius diſcriminis elucidandi author eſt Dioſcor. libro iiij. capit. ſexageſimoſexto. Nos attigimus partem potiorem totius energiæ in dict. Aconitum & Toxicum.

Cania, vrticæ ſylueſtris, vt Plinio placet, genus acre, caule mordaci, fimbriatis foliis: quod vrticam græcam eſſe ſuſpicor ab ipſius hyeme vehementi mordicatione, in quo tempore, cum ſuis pilulis racematis & virentibus, pollet. Locus ex ea nudus membri qui tangitur, Confeſtim in ardentes puſtulas conuertitur, & aduritur, quia veneno abundat. Vrticarum differentias loco ſuo repoſuimus, poſt Dioſcor. diligentiam libro quarto, capit. octogeſimoprimo. Plinius libro xxj. capit. xv.

Capillus ſeu crinis, eſt corpus frigidum ſiccum, ex humorum inter cutem & carnem fuliginoſa materia per poros ſpirante, compoſitus, ſenſus expers. Eſt & herba vulgato nomine Capillus Veneris, cuius Adiantum album, & nigrum nomen retinet pro ſimplici vtroque: ſub quo Polytricum Trichomanes, Ceterach, & ſaluia vita conſtituuntur: quorum petes proprias dict.

Capillorum contenta in vrina ſunt, quæ capillis ſimilia apparent: quæ in vaſis ſanguineis, & ſpermaticis generantur, & per renes, & vreteras purgantur. Accidit nonnunquàm vt pus, ſanguis, arenulæ, carunculæ, & alia quædam minguntur. Petendus eſt Galenus libro ſexto. Locorum affectorum, capit. tertio. Actuarius de vrinis libro ij.

Caput κεφαλή, quod namque humanum capillis eius, tanquam terræ, radicibus ſuis inhærentibus tegitur: ſub cuius cute membrana eſt, quæ extrinſecùs caluariam cingit περικράνιον nominata: os verò ipſum quod cerebrum ambit κρανίον eſt, Latinis caluaria, & teſta dicta.

Capitis naturalis figura eſt ad oblongæ ſphæræ ſimilitudinem ſtructa: alia verò eius natura, quæ φοξὸν dicta eſt, deprauata, & acuminato vertice, vt eſt author Gal. in libr.

libro de Oſsibus,& in libro Artis paruæ.

Capitis iterum partes, quarum eius portio prior eſt, Synciput, & βρέγμα: poſterior verò occiput: media autem inter Syncipùt, & occiput pars,vertex nuncupatur.

Capitis ſuturæ tres ſunt, ac duæ quidem tranſuerſæ, quarum altera in Syncipite eſt, nomine Coronalis ςεφανιαῖα, quòd coronæ in ea capitis parte collocentur: altera in occipitio exiſtit, & .Λ. ſimilitudine λαμβδοειδὴς vocata eſt. Tertia à medio poſterioris per capitis longitudinem ad mediam vſque partem anteriorem extenditur: cuius nomen Sagittalis, & recta,ὀβελιαῖα Græcis, atque harum ſuturarũ figura. H.literæ ſimilis apparet.

Capitis pars, quæ ſub ſyncipite poſita eſt, pilis vacua, aperta frons eſt: cuius ad latera ſunt tempora, ſic dicta, quòd in ipſis animalium ætas, & anni dignoſcantur, dempto in homine. Spectant iterum in homine ad tempora oſſa duo, quæ vtrinque ad aures ſunt poſita conſtituunt, & petræ formam referunt: ob id verò petroſa, & lapidoſa, λιθοειδῆ Græcis nominantur. Iterum ſuturæ duę ſunt ad tempora, quæ κροτάφιαι,hoc eſt, temporales, & ſquamæformes λεπτοειδεῖς: quæ veriùs ſunt commiſſuræ,quàm ſuturæ, hinc eſt quòd mendoſæ etiam dicuntur.

Capitis dolor κεφαλαλγία, qui non inueteratus eſt, non curando an per ſe accidat, aut alterius affectus ſymptoma ſit: vulgaribus medicis Soda eſt. Huius autem duæ cauſæ ſunt: nunc enim ex ſola intemperie ſimplici citra humorum complexum, nunc verò ex humorum copia accidit. Vehementiſsimi autem capitis dolores fiunt, ob caliditatem, & frigiditatem: moderati ob ſiccitatem. Humiditas ſuiipſius reſpectu nullum planè dolorem inducit, niſi calori, aut frigori, aut copiæ humorum adiuncta ſit. Simili modo humoribus vel in toto capite, vel in aliqua tantùm parte redundantibus calidis quidem ac frigidis vehementior, ſiccis verò moderatior dolor inuadit, ſi tamen ſiccitas abſque manifeſta caliditate fuerit. Humidi autem, quantum in ipſorum ratione eſt, nullum prorſus dolorem afferunt, multitudine tantùm grauantes, ſi citra obſtructionem ſint. Cum obſtructione enim moderata, moderatè dolorifici: cum forti, vehementer doloroſi ſunt. Atque hæc, quæ capitis dolorem internum inferunt vexatis.

Capitis dolor ſi cum pondere fuerit, ex humorum abundantia eſt: ſi cum pulſu, feruorem cum calore poſsidet: ſi tentio ineſt ſine pondere, & pulſu, indigeſti flatus copia eſt: ſi verò cum pulſu, à feruore membranarum indignatio eſt: ſi autem cum pondere, ſinus infeſtantur. Author Galenus lib. primo ad Glauconem, cum Acakiæ explanatione: & ſecundo libro Curationis Locorum partic.

Caruncula,ſiue carnis excreſcentia,& ipſius incrementum, ſub fiſtula lachrimali in oculo: quæ etiam ſuffuſio explicatur,inter ægritudines ſolet oculorum adnumerari,ſicuti ſcriptum reliquimus in dict. Fiſtula lachrimalis.

Carbunculus, ex humore craſſo,feruidóque gignitur: cui ſi pituitoſa ſanies miſta ſit,cum puſtulis:ſin ſyncerus ac purus, ſine his: quam occupant partem, exurit, exulcerat,ac ei cruſtam inducit:magis minuſvè pro humoris facultate. Nã vbi craſſus ſanguis vritur,minùs:vbi flaua bilis ſupra modum torretur, magis periculoſum carbunculum creat.Interdum verò vitioſam,peſtilentémque putredinem cõtrahit, iſque enecare protinus ſolet.Quò igitur is vitioſior humor eſt,eò maiore cum periculo in corpus repellitur.

Carbunculi genus alterum parit ſanguis niger, craſſus, fæculentus, ac, vt prior, feruidus,cui admiſta ſanies quædam tenuis ſit, quæ gignendis in ſumma cute puſtulis,iis quæ ex igni fiunt,ſimilibus,materiam ſuggerit:ſeroſa enim hæc humiditas, vt quæ tenuis ſit,facilè in cutem,vt diximus,erumpere poteſt.Inter quam & ſubiectam carnem concluſa puſtulas parit: ſub quibus ruptis cruſtoſum vlcus inuenitur. Au-

thor

thor curationis eſt Galen.libr.ij.ad Glauconem,cum Acakia,& Fuchſius in Opere chyrurgico.

Cartilago corpus eſt terreſtre, ex tendinum capitibus, neruo, ligamentis, & oſſe compoſitum: iuncturis membrorum,oſsiúmque extremitati inhæret. Quæ vix fra- cturam,rupturamvè patitur,ſi vulneratur, difficilimæ quidem eſt conſolidationis.

Carus κάρος, medicis popularibus, Subet cum Arabibus, paſsionis Lethargicæ ſpecies eſt, ſenſuum, vniuerſarúmque motionum priuatio, ſpirandi facultate manente illæſa,conſequitur. Differt ab Apoplexia,quòd in hac ſpiratio vehementer opprimatur,ſic vt quis vel magno conatu,vix ſpirare poſsit:in illo autem ſpirandi facultas haudquaquam lædatur,Gal.lib.iiij.de Locis affectis,cap ij.

Carpobalſamum, ſiue balſami fructus, flauum ſit,plenum,grande,graue,mordax guſtu,& feruens in ore,modicè opobalſamum redolens. Poſt Dioſcorid. quærendus eſt Galenus libro ſexto,ſimpl deinde ſunt requirendę dict.Balſamus,Opobalſamus. & Xilobalſamus,vbi multò plura leguntur.

Capito ὁ κέφαλος,piſcis è Mugilum genere aliquibus putatur:Tetardus Parhiſina lingua,Romanis Italiæ populis Cephalo,dictus Galenus optimum eſſe docet, qui impuriſsimo mari verſatur. Hæc eſt Hiceſio apud Athenæum libr. ix. Dipnoſophiſt. Scholiaſtes. Maioris deſcriptionis Galenus author in lib. de Alimentis: & Gillius in lib.de Piſcibus.

Cantabrica καντάβρικη, exilit paſsim propter vias in Biſcaia Hiſpanię regione,pedali ac iunceo caule,floſculis calathi figura,oblongis,in quibus exile ſemen:radice nigra,longa,digitali craſsitudine:foliis humi ſeſsilibus,longis, quæ non extollantur à terra. Hanc rura noſtra Colubrinam vocant:quam ex Plinio depinxit Ruell. libro ij. cap.cxxxj.

Caphura κάφουρα,poſt Dioſc.Plinij, Galeni, AEgynetæ ſeculum,inuenta : Aëtio, Actuario, Simeoni, Arabibus celebrata eſt:lachrima Indicæ arboris ferulaceæ quidē, ſed maximè frequentibus fulgetris,tonitru, terræ motu copioſior proueniens: quæ igni,vel Sole ex rubro albeſcit, pellucet,& friabilis eſt: frigida ſicca gradu tertio Arabibus,támen miſtam habet ſubſtantiam, vt Syluio placet: ſed Simeoni ordo non expreſſus eſt.

Capparis inturis κάππαρις, vulgaris notitiæ eſt,cuius radicis cortex acer, acerbus, amarus:lienes induratos, & hiſciddas mirificè iuuat ſumptus, vel cum idoneis remediis admotus, Eadem radix etiam hepatica eſt,flos,& fructus aceto & ſale conditus primis menſis ad excitandam appetentiam,medicorum indulctu, ſumitur, licet ſtomacho noxius,& aluum turbare cum ſiti Dioſcoridi dicatur. Exquiſitioris lectionis eſt Galen.author libro ſeptimo de Simpl. & libro nono, Compoſ. pharmac. Dioſc.lib.ij cap.clxvj.

Caprificus ἐρινός,cuius caprificatio σύκασμος,id eſt,ficus ſylueſtris nonnunquàm quod producit matureſcens,ſed aliis tribuens,vt refert Plinius lib.xv.cap.xix. Ruell. lib.primo,cap.lxxxj.

Caprifolium,periclimenum eſt,id eſt, Materſylua Largo nominata:ſimplex fruticat,ex interuallis parua folia habens,ipſum amplectentia,ſubcandida,hederacea,inter folia ſurculi exeũt, in quibus baccæ hederę ſimiles:flos fabę,candidus, aliquantulum rotundus, & quaſi in folium procumbens:ſemen rotundum, & quod difficilè euellatur. Naſcitur in aruis & ſepibus. Cætera collige ex Dioſco.libro quarto, capite duodecimo.

Caprea,olim vitis ἕλιξ,& ἄμπελος,quòd adnatis ſingularibus capreolis tãquàm manum digitis ſe viciniori plantæ retineret,dicta eſt.

Caprimulgus αἰγοθήλας, auis montana, paulò maior quàm merula, minor verò quàm cuculus,in caprarum ſtabula aduolans,earum vbera ſuggit, qua iniuria vber extinguitur, & capræ cœcitas oboritur. Hæc ex Plinio libro decimo,capit. xl. author Scholiaſtes.

Cap

Capnos κάπνος,ſeu fumana,fruticoſa herba eſt,prætenera, coriadri ſimilis: foliis candidioribus,vndique numeroſis:flore purpureo:viret toto anno in agris cultis, & maceriis.Dioſc.lib.iiij.cap.xcv.Meminimus etiam in dict.Fumaria.

Cara radix κάρος,vulgò Paſtinaca ὁ ϛαφυλῖνος μείζων, vt ex Athenæo interpretatur Geſnerus: radix eſt herbæ eiuſdem nominis,qua lacti admiſta & cocta Hircius ſcribit Cæſaris exercitum diu inopiam leuaſſe.Si Carum Dioſcoridis eſt, eius radix cocta,& paſtinacæ modo,manditur:cuius ſemen vtiliter miſcetur antidotis,quoniam auiſi vicem præbet.

Cardamum nigrum Largo,id eſt,naſturtium,κάρδαμον Græcis, in hortis paſsim proueniens.Semine & folio Naſturtium ſiccum eſt, cauſtico, & adurente, vt ſinapi, phægnimum,hoc eſt rubificationem in coxendicis,aut capitis dolore excitat. Olitores Creſsionem Alenoyz vocant.

Cardamine καρδαμίνη,aliquibus Siſymbrium eſt,σισύμβριον,quòd Officinis Naſturtium aquaticum vocatur:quemadmodum id eſſe Scholiaſtes Creſsionem aquaticum,ex Dioſco.lectione lib.ſecundo,cap.cxvij. contendit. Aliis præterea nonnullis Hiberis,cui nomen aliud Lepidium,ſuſpicatur:& duplex depræhenditur, vt in dict. Lepidium ſcriptum reliquimus,ex Ruell.lib.ij.cap.lx.

Cardamomum maius κάρδαμῶμον μείζων,granum paradiſi non eſt, ſed quòd Arabum nomenclatura Carpſicum appellatur. Vtrunque tam maius, quod granum paradiſi vocant Officinæ,quàm minùs,nihil habet commune cum Dioſco.& Galen. vero Cardamomo,hodie etiam nobis deſiderato. Quod facilè coniiciendum eſt ex Galen.libro nono.Compoſi.pharmac.& libro primo Antidot.Plinio libro duodecimo,capit.decimotertio.Cardamomum minus Arabum ſententia, frutex eſt Amomo ferè ſimilis,odoratus:quem plerique Amomum ipſum eſſe coniiciunt, quod modo eodem metitur ſemine ſuo oblongo & anguloſo.

Carduus varius,ac multiplex eſt:Altilis σκόλυμος ἥμερος,qui in hortis colitur: eſt denique agreſtis ſcolymus: vtrumque Articancalum Geſnerus ſuſpicatur: nomine alio Columellæ rei ruſticæ libro decimo Cinaram,dictum. Amborum ſemen, & radix aduerſus venena pollere Nicander author eſt, vt in Carlina agreſti carduo plerunque probatum eſt Dioſcor.lib.iij cap.xiiij.Ruellius lib.iij.cap.xiij. Quod deſideratur hîc,vide in dict.Cinara.

Carduus benedictus κνηκὸς,hortenſis eſt, non agreſtis vt Atrattilis, neque cartamus,cuius ſemen purgatorium eſt,flos autem pro croco oriẽtali myropolis effertur, atque in vſu eſt. An verum ſit acanthium, vel chamæleontis ſpecies aliqua, dictu facile non eſt ob imperfectam horum hiſtoriam.

Cardui benedicti ſingularis facultas eſt aduerſus venenoſos, & peſtilentes affectus,necnon putres intrinſecus humores. Theophraſto,vt recitat Ruel. lib.iij.cap. lv. Atrattilidis ſpecies eſt.

Careum κάρος, reſenſimus in dict. Cara: officinæ ſub carui nomine vſurpant, Geſnerus Græcos recentiores, vt quibuſdam placet, Carnabum appellari ſcribit: ei quoque nomen multiplex Carum,Carion,Careum,& Caroon.Gal. lib.vij. Simpl. & Dioſco.lib.iij.ſub nomine Careon multò plura docent.

Carlina pro carduo vſurpata Chamæleon albus non eſt, ſed niger Seguſiæ, & Allobrogum incolis valdè notus: cuius quidem ſententiæ neque Braſſanolus eſt, neque I. Agricola:verùm genus tertium ſuſpicantur carduorum: quod ſub nomine Carnabum retulimus.

Carotides καρωτίδες,venæ circa colli iugulum ſunt, quæ σφαγιτίδες Ariſtoteli, id eſt,iugulares dicuntur. Carotides autem appellatæ, quod his vehementiùs compreſsis,Caros morbus gignatur.

Carpeſium καρπήσιον,nonnullorum ſententia Cubebarum fructus non eſt: quorundam verò Dioſc.& Gal.oximyrcines,ſeu myrti ſylueſtris, fructus: cùm nullibi Carpeſiorum meminerit vterque,vt Cubebas cum prædictis collatas patebit. Hæ

enim ſunt fructus tenues pipe æmulantes,ſed minùs acres & ſubamari. Galeni verò Carpeſia ſunt καρφη,id eſt,feſtucæ tenues ἀκρεμοσι,id eſt,ſurculis cinnamomi ſimiles odore vocati φοῦ,& facultate etiam phu ſimilia.Plura docet Syluius libro primo de Medic.ſimpl.natura.

Caryophyllum κάρυόφυλλον,quaſi nucifolium, quamuis hanc non ſeruet naturam,quæ nomine prætenditur:fructus eſt arboris Aëtio, AEgynetæ autem Indicæ arboris cuiuſdam flos,feſtucaceus,niger,longus,acer,ſubamarus, odoratus: à figura clauus paſsim nominatur.

Caryotæ,& caryotides φοινικες, palmulæ genus in Iudæa præcipuè circa Hiericontem naſcens:ita appellatum,à capitis grauedine,quam edentibus gignit:ſi Plinio credimus lib.xiij.cap.iiij.Scriptoribus aliis palmulæ gratæ ſunt cibis, quarum ſuccus vberrimus,& vini loco Orientalibus gratiſs.Palmularum genera ſunt tria à Geſnero deſcriptione diſtincta.Quære dict.Palmulæ.

Carduelis ſiue Acanthis ἢ τραυπὶς, auicula notitiæ vulgaris, ex his eſt quæ carduorum grana appetunt:vnde factum arbitratur,vt omnes eas aues Cardonetos ſermone Gallico carduos appetentes,appellemus,& ſi ſunt generis promiſcui,vt eſt author Ariſtoteles lib.de Hiſtoria animalium viij. atque hanc rem nos attigimus in dict. Acanthis.

Caſia,xilocinnami cortex eſt,qui rarus ad nos defertur:nigritiæ in faſciculis deprehenſus.

Caſia genere proxima cinnamomo eſt, quin ipſa nonnunquam ex æmulatione cinnamomum euadit,vt totum quidem veluti exacta arbor,Caſia videatur: circuli autem in ea quidam cinnamomi,ramis caſiæ proximi reperiantur, vt optima caſia in cinnamomum ſæpius degeneret.Ob id etiam authores pro cinnamomo frequentiùs caſia vtuntur.Cætera retulimus in dict.Cinnamomum.

Caßia,cognomento fiſtularis,fructus eſt ad nos ex India vectus,oblõgus,teres, fiſtuloſus,concretum intus humorẽm continens,non vua coaleſcens ſerie, ſed ex interuallis lignoſis membranis interuenientibus ſeptum,ſeminalibus granis. Hæc ſufficienti modo diſtributa quibuſuis,incandeſcentem,torridámque bilem citra moleſtiam expurgat.Quia indicta veteribus Grecis,tota deſcriptio petenda eſt ex Actuario lib.v.compoſitionis medicamen.aut ex Meſue, Syluij curà reſtituto.

Caßita auicula,caudam tremulam vulgus vocat,Aëtio cap. de calculorum curatione,Troglodytes auis hęc nominatur,quæ regulo paulò maior,& nigrior eſt: caudamque ſemper ſubrectam & albo colore tetro interpunctã habet: magis item garrula,quàm regulus eſt,& ſanè iuxta ſummum alę lineamentum cinerei ampliùs coloris:breues item volatus facit:naturalem autem vim omnino admiratione dignam habet.Cætera leges apud eundem authorem.

Caßytas κάσυτας,Latinis Caſſuta,quam officinę podragram Lini,& Cuſcutam appellant:quę ſi quando Thymo frutici hæret, epithymũ eſt. Dioſcoridi hęc caſſuta deprehenditur,reclamantibus Manardo,Othone, eſſe Androſacem affirmantibus: verùm qua tandem ratione nixi ambo,qui à Dioſc. deſcriptione tam latè diſcedant, viderit peritus lector:ſed non pauca nos in dict.Epithymum retulimus.

Caßita præterea auis eſt,nomine Ciris:cuius deſcriptionẽ Vergilius facit ad Meſſalam.Extat & de ea perelegans apologus apud Geliũ lib.Noct.Acticarum ij. quam Caſsitã appellat.Aliquid in dict.Alauda de ea retuli,ne hîc prolixus lectori videar.

Carpophyllum καρποφύλλον,Lauri genus non niſi in montibus naſcens,foliis mollioribus:ad coronas,non ad medicinam, conficiendas accommodatiſsimũ perhibetur:vt Pli. eſt author lib.x.cap.xxx.Eſt & Caryoppos authore eodẽ lib.xij.cap.xxviij. cinnamomi quoddã genus,quod in Syriæ regione gignitur.

Caryithes Plinio lib. xxvj. cap. viij. ex Tithimali genere eſſe repræſentatur, & deprehenditur foliis myrti acutis, ſed pinguioribus, tota planta in re medica perniciosa eſt.

Caryon,

Caryon κάρυον, ad omne genus nucis nomen hoc commune eſt: quanquam peculiariter hanc ſibi nomenclaturam Iuglandes, id eſt, nuces nobis communes, vendicarunt. Nam quid ſit Iuglans, poſt Plini. lib. xv. capit. xxij. & lib. xxiij. cap. iiij. Dioſcoridem lib j. cap. cxlj. in dict. Nux repoſuimus.

Caryca καρύκη, edulij genus ex Cælio Rhodigino lib. xxvij. cap. xxiij. refertur, ex variis cum ſanguine condimentis compoſitum. Eſt denique Carica per I. Latinũ ſcripta, quæ inter ficus pingues inferitur, & in re medica vſui eſt: quod adnotatum eſt in dict. Ficus.

Carphos fœnogræcum eſt, nomine alio Buceras à bouis cornuum ſimilitudine: aliquibus item AEgoceras, quod ſiliquas caprarum cornuum modo rependat. Telis quoque Græcis ſignatur. Vires & vſum collige ex Dioſc. lib. ij. cap. xciiij. deinde Plinio lib. xxiiij. cap. xix. Sed & repetenda eſt dict. Fœnugræ.

Caſtanea Sardiana διὸς βάλανος, quaſi Iouis glans efferas, aut Lopimum appellatur aliquibus. Genus duplex, vnum quod prouenit in arboribus ſui nominis: alterũ, in aquis ſtagnantibus herbacea planta innixum, triangulari armatum aculeo: Tribulus aquaticus Dioſcoridis eſt, lib. iiij. cap. xiij. Ruel. libr. primo, cap. ſexageſimoprimo. Quære dict. Tribulus.

Cataracta ὑπόχυσις, Suffuſio eſt teſte Celſo lib. vj. cap. vj. & Galen. lib. de Oculis, Theorem. vj. cap. xj.

Cataplaſma, eſt quod ex plantis viridibus, vel interdum aridis, contuſis, vel iiſdẽ ad molliciẽ vſq; in aqua decoctis, adiecto oleo pro componendis arbitrio, conficitur. Componẽdi formulæ apud Meſuem. Myrepſum, Fuchſium, & Syluium, variè habentur.

Catapotium ſeu pilula καταπότιον, medicamentum à paruæ pilæ ſimilitudine compactum, quod deglutiendo ſumitur. Et ne ventriculus adſcititiis grauetur humoribus, vernaculis interdum alioqui ſatis oneratis, à medicis priſcis quidem tale excogitatum fuit: & aduſque ætatem noſtram ventum eſt. Hoc ſanè ſecundum ægrotantium ætatem, vires, morbum, & tempus variatur, quemadmodum & aliæ medicamentorum texturę. Nam finitore Scrib. Largo, Catapotium id eſt, medicamentum quod non diluitur, ſed ita vt eſt, deuoratur, & pro varia morbi ratione diuerſum componitur. Sic namque forma ſimili vſus eſt L. Apuleius.

Cataputia, ea ſpecies Tithymali eſt, quæ à Dioſc. Characias vocatur: cuius in vſu ſunt & ſemina, & radices, & ramuli, vt retulit Io. Agricola. Eſt ſimiliter & altera Cataputia, Latinis Ricinus dicta, Gręcis κρότον, & κίκι, & Arabibus Kerua, vnde oleum ex ipſius ſemine appellatum.

Cartamus κνῆκος, & Atractilis hortenſis, officinis notitiæ vulgaris. à quo floris capillamenta ex ipſius pappo leguntur, quibus pro croco generoſo culinarij in cibariis, & ferculis colorandis, ſicut ſuppoſititij Myropeij in aromatibus, vtuntur. Eſt & agreſte genus alterum, quo olim mulierculæ pro fuſo vſurpabant: quod à ſuperiore differre, niſi ſolùm agricultura, videtur. Plura ſcripſimus in dict. Atractilis.

Catanance κατανάγκη duplex deprehenditur Geſnero: Scholiaſtes patam lupinam Catanancem interpretatur: & quòd cogat ad amorẽ ſortilegio, nomen retinuit.

Cathartica, hoc eſt, purgatoria medicamenta, vel communiter quæ excrementa quouis modo vacuant, vel per excellentiam, quæ vomitu, aut ventris deiectione humorem ſibi familiarem trahunt, non ſolo calore, ſed qualitatum quæ in ſubſtantiis ſunt, proprietate, ſeu totius ſubſtantiæ ſimilitudine, & ſimili elementorum miſtione quatuor: quæ res experientia ſola cognoſcitur. Ex Galeno Syluius.

Cathæreticum, id eſt, ſuperficiem ſolam detrahens, & hyperſarcoſim abſumens, vnde & ſarchophagon quoque dicitur: eſt calidum ſiccum minùs, quàm ſepticum, vt flos aſiæ petræ, æris ſquama, æs vſtum non totum. Gal. lib. v. Simpl.

Catheter, concauum inſtrumentum, oblongum, teres, ex argenti, auri, æriſvè ma-

teria conflatum,ad reddẽdam per colem ex veſica vrinam maximè neceſſariũ, quod Sonda Chyrurgis appellatur : Largo Methrenchites,ſicut in eadem dictione adnotauimus.

Cathophlepas ſerpens eſt, cuius ad ſeſquicubitum longitudo ab incolis loci ſpectatur:eius caput quod pergraue eſt,humi deiectum ſemper habet, cæteris quoque mẽbris iners:morſu,viſu, ſibilo vt Baſiliſcus, necat : ſiquidem ab eo percuſſum animal diſſolutum moritur. Naſcitur in AEthiopia prope fontem Nitrim ſcaturiginem, ori ginémque Nili fluminis. Quære AElianum de Hiſtoria animalium lib.vij.capit.j. Plinius li.viij.cap.xxj.

Caſtorium, Caſtoris ſiue Fibri ancipitis vitæ animantis,vterque teſticulus eſt : tenuium valdè partium. Deque ipſis teſtibus oleum locis frigidis appoſitum efficax, componi vbique ſolet. Neque inepti ſunt Caſtores,qui ad Iſaram,& Rhodanum flumina capiuntur, ſpectaculo mirabili animantes, cauda piſcoſa ſquamis obducta, pilo ſupernè canino,pedibus anterioribus Simiæ,poſterioribus Anſeris,ſed vngatis, au ribus vulpis,dente validiſsimo,ſeta oris cornea,architectura in foſſa ſua mirabili,ani mal aliud omne vincens.

Caſus,cauſa eſt per accidens eorum quæ raro contingunt,& alicuius gratia:fortuna verò cauſa per accidens agentium ſecundum propoſitum eorum quæ raro eueniunt,& alicuius gratia,vt ex ſententia,ratione,voluntate,& contra.

Cauſa,eſt ad quam aliquid ſequitur:ad eam verò aliquid ſequi ex ea, eius gratia aliquid fieri:quod autem ad eam ſequitur,effectus nominatur.

Cauſa efficiens eſt,à qua aliquid fit,vt conſeruans,producens,& corrumpens. Finalis,gratia cuius aliquid eſt.

Cauſa propinqua,eſt quæ particulari nomine deſignatur:aut inter quam & effectum non multæ interiacent cauſæ,remota verò,quæ nomine communi deſignatur: aut inter quam & effectum multæ interiacent cauſæ.

Cauſa per ſe,eſt quæ cùm ad aliquid ſuapte natura ſit,cauſalitatis nomine pariter expreſſa eſt:per accidens autem cùm ad effectum non ordinetur:aut cauſalitatis nomine non ſit expreſſa.

Cauſa in actu,eſt quæ ſimul cum effectu exiſtit:in potentia autem ea dicatur, quæ non ſimul cum effectu exiſtat.

Cauſa primitiua à materia,eſt ex qua cum aliquo fit aliquid. Rerum verò naturalium materia,eſt ex qua cum forma fit compoſitum. Secundò, eſt in qua aliquid fit,vt in ſubiecto.

Cauſa formalis,eſt per quam res habet eſſe: nam dat eſſe rei, & eam conſeruat in eſſe:ipſa namque præſente,res eſt:& ipſa fugiente,perit. Rerum naturalium forma ea eſt,per quam res naturales exiſtunt.

Cauſa morbi,eſt affectus præter naturam morbum præcedens, eúmque excitans. Per hunc ſanè affectum ſuaptè ratione,per ſe,& primo non læditur actio,ſed ex accidenti,vel ſecundo,interueniente nimirum morbo:vt author eſt Gal.in lib. de medic. Definitionibus.

Cauſa morbifica duplex eſt, vna quidem externa, quod extrinſecus adueniat, nec intra corpus animalis conſiſtat, veluti frigus, aut Scorpius pungens: & hæc primitiua cauſa morbi neotericis medicis appellatur. Altera interna, quæ in ipſo animalis corpore conſiſtit, vt ſunt humores præter naturam affecti: hanc Græci προηγουμένην,nos antecedentem : & ſuperiorem προκαταρκτικὴν,nos verò primitiuam cauſam dicimus. Harum ſiquidem rerum examen copioſius habetur apud Galenum in libr.de Morborum cauſis:& primo, & ſecundo Methodi medendi lib. Item Fuchſius comp.medicam.cap.xxiij.

Cauſæ conſeruatrices ſunt,quæ conſtitutionem corporis conſeruare poſſunt, modò commodè iis vtamur:vt Gal.ſcribit Artis medicæ cap.lxxxviij. Noſtri ſeculi medici res non naturales vocant,quod nimirum corpus noſtrum neceſſariò arterent, & niſi opportunè, ac ſalubrè adhibeantur,ſanitatẽ etiã deſtruant. Ab his itaque ſex res non

non naturales numerantur,prima,aër,quòd eo, quandiu vita fungimur, alteramur: ſecunda,cibus,& potus,ſeu ea quæ aſſumuntur:tertia motus & quies,tum totius corporis,tum ſingularium partium:quarta,ſomnus,& vigilia:quinta,excretio & retentio,ſeu abundantia,& inanitio:vltima,animi perturbationes. Quæ diligenter exprimuntur à Fuchſio in lib.comp.medic.cap.xv.

Cerebrum,eſt quod nulla alia ratione factum à natura exiſtit, niſi vt neruorum principium, & vniuerſorum ſenſus inſtrumentorum, motúſque voluntarij dux eſſet. Eius ſtructura in anterius nempe eſt, & poſterius diuiſa:humidum à natura, & frigidum,vt docet Galen. Vſus partium lib.viij. Vel ſic.

Cerebrum diuiditur in anterius,& poſterius:anterius mole ſuperat poſteriorem, molliúſque eſt:in dextrum & ſiniſtrum à dura membrana ſecatur: poſterius alteri adiacet,vnde à paruitate cerebellum dictum.

Cerebri ventriculi duo anteriores animalem ſpiritum priùs elaboratum in cerebellum tranſferunt,memoriæ efficiendæ gratia:quapropter neceſſarium fuit meatū fieri ex illis in poſterius cerebrum:éſtque cerebri ventriculus totius:in quo animam, neque in corde,reſidere Galenus falsò putauit.

Cerebri meatui huic particula in modum fornacis facta, extrinſecùs gibba, intus caua,vt liberum habeat motus ipſius ſpacium,incumbit:quæ fornix, & camera medicis Latinis,Græcis verò καμάριον, & ψαλιδοειδὴς,accepit nomen.

Cerebri meatui corpus quod iuxta ortum adiacet,quòd figura pineam nucem referat,κωνάριον vocatur.Ex vtraque medij illius meatus rotunda corpora ſubiacent,à Græcis γλουτία nominatur, hoc eſt, cerebri nates, vel teſticulis haud diſsimiles, διδυμία,Græci vocant.

Cerebri meatui vermiforme,id eſt,particula quædam adnata ſuperiacet, quæ circunſcriptionem obtinet,figura vermi inſignis naſcenti ſimilem. Corpus hoc Anatomici,quia totum meatum contegit,excreſcentiam vermicularem,ſiue σκωληκοειδὴ ἐπίφυσιν,nuncuparint.

Cerebri ex medio vermicillo canales duo ad palatum recrementa deriuantes procedunt,quos concauitas quædam excipit:quæ à figura labrū,vel ſcyphus,vel peluis,à Græcis πύελος:ab vſu autem infundibulum,& χοάνη dicitur,quòd ſupra amplū ſit, infra autem in anguſtum deſinat.

Cephalæa κεφαλαία,eſt morbus diuturnus,& ægrè cedens capitis dolor: qui ex parua occaſione vehementes exacerbationes,adeò vt neque ſtrepitus, neque vocem vehementem,neque ſplendidum lumen,neque vini potum,neque caput replētia odoramenta,neque motum tollerare poſsint:ſed in quiete & tenebris decumbere cupiāt, vt quibus veluti à maleolo feriri videantur.Gal.requirendus eſt Locorum affectorū lib.iij.cap.ix.

Ceratum,quod à cera nomen habet,eſt quod ex ſpeciebus pauló craſsioribus caryophili,galangæ,cinnami,maceris,atque ipſius myriſticæ nucis,Zaduræ, iunci odorati,calami,aromatici,xiloaloes,xilobalſami, galliæ moſcatæ, amomi, cardamomi, ſpicæ nardi,balauſtij,roſarum,violarum,chamæmali,ſtechadis,coronæ regiæ, maſtiches,myrrhę, olibani, ladani, ſtateidos, aloes, ſanthalorum :& oleis ex maſtiche, mentha,abſinthio,roſaceo,chamæmelino, & cum cera nuper excreta,aut terebynthina reſina formatur.Variatur tametſi peritorum artificum induſtria, & vt poſtulat ægrotantis ipſa infirmitas. Similium compoſitionum conficiendarum pręcipui authores ſunt Celſus,Scrib.Largus,& Gale.lib.ij.κατὰ γένη.

Ceruix,ſpondilium ſeu vertebrarum principium eſt,& ab his ſpinę dorſi capitiq; adnectitur:atque ipſi denique ceruici, à quo collum,vertebræ ſeptem numerantur. Quod ſupereſt,reperies in dict.Vertebræ.

Ceruſſa, Largi interpretatione ψιμμίθιον Græcis vocatur: fictitia res eſt, atque inter venena Braſſa mirantur. Decipiuntur qui ceruſſam æruginem plumbi

faciunt,quoniam ęrugine plumbum caret,tamen ex plumbo & aceto fieri certũ quidem eſt:atque ex ea coƈta,vt cruda,vnguentum paratur. A Dioſcoride,libro quinto, & Plinio lib.xxxiiij.cap.xviij.& Vitrimio,lib.Archit.vij.Gal lib.ix. Simpl. & primo compoſ.pharmac.modus conficiendi docetur. Poſt omnes autẽ Serapio ad vnguem conficiendi formam oſtendit cap.ccclxxvij.& Geberus ſuæ artis lib.j.

Cedrus,ἡ κέδρος,& Cedrula,vtraque noſtratibus perquàm rara arbor: quæ vulnerata,& de ſe prægnans etiam liquorem illachrimat, qui cedrinus omnibus appellatur,impensè calidus & ſiccus,vt Gal.placet lib.j.compoſ.pharmac. καταγέιν. Dioſco. lib.j.cap.lxxxix.

Ceſtrum,& Arabum corrupta voce,Tethraith,Betonica eſt,nonnullis verò herba,cui denominatio eſt Iudaica:quæ potiùs inter Syderitides videtur adnumeranda. Plura in diƈt. Betonica expreſsimus.

Centaurium maius κενταύριον τὸ μέγα, Rhapõticum noſtrum medicis eſſe ſuſpicatur. A Chyrone Centauro Herculis ſagitta vulnerato inuentum,& nominatum Centauriũ. Dioſc.tamẽ à Rhapontico Centauriũ mag.diſtinguit cap.propriis,quod diuerſi ſint generis,& facultatis,quòd Centaurio mag.folia iuglandis inſunt,oblonga,viridi braſsicatũ colore,cerrata in ambitu:caulem Rumicis,multis ab radice adnatis,habet:radix craſſa,grauis,ſolida,tripedalis, ſubacris & rubeſcens. Rha-pontici autem radix nigra,centaurio mag.ſimilis,ſed minor,& ſine odore rufior:quod Rhabarbarum hodie nobis commune,Dioſc.deſcriptione,videtur,cap.ij.libri iij. Recurrendum eſt ad diƈt.Rhaponticum.

Centaurium minus κενταύριον τὸ μικρὸν,καὶ κενταυρὶς, fel terræ,& febrifuga vulgaribus nominatur:Limneſion,quoniam rigua amet,etiam diƈta, inſigni amaritudine prædita,ſed radice inutili. Deſcriptionẽ,& vires ex Dioſc.& Gal.petes.

Centaurium tertiũ eſt,palmi altitudine,interdũ plus aliquãto,vnico caule, digiti parui craſsitudine,foliis per interualla Radiculæ,id eſt,Struthij,vulgo Fulloniæ, æqualibus,cũ radice ſine appendicibus,mediocriter lõga,craſsáq;. Flos eſt in caulis vertice modò purpureus,modò luteus,per diuiſuras ſtriatus,apparet præſertim autũno. Hæc ſua amaritudine Cẽtauriũ alterũ vincit,cẽtauriũq; aliud videtur. Dioſ.& Gal. de ea nihil,quod cõiiciã,ſcripſerũt:ſed Pli.ſolus ſub nõie τριόρχις, vt refert Geſnerus.

Centrum,eſt punƈtus ille,à quo omnes lineæ reƈtæ,ad ambitum circuli eieƈtæ inuicem ſunt æquales:eſt præterea cuiuſcunque rei medium. Euclides.

Centrunculum γναφάλιον,cotonaria herba eſt, foliis mollibus, minutíſq;: quibus rura pro tomento vtuntur. Bibuntur efficaciter in vino auſtero ad dyſenteriam : ſed tota prodeſt herba torminoſis,cœliacis incorta data ex aqua Largi teſtimonio.

Cenchris κεγχρὶς,ex genere Accipitrũ auis eſt,à doƈtis aliquibus. Querecerella populari nomine diuulgata. Legẽdus eſt Pli.li.xxviij.c.vj. Eſt deniq; ſerpẽs Cẽchris nomine,qui inſparſus maculis ſeminis milij ſimilitudine ſũpſit denominationẽ:Lucan⁹.

Quàm ſemper recto lapſurus limite Cenchris
Pluribus ille notis variatam tingitur aluum,
Quàm paruis tinctus maculis Thebanus Ophytes.

Plinius lib.xx.cap.xxiiij.

Ceratium,ſiue Ceratonia,Galeno κεράτιον,& κερωνία,arbor ſiliqua, quæ quoque xiloceratia, vulgò charrhubis. Latinis ſiliquæ,quæ edules ſunt caſsiæ fiſtularis ſaporis,nigræ,dulces,fabæ in ſiliquis magnitudine:in quibus ſemen minus, quàm caſsiæ. Hæc Syluius.

Cerinthus,vel Cerinthe κήρινθον,lilij genus tertium fertur,quod plebeia voce paſqueta effertur. Eſt folio incuruo,candido,capite concauo mellis ſuccum habente,cubitalis altitudine,cuius florum auidiſsimæ ſunt apes:vt ſcribit Vergilius lib.ij. Geor. Plura habet Ruell.lib.ij.cap.cxxxij.

Ceſtiana mala apud Galenum imaginantur Arantia poma,Vergilio mala aurea, priſcis etiam mantiana. Columella hæc videtur appellaſſe Seſtiana , vt eſt interpres

I.Agri

I. Agricola.In dict. Malum medicum cætera expreſsimus.

Ceraſtes,hoc eſt,ferens cornu ſerpens: cuius genera duo prædicãtur, quorum alterum quaternum geminorum cornuum appareant: alterum genus duûm tantùm cornuum eſt. Horum ad cubitos duos longitudo metitur,ventre ſquammato, capite vicipiti,dẽtibus prælongis,æqualibúſque. Vter horum ſi qualecũque animal veneno tinxerit, intollerabili dolore, & corpore toto graueſcente, vexatur: vertigine cùm oris, labrorúmque inflammatione,corripitur, & captus mente moritur. Hæc Strabo lib. ij.Geograph.

Ceratia κερατία,vnico tantùm folio herba eſt,quæ plebeis,ſiue etiam ruſticis Lancea Chriſti nomen adepta eſt.Hæc in pediculi folio tigillũ teretem modicè ſtriatum, colore herbaceũ,in quo ſemen producit. Fuchſius ὀφιόγλωσσον nominauit, à ſerpẽtis linguæ ſimilitudine:neque veterum Herbariorum aliquis de ea ſcripſit.

Cepa,& cepe κρόμμυον,bulbus vulgatiſsimus: olim vnedo dicebatur, vnde adhuc ei nomen ougnion: Sed cepa aſcalonia κρόμμυα ἀσκαλωνία,nõ vulgaris notitiæ eſt, vti neque cepæa κηπαία,quæ eſcalota minuta,vt ſuperior maior,opinatur. Occurrit & cepæa κηπχία,quæ aquatica perhibetur.Dioſc.lib.iij.cap.cxliij.

Cera κηρὸς στακτος, id eſt,cera ſtacte,& ſtillatitia,vt eſt Gal. author initio ij. lib. cõp.pharma.ſecũdum genera.Eſt & cera propolis calidi frigidi, humidi ſicci quodãmodo media,craſſæ eſſentiæ,emplaſtica:habet paulùm quiddã digerentis,calidæque facultatis,quæ melli plurimũ inerat. Materia ob id eſt aliorũ medicamẽtorum calfaciẽtium & refrigerãtium.Dioſc.lib.ij.cap.lxxv.Sylu.lib.priore de Simp.med.natura.

Ceraſus,cuius ceraſum fructus eſt,variũ quidem genus multipléxq; habetur:nam ſua natura genera tria diuerſa referũtur, vnũ quod ſubacidum guſtatu eſt placidum & gratum:alterũ dulce,colore ſanguineum,& hominũ arte candidum,ſed inſalubre: tertium quod ſurculis trãsfertur ſuper quibuſlibet arboribus,vnde illis artificio non natura,nomẽ.Ceraſo reſudãs gũmi tuſsi vetuſtæ medetur, arterias exaſperatas lenit, ſuo lentore morſus expers,colorem commendat, viſum acuit, calculoſis ex vino potum prodeſt:cuius facultas eſſentiæ tenuitatem ineſſe ſignificat.

Cete τὰ κήτη,inter balenas:apud Ariſtotelem ſunt omnes piſces maximi viuipari: quãquam AEgyneta Thũnum ouiparũ inter cete numerat. Viuipari piſces quidem ſunt,qui beluarum ritu pullos pariunt:atque ouipari oua,non pullos.

Caucalis,quam alii ſylueſtrem daucum faciunt,cauliculo eſt dodrãtali, aut maiore,ſubhirſuto:cãdida in cacumine vnibella,ſuauiter olẽte,vbi turget ſemẽ:vrinæ difficultati crudũ coctũvè efficaciter eſtur. Dioſ.lib.ij.cap.cxxxiij.Ruel.lib.ij. cap.lxxij.

Caucamon,vt cum Ruel.ſentit Geſnerus Galeno Cacalia eſt,& Leontice. Quære Ruel.libro iij.cap.cxxviij.& dictionem Cacalia.

Cibeta,viridus ex ſudore animalis feli haud diſsimilis, humor perquã odoratiſsimus eſt:ei quidem animali nomen Gaſellæ eſt,de quo Serapio Arabs cap.clxxxv.meminit:ei quoque cornua tribuit,& prælongos dentes,apri ritu ſimiles:quod an veriſſimile ſit ex animalculo coniectandum eſt:Nonnulla de hoc animali ſcribit Io. Agricola in libro de Recentium ſimp.med.

Cibus κίτιον,καὶ βιὸς,in vniuerſum is eſt,qui leuis quiq; partium tenuiũ dicitur,& qui ſuccum bonum procreat:qui alius eſt, aut habetur, malus cenſetur. Varietas autem decernẽda eſt ex lib.Gal.de Cibis boni & mali ſucci: & de Alimentis.

Cibi confectio,dicitur præparatio ea,& maſticatio quæ in ore fit, ne ventriculo nimium negotium exhibeatur à fruſtis in eum demiſsis.Paulò poſt ſequitur dict. Concoctio,ad quam recurres.

Cibi qualitas,quoniam varia quidem eſt,quæ tam in ſanis,quàm in ægris à circunſtantibus accuratè eſt expendenda.In ſanis enim ſimili,non contraria qualitate præditi cibi aſſumendi ſunt,quòd natura ſeu temperamentum eorum, qui rectè valẽt ſit conſeruandum per ſimilia,& minime per contraria demoliendum.Contrà, in morbis cibi potiùs aduerſa qualitate præditi exhibendi: verbi cauſa, in calido,frigidi: in

frigido, calidi: in humido, ſicci: in ſicco, humidi: Fuchſius author eſt poſt Gale. in lib. comp. Medic. ſimp. cap. xvij.

Cibi menſura eſt, vbi præter naturam non ingeſtus eſt: verùm præter naturam hic morbum facit. Itaque Hippocratis ſententia hæc eſt, ἀσκηρὶς ὑγιείης, ἀκορίη τροφῆς ἀθκνίη πόνου, hoc eſt, ſanitatis ſtudiũ eſt, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores: ſic enim fiet vt nunquam aut rarò ſaltem, morbum periculoſum incidas. Hippo. lib. ij. Aphoriſ. & lib. vj. Epidimiarum, & lib. ij. Rationis victus in morbis acutis interpretibus Galeno, & Fuchſio.

Ciborum rectus ordo eſt, vt ne præpoſtero ordine eorum fiat ingeſtio, id quod fiet, ſi concoctu facilia, iis quæ difficulter concoquũtur, præmittãtur, & ſi humida, ſiccis & aridis, ac lubrificantia aſtringentibus antecedant. Ordo itaque præpoſterus erit, ſi quis cotonea, aut punica mala, meſpilavé imprimis ingeſſerit, poſtremum autem ollera ex oleo garové ſumpſerit. Sint itaque cibi conſueti non negligendi, neque ipſorum delectus, neque aſſumendorum tempus: & qui præterea temporibus anni congruentes, & ætatibus quarum omnium in cibis partium vſum Hippoc. Celſus, Gal. Oribaſius, AEgyneta, Aëtius, copioſiſsimè vbique in variis librorum ſuorum locis, deſcripſerunt. Nos verò in Amethodicum ſic alluſimus.

Acria qui primis condonas fercula menſis
AEgrotis erras, menſa ſecunda rogat.
Quæ referanda forent, claudis, claudenda relaxas
Ora, locum ſiquidem lædis vtrumque miſer.
Inualidum digeſta decent: ſed iuſcula primum
Os ſtomachi: valido cruda & acerba nocent.

Ciborium, & cibotium, vaſculum eſt AEgyptiæ fabæ in quo fructus includitur, deſcribente Dioſcor. lib. ij. cap. Faba AEgyptia. Græcis κιϐώριον, καὶ κιϐώτιον, Quærenda eſt dict. Faba.

Cicer, ὁ κριὸς ἐρέϐινθος, leguminis genus eſt, & triplicitate coloris triplex quoque depræhenditur: quod omne tamen cornutum ſeu arietinum vocitetur. Vnum quidem eſt, quod ſubflauum, nec prorſus album: alterum ſubruſum: tertium ſed nigricans toto colore diſcernitur. Huius leguminis decoctum medicamentoſum eſt: ob id que renum affectibus, inter cæteros præcipuè affectus commendatur.

Cicerbita, vel Sonchus σόγχος, & Condrilla omnis, & Hierachium vtrumque Sereos ſpecies Dioſcoridi, Gal. etiam credita. Sereos ac Cichorii nomine etiam ab his, & aliis dignata, vt forma & temperatura ſunt affines, ſic viribus minimùm diſcrepant: licet Chondrillam lactucæ, non Seri lib. ij. Alimentorum iungat Galen. verùm ea tanquam congeneria iungit Dioſc. Pro Intybo autem vulgus Endiuiam re & nomine corrupit, vt pro Seri Schariolam, quaſi Seriolam dicere tentauerit.

Cinclus ὁ κίγκλος, auis quæ quibuſdam Batternara putatur: ex his eſt, quibus cauda in motu continuò depræhenditur, & ob id aliquibus σεισοπυγίδα vocari Suidas ſcribit: quod verbum exprimere volentes Latini quidam medici, Motacillam non ineptè tranſtulerunt. Auis eſt infirma, & corpore minùs robuſta, quæ per ſe nidum conſtruere nequit: à qua pauperes, ruſticorum prouerbio, Cincli vocantur. Hæc ex Suida Scholiaſtes.

Cinara: carduus ſatiuus eſt, cuius ſummitate, & veluti fructu in eduliis vtimur: quem Græci σκόλυμον, Latini Strobilum vocant, quòd ſit ipſe Echinus, vel capitulus nuci pineæ haud diſsimilis: atque hunc quidem Hippocrates Coccalum nominat: cui dictioni articulus ab Arabum ſubinde quibuſdam additus & alcoccalus dictus eſt: mox verò corrupto articulo, articoccalus. Tota planta Columellæ libro xj. capite iij. Cinara appellata eſt.

Cimolia terra, quòd à Cimolo inſula è Cicladibus vna fodiatur, nomen accepit: quæ ad nos aliquoties, neque nunc, afferebatur. Eius loco vtimur hoc ſeculo ferri & molæ retrimentis, in ſubditam aquam congeſtis.

Cicer arietinum,colũbinum, venereum, vel ex Colũpunicum, & ſylueſtre cicer, necnon Cicera, atq; cicercula : apud authores Græcos & Latinos generis diuerſitate, & facultate ſcribũtur. Noli reponere cicer hoc in genere Phacarũ, id eſt populari vocabulo Geſſarũ,vel cicerculã,vt Mart. Grego.interpretatus eſt in lib.de Alimẽt.Gal.

Cichorium,Intubus,Seris, quãquam nominibus diuerſa, tamen Romana lingua Cichoriũ, Intybum olus dicitur. Gal. ij.lib.cõp.pharmac.Id verò,& reliquæ ſpecies, foliorũ magnitudine,& cultu diſtinctæ,facultatibus parũ diſcrepãt,niſi quòd agreſtia ſatiuis ſicciora ſint,& amariora. Poſt Dioſc.Gal.eſt legendus lib.ij. Simpl.deinde repete dictionem Cicerbita paulò ſuprà.

Ciconia,quæ & Ibis,ὁ πελαργός,frequens & nota auis in Seguſiorũ, & Heluetiorum plagis,& ſtagnantibus aquis:quæ parentes ætate exacta, magna cura alit, vnde pelargica lex,qua parẽtes alere liberi iubentur. Auis huius caro magna appetẽtia heroum menſis apponitur, cõcoctu tamen difficilis habetur, ſtomacho infirmæ præſertim valetudinis:quia maioris excrementi,quàm boni ſucci:cuius quidem loco ipſius oua aptiora ſunt. Poſt Ariſtot.& Ariſtophanem,legendus eſt AElianus,de vi & natura animalium libro xv.capite iij.

Circuli oculorum ſunt ſeptem,primus & extimus adnatæ tunicæ eſt,alter adnatæ tunicæ,tertius duræ, & hi tres duri ſunt: quartus eſt choroidis, quintus vueæ, ſextus arachnoides,ſeptim⁹ rectiformis tunicæ eſt:atq; hi poſtremi quatuor molles exiſtũt.

Cicuta κώνειον,herba coturnicibus valdè amata, atque ea etiam purgãtur,homini bus autem letalis: itaque refrigerat extremè quartum excedens ordinem. Eſt inſuper vna eius ſpecies pumilla,odorata,quæ oliuo frixa & parti affectæ mota,dolorum cauſas diſsipat. Galenus poſt Dioſcoridem lib.vij.Simplic.requirendus eſt.

Cinamomum κιννάμωμον,& cinamoides κινναμωμοειδής,quod pſeudo cinamomũ,vel adulterinum coniicitur.Similis arbor lauro cinamomum eſt, & eius ramorum, non trũci,tertio quoque anno deliberatorum cortex vellitur, vt refert Ludouicus Patritius Romanus,rei huiuſce teſtis oculatiſsimus:& Gal.poſt Dioſc.Simpl.medic. libro vij. Syluius tamen differentias deſcribit lib.j.de Simpl.med.natura. Tetigimusquæ viſa ſunt neceſſaria in dict.Caſsia lignea.

Circæa κιρκαία,vitis agreſtis,& nigra quibuſdam ſuſpicata eſt:quæ tametſi ſeculo noſtro ignoratur, aut deſyderatur. Ex authorum monumentis cætera ad veritatem ſunt petenda.

Circium κίρκιον,Dioſcoridi,& Galeno Circæa videtur: ſed vulgaris Bugloſſa eſt, cuius ſpecies multiplices imaginãtur,ſicuti ſcriptum reliquimus in dictione Bugloſſum,& Borrago.

Ciſtus κίστος, reperitur in Gallia Narbonenſi,vbi non aſſurgit ſupra hominis altitudinem:huic plantæ hærent ſtolones, ex quibus confractis, & expreſsis fit Hypociſtis,quæ illic ſua lingua Guarena vocatur. Eſt & ciſtus ferens Ladanum λῆδον, Græcis dictum. Vide Ladanum,& Hypociſtis dict.

Citrum,& citreum,ſeu medicum malum, è cuius genere ſunt etiam mala aurea, quæ hodie Arantia plebeio ſermone dicuntur:Græci κίτρος & κέτρον, vocabulo tanquam vſitato vocant. Eſt & Citrus, ſiue Trogetes,Græcis θυία,à fructu ſuperiore diuerſum ſucco.Inter citrea mala Arantium numeratur Hermolao,cortice, ſucco, ſemine illis proximũ:vti & quod Limonem vulgus Gallicũ appellat:ſucco frigidiore, quàm Citrũ:& quod ex inſitione pomũ citreum peculiariter dicimus Põcile.Citrus, ſeu Citreolus,ſpecies cucumeris ſatiui videtur,citrum forma,& colore æmulante.

Circulus eſt figura plana,vna quidem circunducta linea contenta, in cuius medio punctus eſt, à quo omnes rectæ lineæ, ad circunductam lineam eiectæ, ſibi inuicem ſunt æquales. Dimidius circulus,eſt figura plana, diametro circuli, & medietate periſphærij contenta.

Circunferentia eſt linea,quæ circulum continet,ad quam lineæ rectæ, ac ſibi inuicem æquales,educuntur. Hæc autem & ambitus, & circuitus, curuatutáque & non-

nunquam

nunquam circulus.

Citharus, à medicis quibuſdam, etiam doctis, Roſſeta piſcis interpretatur: quòd autem is piſcis Rhombo ſit ſimilis, ad carnem, non ad formam referendum cenſet Scholiaſtes: Optimi ſucci caro edẽtibus deprehenditur, ob id inter medicinales cibos habetur.

Citrago μελισσόφυλλον Græcis, id eſt, apum folium: Latini Melliſſam exprimunt: cuius ſuo loco dict. petes.

Chalca χάλκη, purpura eſt, ſiue herba, qua purpura tingitur, vt cẽſet ex Phocione grammatico Ruellius libro de Natura Stirpium iij. cap. lxix.

Chalcanthus, & Chalcanthum, foſsilis materia, vt ſcribit Dioſcorid. eſſentiæ eſt eiuſdem & naturæ cum Chalcithi: hæc autem materia, illud ex hac factitium vt Syluio placet, & in hanc tandem per ſe rediens. Ad hæc cum medicamentum, id eſt, vehementiſsimum, vitanda eius per ſe vehementia, ſed mitioribus miſtis obtundenda: vſtum verò & lotum multò moderatius redditur, vt author eſt Galenus libro iiij. Comp pharmac. & lib. ix. Simpl. Chymiſtis autem, & Officinis Chalcanthum Cholcothar exprimi ſolet.

Chalcitis, Sori, Miſy, eſſentiæ conſiſtentia, & ſitu differunt: nam Sori in fodina infimum ac craſsiſsimum: Miſy grumoſum & fruſtuloſum magis eſt durum, auro ſimile: Chalcitis ſitu & eſſentia eſt media æri ſimilis. Soreos pars extima in ſumma in Chalcitim & Chalciteos partes extimæ in Miſy tandem tranſeunt. Hæc diſcuſſa ſunt à Galeno ex Dioſcoride, libro ſexto Simpl. & libro tertio compoſitionis pharmacorum ſecundum genera.

Chamædrys χαμαίδρυς, Trixago eſt, ſiue quercula: eſtque duplex, erratica videlicet, & paluſtris, quæ nomine alio Scordium effertur. Quæ Cretica eſt, ad Theriaces compoſitionem efficacior perhibetur, tamen vbique gentium naſcitur: odore & guſtu, vehementer amara, ſi himber illam toto die non attigerit. Dioſcor. lib. iij. capite xciiij. Gal. lib. viij. Simpl. med.

Chamæleo albus, χαμαιλέων λευκὸς, vernilaginem in Theophraſto, Gaza interpretari auſus eſt: hæc non habet caulẽ, ſed ſtatim à radice è medio foliorum cõplexu caput exerit breui pediculo fultum, & denſioribus ſpinis echinatum: in quo flores emicant purpuraſcentes, & ſtatim in pappos ſe diſſoluentes. Fructus autem non eſt diſsimilis Cnico: frequens in neglectis montium ſabuletis, petroſiſque locis. Dioſc. libro iij. cap. ix. Gal. lib. vij. Simpl. medicam.

Chamæle niger χαμαιλέων ὁ μέλας, foliis Scholimo ſimilis eſſet: niſi minora, tenuiorâque, ac rubro diſtincta viderentur: cuius quidem caulis magnitudinis dodrantalis eſt, & paruæ craſsitudinis. In cauarũ iugis carduus hic eſt copioſiſsimus, cuius pappus capitatus in eduliis, vt Scholimus, ruſticorum induſtria, pro napis voratur. Atq; is eſt, quem Carlinam viſciferam vocant: admiror etiam Gal. affirmare aliquid veneni eſſe in radice, quod ſanè retuliſſet Dioſcorides: quos videbis.

Chamæcypariſſus χαμαικυπάρισσος, humilis cupreſſus, hoc eſt, Abrotanum fœmina: nam aliter multò mas effigie tota ſe repræſentat, ſicut docuimus in dict. Abrothanum, & abſynthium quas repetes.

Chamæbatus χαμαίβατος, rubus humilis eſt, Gale. interdum ſimpliciter βάτος dictus: fert mora racematim craſcẽtia, per maturitatẽ nigerrima βαίνα Gal. appellata.

Chamæleuce, Plinio Farfugium. Italis vngula cabalina vt eſt interpres Fuchſius, ſed dubiũ an fuerit Tuſsilago noſtras, quanquam ei quoque idem nomen tribui certum eſt. Viderit plura lector ſuper dict. Bechion.

Chamæpitys χαμαίπιτυς, pinus pumilla eſt: quòd odore & foliis eam imitatur: Auiga Idæa Scribonio Largo dicitur: aliis Abiga Iua arthetica. Dioſc. lib. iij. cap. cl. Galen. lib. viij. Simp.

Chamæriphes, ſurculi ſunt cædui rurſus germinantes à radice ſucciſi. Ex Plin. Geſnerus hæc à quo plura exiges.

Chamæ

Chamædaphnem, à daphnoide Dioſc. diuerſis capitibus ſeparat, quòd facultate & viribus vtrumque inter ſe diſcrepat: & Daphnoidem crediderunt Laureolam noſtratem potiùs, quàm Chamedaphnem: ſuperior Laureolæ viribus iiſdem pollet, at quæ poſterior, medicinis vtilis, neque lætalis, vt author eſt Dioſc. libro quarto, capite cxxxj. & ij.

Chamæciſſus χαμαίκισσος, terreſtris hedera eſt, quòd foliis hederam æmulatur, ſed humi quia ſerpit, terreſtris accepit nomen: in herba virulentus odor & vehemens depræhenditur odoranti Ruel. lib. ij. cap. xcv. Dioſc. lib. iiij. cap. cx.

Chamæceraſus, ex Aſclepide Scholiaſtes apud Athenæum lib. ij. Dipnoſ. in Bythinia naſcitur, cuius fructus edētium caput tētat non minùs, quàm vinum: quod idem tribuitur Minecilis, id eſt fructui Arbuti arboris: quem fructum Itali adhuc Ceraſa tranſmaritima vocant.

Chamælea χαμαιλέα, oleago, & quibuſdam mezereon lingua Arabica, apud recentiores oliuella nomen accepit. Largo oliuæ folia ſimilia habet. Scholiaſtes herbam hanc eſſe coniicit, quam Linum ſylueſtre gētilitio idiomate quibuſdam in locis Cellıæ Galliæ, Boy-gentil appellant. Dioſcorid. lib. iiij. cap. cliiij.

Chelidonium maius, χελιδόνιον τὸ μέγα, caule eſt gracili & cubitali, agnatis folioſis colore cæſiis flore violæ luteæ: in eo ſuccus croci, mordax, acris, & ſubamarus, grauiter olens. Ad quæ conferat tota herba, tradit Dioſ. libro ij. cap. clxxiij.

Chelidonium minus, Scrophularia vulgaribus dicta, quòd Strumis, quas Græci χοιράδας dicunt, medeatur: herbula pediculis ab radice pendens, ſine caule, foliis hederæ multò rotundioribus, minoribus, teneris & ſubpinguibus, radices habens ex eodem callo complures. Dioſcor. lib. ij. cap. clxxiiij.

Chœnix, menſura eſt apud Celſum, Largum, & Galenum, quæ quatuor ſextariis, id eſt, heminis octo conſtat.

Charopa vrina eſt, quæ ſimilis ſubalbidis cameli animalis pilis apparet. Charopus enim color, qui dilutam habet viriditatem, igneo quodam ſplendore intermicantem, qualem in Leonum oculis conſpicimus. Vnde χαροπός amabilis, blandus & gratioſus dicitur. Thyleſius de coloribus cap. ij.

Cheme menſura, cuius quarta pars cyathi illam complet: quod denariū duorum pondus & ſemis eſt.

Chærephyllum χαιρέφυλλον, quāquam nomen hoc Acantho tribuitur, Cerefillū vulgare, & noſtras eſſe depræhenditur. Gingidium Dioſc. herba Syria Plinio, quæ ſylueſtri paſtinaceæ ſimilis, tenuior tantùm, denſiórque, radice parua, ſubamara. Olus hoc crudum coctū vè eſtur magna ſtomachi vtilitate: totum medicamentoſum eſt vrinæ difficultati, & veſicæ vlceribus. Dioſc. lib. ij. cap. lxx. Ruel. lib. ij cap. cxxxj.

Chœnix menſura ſextarios duos poſsidet: alibi libras ſex, heminas Atticas tres capit: pondere autem drachmas centum octoginta. Quære Leonardum Portium de Menſuris, & Budæum de Aſſe.

Cherchydrops, ancipitis vitæ ſerpens, cuius morſu inflammatur locus, quem momorderit animantis, & veneno ſenſim expanſo animal ictum quodcunque, vomēdo amara quamplurima, moritur. Lucanus.

Natus & ambiguæ coleret qui Syrtidis arua Cherpſidrops.

Chelmes Arabibus, ſed granū tinctorium Latinis: & coccus Baphyca, vel coccum baphycum, vt pauló ſuprà retulimus: à quo quidem grano cōpoſitio fit medicamenti à Myropæis nomine Alchelmes, magni verò apparatus, vt liceat vti tantùm magnatibus, & ditioribus. Ex grano eodem lana tingitur, à qua coccineæ veſtes texuntur, quibus priſci viri illuſtres vtebantur ad ſanctimoniam oſtentādam, quod noſtro ſeculo pontifices dehoneſtarunt, in tegendis carnuficum arupiſcibus. De hoc grano variè ſcripſerunt Braſſanolus. I. Agricola, Manardus: & poſt ipſos ex Ruel. Syluius. Sed de hac re legendus eſt Dioſcorides libro quarto, cap. xxxix. nominans id granum coccum infectorium.

Chryſo

Chryſocolla, officinis borax, tam metallica, quàm factitia à Dioſcoride, Plinio, Galeno nuncupatur, quaſi auri colla, & gluten dicatur : ideò à Gebero, & Auicenna capiſtrum auri dictum eſt, cæteris Arabibus Tynchar: Sed ſerapio deceptus inter ſales,quod ex pueri infantis vrina fieret, annumerauit. Chryſocolla, Spodium, Pompholix, Pſoricon metallica ſunt admodum tenuis ſubſtantiæ citra intenſum calorem:de quibus omnibus ſuo loco retulimus.

Canſon χαῦσος,ardens febris eſt,ex genere continuarum , fit quando flauabilis in venis putreſcit,atque adeò cum tertiana intermittente, eo quòd ab eodem procreetur humore, communicat. Differt autem, quòd in hac per totum corpus bilis defertur,in ardente verò febre flauæ bilis humor in vaſis vnà cum ſanguine continetur: atque ob eam etiam cauſam in adurente febre ſingulæ acceſsiones ad infebricitationem non perueniunt.Quando verò in iis bilis vehementior agitatur:& à natura inualeſcente compellitur , tunc rigor ſuperuenit, & febris ſoluitur. Requirendus eſt Gal.in lib.de Febr.differentiis,poſt Fuchſium:& Acakiam.

Cholera χολέρα,eſt immodica ventris perturbatio ſuprà, infraque erumpens:hinc Cholerici bilioſi non ſunt,ſed ij potius,qui multa bili per inferna & ſuperna deiectione laborant.Curationis author eſt Fuchſius de Morbis medendis libro tertio , capite ſeptimo.

Chamæmelum χαμαίμηλον,Anthemis eſt.differtque ab ea , quæ ſua graue olentia Cotula fœtēs dicta eſt officinis,quoniam huic odoris ſuauitas,& gratus ineſt, quemadmodum in pomis iam maturis odor ſpirat ſuauiſsimus.Dioſc.genera tria aſsignat, tantùm flore diſtantia libro tertio,cap.cxxxj.

Cheironia,χειρώνια,vlcera dicuntur inueterata, & quæ vix curam recipiunt : cicatricémque difficilimè cōtrahunt. Sic dicta,quod Cheirone medicinæ peritiſsimo ad ſanationem indigeant:nam vlcera pro humorum qualitate variantur,& multiplicia depræhenduntur,vt docet ex Gale. lib. ij ad Glauc. Acakia. Celſus autem lib. v. Artium,Chyronium vlcus,inquit, appellatur,quod & magnum eſt,& habet oras duas calloſas, tumentes:exit ſanies non multa,ſed tenuis, odor malus neque in vlcere, neque in eius tumore eſt:nulla inflammatio,dolor modicus eſt:nihil ſerpit:ideoque nullum periculum affert:ſed non facilè ſaneſcit. Interdum tenuis cicatrix inducitur, inde iterum rumpitur,vlcúſque renouatur,maximè in pedibus,& cruribus.

Cheirurgia χειρουργία,dicitur de ea parte medicinæ , quæ ſectione , vel vſtione, aut alia quauis ratione,quæ manu adminiſtretur, morbos curat. Celſus libro primo Artium, Græcorum medicorum temporibus in tres partes medicina diducta eſt , vt vna eſſet, quæ victu , altera quæ medicamentis , tertia quæ manu mederetur. Primam , Diæteticen , ſecundam Pharmacenticem , tertiam Cheirurgicem Græci nominarunt.

Cheirurgus eſt operator manualis cum experiētia artificioſa, ad neceſſarium medicinæ finem pertinens.

Chœnix menſura,ſextarios duos poſsidet:alibi libras ſex, heminas Atticas tres capit:pondere autem drachmas centum octoginta.

Chryſanthemum χρυσάνθεμον,ea Anthemidis ſpecies ſuſpicatur,quæ foliis per ambitum luteis conſtat,vt Leuchanthemum albis:nonnullis Buphthalmos,quòd bouis oculum flore imitetur,poſtea bouis oculus omnibus appellata eſt. Dioſc.in cap. Anthemis,lib.iij.& Chryſanthemum lib. eiuſdem diſcriminatim meminit : nos verò in dict. Anthemis.

Chryſolachanum χρυσολάχανον, officinis minor craſſula ſuſpicatur , duplex eſt, vnum ſubluteo colore pallens,alterum ſubcandidum. Occurrit & tertium genus, ex rubro in purpuram inſignitum.De his retulimus in dict. Atriplex,& Armoracia.

Chryſocome χρυσόκομη,aliis Chryſanthemum,& Amaranthũ, aliis Iouis barba in opacis petroſiſque locis ſine cultura naſcitur : Plinio Chryſitis appellata eſt : quæ ſimillima pulegio montano officinis inueniri creditur, vt authór eſt Ruellius lib. iij.

cap.

cap.cj.& Dioſ.lib.iiij.cap.xlviij.

Chryſogonum χρυσογόνον, quibuſdam videtur Chryſanthemũ, verùm perperam: quando duobus capit:ſimplex vtrumque diſtinguit Dioſcorides. Hoc ſimplex denſè fruticat, quernis foliis, & per ambitum modicè cerratis: flore coronarij verbaſci: radix vt rapum extuberat, intus valdè rubra, foris nigra: quaſi effigie ſua Tuber terræ coniicias. Dioſc. paulò aliter lib.iiij.cap.xlvj. Ruel.lib.iij.cap.cj.

Chryſomela χρυσόμηλα, aurea mala, quæ ex Cotoneorum genere poma ad aurum colore imitantia, ſiue inclinantia verius, arbitrantur: quæ mala quoque Cydonia peritis efferuntur, quorum vſus in medicina, & pleraque alia peroptimus atque frequentiſsimus.

Chondrillam Lactucæ, non Seri lib.ij. Alimentorum iungit Galenus: verùm ea tan quam congenerea annectit Dioſcorides: pro Intybo autem vulgus Endiuiam re, & nomine corrupit, vt pro Seri Schariolam, quaſi Seriolam dicere tentauit. De quibus ſpeciatim ſuis locis tractamus.

Circus κιρκός, Accipitris auis ſecunda ſpecies, quam vulgus gentilium Quercerellam aſsignat. Hæc extra medendi remediorum vſum eſt, nec hîc ideò deſcribitur, niſi auium cæterarum differentiæ cauſa.

Clauiculæ, ſiue Iugula κλεῖδας Græci, Triuiales medici ferculas, elatior thoracis finis eſt, inferior autem ſeptum tranſuerſum. Gale. autem in libello de Oſsibus cap. xv. Iugula ab vtroque latere ſummæ pectoralis oſsis extremitati adnectuntur: eaque fiſtuloſa ſunt, figuráque, & craſsitie inæquabili. Quod eſt reliquum, ab eodem authore requires.

Clauiculæ extremæ tibiæ, ſuræque proceſſuum partes σφυρὰ, & ἀστραγαλοὶ, malleoli, & tali nominantur: atque hæ partes cum cæteris tibiam complent.

Clematis daphnoides κληματὶς δαφνοίδης, mulierculis in ſuis diuinationibꝰ Vincaperuinca nominata eſt. Eſt clematis altera, volubilis maior Ruel. quæ ſuſpicari po teſt ea quæ in fractura lac effundit: cuius quoque folia in ambitu ſpinis præacutis ful ciuntur. Tertia ex Plinio roſtratis foliis ad ſimilitudinem capitis penularum, iacens in atuis: Clematitis, Ariſtolochiæ ſpecies tertia: quæ ſponte ſua in vineris, & aruis Allobrogum inferiorum peculiariſsima prouenit. Dioſc.lib.iiij.cap.vj.

Clymenus κλύμενος, herbam eam eſſe fatebimur, quam officinæ & herbarij cypriam & ſaponalem, quòd elota pingue quoddam in aqua ſaponis modo emittat. Paſtores clauellatam, ſed vulgares Sigeiam, vocant. Ruel.lib.iij cap.lxxxiij. Dioſc. libro iiij.cap.xj.

Clinopodium, Græcis & Latinis nomine eodẽ appellatur: officinarum verò opinione pulegium montanum videtur, vt coniicit Ruellius: frutex eſt foliis ſerpillo ſimilis, ſurculoſus, duum dodrantum altitudine: naſcitur in petroſis, flores marrhubij modo producens. Dioſco.lib.iij.cap.xcj.

Clima propriè regio eſt quoquouerſus ſexaginta pedũ, eſt enim octaua pars iugeri, vt metitur Columella. Nam geographicè, Clima eſt ſpacium terræ inter duos parallelos compræhenſum, in quo porrectiſsimè ab initio climatis, vſque ad finẽ eiuſdem, dimidia hora variatio eſt diei. Hæc lib.Geograph. Glareanus, cap.xj.

Clauus ἧλος, rotundum tuberculum eſt clauorum ferreorum capiti ſimile, quod plerunque in calcaneis, & pedum plantis naſcitur, in gradiendo afferens dolorem, & impedimentum. Dicitur etiam formicalis ruptura: cuius dict. petes.

Clyſter ſeu clyſmus κλυστὴρ, καὶ ἔνημα, iniectio Latinis, pariter ac Græcis vſurpatur: qui iuxta morbi diuerſitatem variari ſolet. Clyſmatum enim genera tria præcipuè à medicis obſeruantur, primùm, quod ex liquoribus, aut carnium decocto, vel etiam herbarum, paratur: alterum, quod abſtergendi, aut obſtructiones tollendi, aut adſtringendi, aut glutinandi facultas ineſt, factitatur: tertium, quo oleo & pinguedine inteſtina leniuntur: quartum, quo facultas excretoria excitetur, neuè quæ iniecta ſunt diutiùs retineantur, ex ſalium genere conditur. Nos in ignarum quendam,

qui clyſteri puluerem Bombardicum immiſcuerat,ſic velut obiter alluſimus.

Pulueris igniferi vires retinere ſepultis
Ceditur,at viuis impetus omnis obeſt.
Terreat armatos celeri bombarda tumultu,
Puluere letheo farcta quocunque vomat.
Iuiicis in ventres tali cum puluere clyſmum,
Compoſitum rapida,materiaque rudi.
Deſine metatum curſu finire ſed æuum
Affectis,quàm mors,plus mihi vita placet.

Collum & ceruix,τράχηλος,quod caput vſque ad humeros excipit,appellatur:columna ea natura fabricata ad ſuſtinendum cœlorum molem, hoc eſt corporis in homine vniuerſi paruum mundum, atque ex ipſo capite rerum cognitionem, ac demum adminiſtrationem ſuſcipere: Ex vertebris colli primæ quidem duæ inter ſe vndique colligantur,reliquarum verò quinque anterior pars nexu conſtricta firmiſſimo coäleſcit. Neque id quidem per cartillaginẽ fit,verùm ea membrana quæ geminas ſpinalis medullæ tunicas extrinſecus ambit, ſeſe in mediam ipſarum ſedem inſinuans commune vtriſque vinculum præbet. Eadem ratione vertebræ omnes ſe habent,duabus primis exceptis,vti demonſtrabimus ſuis locis,diſtinctè adornatis.

Columella, portiuncula quædam eſt in ſummo ore,quæ dependens apparet: vt ſi quis aperto plurimum ore toto,linguámque deprimat,videtur. Hæc veteribus appellabatur γαργαρεῶν,καὶ κίων,hoc eſt,gurgulio,& columna:recentioribus verò κιονὶς, id eſt columella vocitata eſt. Curationis author eſt Fuchſius libro ſecundo, de med. Morbis,cap.primo.

Cæcum ſiue monoculum inteſtinum quod eſt anfractuoſum, ſuccedítque Colon inteſtinum,medio inteſtinorum,quod meſenterium dicitur, modicè innitens. Huic proxima ſunt Ileon, & Ieiunũ in varios nuplicata orbes:ambo regionem ventris inferioris elatiorem occupant.

Colon,inteſtinum craſſum, ſeu carnoſum præcedit Cæcum, quòd à ſiniſtro rene ad dextrum ſuper ventriculi fundum fertur,donec lienem,& iecur attingat. Ab eo dolor colicus deprænenditur: qui in laxiore inteſtino accidere ſolet: aliter κῶλον inteſtinum dicitur,à quo ipſa paſsio:quæ diſpoſitio diuturna in ventre eſt, per interualla dolores intollerabiles exercens cum ſpirandi difficultate. Curationis author eſt Fuch.lib.iij.de med.Morbis,cap.xij.

Collecticum,id eſt,glutinans carnem in vlcere, eſt ſiccius ſaccotico, aſtringit,non terget,vt omnia acerba,& auſtera.

Color quoniam varius, multiplexque eſt, multò minùs ex ipſo de medicamentorum temperamentis exactè colligere quid licet. In ſingulis enim coloribus calida, frigida,humida, ſiccáque inueniuntur: neque neceſſarium eſt vt, quicquid rubrum ſit,calidum quoque ſit: neque vt quicquid album ſit, frigidum etiam ſit: quemadmodum fuſiùs lib.primo, cap.ij libro ij.cap. iij. & libro quarto, capite vltimo Simpl. medic. Gal.docet.

Color, eſt qui corporis naturam ex temperatura teſtatur, ſimilis enim efferueſcit cutis humoribus: itaque ater,atram bilem, flauus, flauam, albus, pituitam: rubicundus ſanguinem abundare in corpore ſignificat: qui humores cuiuſque propriam naturam perſpectam reddunt. Acakia ſuper libro primo Galeni ad Glauconem.

Color contẽtorum in vrinis vehemẽter albus eſt, qui aut pituitoſi humoris ramenta aut pus ſummè coctum, quòd ab aliqua interna parte patiente ſecretũ eſt,indicat.

Color contentorum ſubpalidus pallidúſque bonitatem minùs portendit, veluti is qui à colore,qui ſecundum naturam eſt,declinat.

Color contentorum vrinæ flauus,malus etiam eſt, quòd exauctam eſſe flauam bilem in ſecunda concoctione ſignificet.Subrubeus, & rubeus color quandam cruditatem,& defectum coctionis, atque adeò diuturnitatem morbi monſtrat.

Color

Color cruentus contentorum vrinæ, omnino non eſſe elaboratum ſanguineum humorem portendit. Venetus, liuidus & niger, mortificationem virtutis vitalis, aut humorem nigrum, qui illuc ab aliquo loco profluens in vrina ſubſidet, ſignificant. Quære dict. Contenta.

Color venetus, qui ex nigro lectiſsimo colore, atque albo æquis portionibus, conflatur: coloribus aliis nullis producitur.

Cochlearium, continet ſenos ſcrupulos, hoc eſt drachmas duas, alibi ſcrupula tria poiſsidet.

Cæcitas nocturna νυκτάλωπία, eſt malum, quo quis interdiu quidem videt, Sole ſubinde occidente, obſcuriùs: noctu verò penitus nihil. Eo autem correpti morbo Nu ſcitioſi vocantur.

Cæliaca paſsio κὴλιακη, non omnis ventris fluxus eſt: neque enim ſi cibi crudi & incocti infernè prodeunt, neque ſi corrupti ac in peregrinum habitum mutati ſunt, cœliaca paſsio vocatur: verùm tunc ſolùm, quùm leuia, liquidáque egerantur, ventre præ imbecillitate cibos coquere, & digerere nequeunte. Aliter hanc vocem vſurpat C. Celſus lib. iiij. cap. xij. Morbi petes curationem à Fuch. ſuo loco repoſitam.

Collíria κολλούρια, medicamenta, Celſo definitore, ſunt quæ oculis admouẽtur, quorum quidem omnium materia ex qua componuntur, varia eſt. Nam ſucci, liquores, ſemina, fructus, plantarum partes, & metallica iis inſeruntur, quæ pro affectuum magnitudine variantur. Horum compoſitionis authores ſunt Celſus, Largus, Galenus, AEgyneta, & Aëtius, in libris de Oculis medicandis.

Congius, octaua amphoræ pars, ſenos capit ſextarios: cõplétque olei libras decem, & vini duodecim, vel heminas duas: quæ & triblya dicuntur: Atticis eſt heminis duodecim.

Comitialis morbus Epilepſia eſt, ἐπιληψία Græcis, quòd nimirum ſenſum capitis, atque mentem pariter appræhendat. Comitialis autem, quòd hac paſsione correpti in comitiis maximè manifeſtabantur. Eſt autem Galeno lib. iij. de Locis affectis, capite v. teſte, conuulſio omnium corporis partium non perpetua, ſed quæ ex temporum accidit interuallis, cũ mentis, ac ſenſuum obleſione: quæ triplici modo gignitur.

Concauſa, ſeu cauſa adiutrix eſt, quæ etſi vi ſua non poteſt generare morbum, alteri tamen cohæret, & cum externa, vel interna coincidit. Huius meminit Hippocrates pleriſque in locis, & Galenus.

Cochlea κοχλῆας, Limax terreſtris, cuius duæ occurrunt ſpecies: vna quidem ſubalba concham in ſe ferẽs: altera rufa, in ſemitis, ſepibus, & nemoribus paſsim ſub ęſtu, & verno tempore inuenitur, & vt ſuperior, non eſtur, ſed cataplaſmatum medicamẽtis vtilis. Quæ aquatilis & marina occurrit, Turbo eſt, & eſtur vtraque, ſed mali ſucci edenti probatur.

Cochlear, & cochleatium, menſura eſt drachmæ vnius, vt interpretatum eſt à Fuchſio ſuper Myrepſo.

Colchicum, κολχικὸν, hermodactilus officinarum non eſt, ſunt qui hephemeron, & agreſtem bulbum vocant: autumni exitu, quo & crocus, cum flore erumpit in pratis: poſtea ſemen producit rufum: ſed radice extra nigra, intus verò candida. Ea canes & lupi interficiuntur. Dioſco. lib. iij. cap. lxxij.

Colias, vel parianus Plinio, Lacertorum minimus Niceenſibus oſtentatur: Allobrogibus Iſaram, & Rhodanum verſantibus, lingua ſua Paiot, vocant.

Conchæ teſtæ ſunt, id eſt, concharum coopercula, vel potiùs onix odoratus, triuia nomenclatura, Blatta Byzantia dicta: cuius dict. petes.

Colocazia κύαμος αἰγύπτιος, fabæ AEgyptiacæ radix eſſe Geſn. ſuſpicatur. Manzanion vocat Aëtius, id eſt, Colocazion: Diphylus apud Athenæũ lib. ij. Dipnoſoph ſcribit radicem fabæ AEgyptiacæ vocari κολοκάζιον, cuius ſententiæ eſt & Plinius.

Celocynthis κολοκυνθὶς, agreſtis cucurbita eſt: cuius fructus in pilæ ſpeciem conglomeratus, & poſt maturitatem delibratus, vehementer amarus, validæque purgatio-

nis in ſua medulla experitur:ob id ſola non vtenda docent Largus,Dioſcorides & Galenus libro vij. Simpl.

Conferua Plinio,herba eſt villoſæ denſitatis,atque fiſtuloſæ,ea inuenitur enatans fluminum vadis, formam ſpongiæ retinens. Nomen ex eo inuenit, quòd præſentaneum ſit remedium aduerſus oſſa,quæ cum per porum glutinantur, conferuere Celſo dicuntur,& κρατύνεσθαι ab Hippoc.dicuntur.

Colutea κολουτέα,ramis eſt exilibus, folio fœnigræci,mẽbraneo folliculo,pellucente,& prætumido,in quo ſemen atrum,durum,latum,lentis magnitudine,piſi guſtu. Planta hæc topiaria hortis Gallicis non infrequens, vulgò Baguenoda dicta,ſcatéque ea pomeria vrbis Rhomanenſis Allobrogũ. Ergo neque Sena, neque peplyon, neque empetrum, neque delphynion, neque pelecynon, neque alypon Colutea eſt: nam Sena,non alterius nominis aut generis eſt.

Comarus,frutex nominibus aliis inſignitus,vt ei nomen Arbutus, & Epimelis videatur:& eſt meſpili genus, foliis mali, ſed minoribus: pomum fert rotundum, eſui aptum,vmbilico latiore,quod adſtringit, ſeróque matureſcit. Dioſcorides libro primo,cap.cxxxiij.

Cneme ſeu tibia:os tibiæ ipſius eſt,ſcilicet maius, cuius quidem minus os, Perone ſeu ſura nominatur: nam tota hæc pars etiam tibia, & crus dicitur, vt in cubito brachium.

Congrus κόγγρος, piſcis quem Galenus carnis duræ eſſe ſcribit,& quæ vix conficí poſsit. Maritimis in regionibus vbi piſcatur ſalitus, cum varij generis leguminibus edi ſolet. Sed neque frequens in littore Gallico eſt.

Columbus & columba περιστερὸς καὶ περιστερὰ, nomen eſt, quo ſpecies omnes turricolarum auium complectitur:quanquam & περιστερὰ,ſpecies eſt minor palumbe, nec maior vinagine, hoc eſt, rupicola columbo. Huius auis caro, quemadmodum Galeno placet, ita de ea ſcribente, ad coquendum facilis ſtomacho eſt. Porrò quod vulgus putat columbam felle carere, falſum eſt, nam inteſtino in ea aue fel quidem iunctum eſt.Ex Ariſtotele & AEliano plura elicies.

Conſiligo διάπυρον,pomelea,quaſi pulmonea, quod remedium præſentaneum ſit pulmonum vitiis, & hanc Patam Leonis ex Ruell.ſuſpicatur Geſn.

Concoctio eſt potus& cibi alteratio ad ſanguificationem parata, quæ quidem fit à natura per calorem. Prima autem animantis concoctio ventriculi eſt, altera iecinoris,& tertia venarum ad arterias ſpectat.

Concoctio,ex Ariſtotele Metereol. libro quarto capite ſecundo, eſt perfectio quæ à naturali proprióque calore ex oppoſitis fit paſsiuis, quæ ſua cuique materies exiſtunt:hoc eſt,concoctio eſt actio quædam caloris naturalis in qualitates paſsiuas: vel quæ ab innato corporis fit calore.

Concoctio duplex eſt,vna eorum quæ ſecundum naturam ſe habent, vt eſt concoctio qua in ventre cibus concoquitur,aut in viſceribus,& vaſis vbi generatur humor, vnde pars vna quæque nutriatur. Et hæc ſanè nihil aliud eſt, quàm alteratio nutrimenti in propriam & familiarem nutriti qualitatem, quæ πέψις nominatur. Rei huius author eſt Gal.ſuper lib.j.Epidem.ſect.ij.

Concoctio altera eſt, humoris morbum efficientis alteratio: quæ etiam maturatio dici poteſt Latinis,Græcis verò πεπασμὸς:vtraque fit à natiuo calore, & à ſimili intrinſecus iuuantur.Differunt autem in eo, quòd prima planè ſecundum naturam exiſtat:ſiquidem quod in ea concoctum eſt,in ſubſtantiam eius quod conquoquit,tranſit. Altera verò partim ſecundum naturam exiſtit,partim præter naturam.

Concoctio differt à præparatione, quòd hanc ſoli craſsi ac tenaces, non autem tenues exigunt:illam verò vtrique,vt finitor eſt Gal. ſuper Hyppocra.lib. vij.Apohor, Commentar.xxxj.Concocta mouere,& non cruda.

Conditum,eſt quod ex floribus, radicibus, & ſuccis cum ſacchare, vel melle conficitur: vt Ioſachar ex violarum ſucco, & ſacchare conditum factitatur:& huiuſmodi

varia

varia, quibus miſcentur interdum antidota & electariorum ſpecies. Huiuſmodi compoſitionum author Actuarius lib.v. compoſi. medic. & poſt Meſuem, Fuch. cap. x.lib.comp.med.ij.

Condiloma ſeu ruga κονδύλωμα, eſt aui emi nentia cum inflãmatione, vt docet Celſus libro vj. cap. de Condilomate.

Congelatio, ſeu detenſio & depræhenſio κατοχὴ καὶ κατάληψις, eſt tenſio ſubita, & occupatio tum mentis, tum corporis, ſenſu ac moti priuati, ægro in ea corporis figura permanente, in qua fuerit correptus, ſiue ſederit aut iacuerit, ſiue clauſis, ſiue apertis oculis fuerit. Curationis author eſt Fuchſius libro primo de medendis Morbis, capite xv.

Cioni Atticis vocati olim fructus, Coccali, & Strobgli à quibuſdam nunc dicti, virides toti ſunt, ſubamari & ſubacres, in ſua nuce pinea ſeruantur. Coni, præterea cupreſsi pilulæ Plinio dicuntur, vt coniferæ cyparíſsi. De his paſsim loquitur Galenus lib.vij comp. Pharmac. & vij.lib. Simp. & lib.ij.de Alimentis. Deinde petenda eſt Dictio, Strobylus.

Contuſio θλάσμα, fit, cum caro, vel oſsium aliquod molle, ſub irruente extrinſecus aliquo violento, valido, & duro corpore ita colliditur, vt partis externa facies integra permaneat, & in profundo ſint multæ ac paruæ diuiſiones: poteſt & colliſio appellari: quòd ſi verò cõcauitas aliqua à collidentis corporis ictu inducta apparet ἔνθλασις, id eſt, illiſio nominatur. Contuſio præterea ſeu aurium compreſsio θλάσις, eſt foraminum quæ ſunt in auribus, paſsio.

Complicatio ἐπιπλοκὴ, quando horis diuerſis febres inuadunt: confuſio κρᾶσις verò eſt, quando eodem incipiunt tempore: vt deſcriptor eſt Galen. lib. ij. de febrium Differ. cap. viij.

Contenta vrinæ παρυφιστάμενα dicuntur, eo quod in qualibet altitudinis corporis, vrinæ parte conſiſtant, & contineantur: nunc in fundum ſcilicet ſcaphij, nunc ſupremam regionem, & vtrãque harum extremitatum medium. Quòd in fundum vaſis deſcendit ὑπόστασις, hoc eſt, ſedimentum, ſeu ſubſidentia eſt: quod verò æquis ſpatiis ab vtriſque extremis decedit, & in medio pẽdet ἐναιώρημα, hoc eſt, ſuſpenſio apparet: quod in ſumma ſuperficie vrinæ apparet νεφέλη, id eſt nebula, vocatur. Contenta craſſa, craſſorum, atque crudorum humorum in venis copiam ſignificant. Contenta tenuia, magnam quãdam naturæ in ſecunda cõcoctione adeſſe imbecillitatem monſtrant.

Contentorum colores ſunt qui à mediocritate decedunt eorum alij, ſunt & alij vehementer albi, alij ſubpallidi pallidíque: flaui alij & ſubrubei, rubeíque: nõnulli cruenti, & veneti, liuidi etiam atque nigri: qui omnes contentorum colores ſuo ordine exprimuntur.

Contentorum vrinæ quantitatis eſt, cùm elaboratio naturæ circa alimentum, multa quoque excrementa fieri neceſſe eſt: ſed contentorum paucitas eſt, vel ob inediam, vel exercitia, vel obſtructiones, vel tardas concoctiones, generatur.

Continens, & continua febris σύνεχος, καὶ συνεχὴς, Græcis, inter ſe differunt, in ſynocho nulla fit remiſsio feruoris: ſynochia autẽ in ſingulis acceſsionibus remiſsionem ſenſibilem obtinet. Item ſynochus vnam tantùm acceſsionem habet, ſynochis verò plures: atque huius ſententiæ Galen. eſt lib. ij. de Criſibus, cap. vj. & Meth. med. lib. ix. Fuch. lib. iiij. de med. Morb.

Continuæ, ſeu συνεχεῖς, febrium tres ſunt ſpecies: ſi enim flaua bilis intra vaſa putreſcit, tertianam cõtinuam, ſeu ardentem febrem efficit, quæ generis καῦσος dicitur. Si verò pituita putreſcit intra vaſa, quotidiana continua naſcitur: habent autem continuæ febres idem genus cum ſingulis intermittentibus, vt eſt author Gal. libro primo ad Glauc. Diuertaris præterea ad dict. Tertiana continua.

Continuitatis in carne ſolutio, vulnus eſt: quemadmodum in ruptura, non ex di-

ſtentione,ſed inciſione profectum.

Coſtæ πλευραὶ,in omnibus ferè animãtibus quatuor ſunt & viginti, ab vtroque ſcilicet latere duodecim. Septem priores longiores Græcis γνήσιαι, Latinis autem veræ & legitimæ dicuntur. Reliquæ inferiores breuiores,& ad pectus minimè pertinentes,quinque in quouis latere, ſpuriæ & illegitimæ latinè, νόθαι,καὶ ῥοαὶ Græcè nominantur:hæ ad ſeptum tranſuerſum definunt.

Conuulſio σπασμὸς,eſt vbi nerui & muſculi præter voluntatem conuelluntur, in cũmque affectum veniunt.

Conyza κονύζα,triplex eſt, Latinis Cunilago nominatur: vulgaribus cimicaria,& pulicaria, quam Pſilion plerique interpretantur. Conyzæ vtriuſque folia ſunt oliuę ſimilia,tertiæ nõ item:in maiore caulis duũ cubitorum altitudinem attollitur, in minore pedem æquat,ſed non in tertia. Vtramque veneno reſiſtere, non tertiam ſcribit Nicander in Theriacis.

Conuoluulus κλήματις,volubilis,& cãpanella vt Ruel. & Geſn.placet,appellatur. Scholiaſtes verò ſic eã ſcribit,inquiens:Cõuoluulus ἑλξίνη κιτ(σ)άμπελος,foliis eſt hederæ longè minoribus,& in mucronẽ turbinatis,& herbas alias ſuo reptatu inuoluit: vulgus Cãpanullam appellat,officinis volubilis effertur: quibuſdã autẽ liliaſtrum, quod vt ait Plin.eſt rudimentum naturæ lilia facere condiſcentis Conuoluulus.

Conuulſio σπασμὸς,eſt vbi nerui & muſculi præter voluntatem connectuntur, in eũque affectum veniunt,quem in motibus ſecundum arbitrium factis aſſumpſerunt. Huius quidẽ tres ſunt ſpecies,vna nimirum diſtẽtio, ſeu τέτανος, quã Celſus rigorem vocat:fit autẽ quãdo ceruix vnà cum reliquo corpore immobilis manet, & in neutrã partẽ inflectitur,ſed iuxta in vtrãque recta intẽditur. Altera ἐμπροσθότονος vocatur, & fit cùm caput,ceruix reliquũque corpus in pectus contrahitur:quæ dici poteſt tenſio ad anteriora. Tertia ἐπισθότονος, quæ accidit,quãdo caput in ſcapulas cõuertitur, & eſt tenſio ad poſteriora.Hippoc.Aphoriſ lib.vj.aphoriſmo xxix.Gal.lib.ij. de Sim ptomat.cauſis,cap. ij.Fuch.curationem docet lib. j.de Med.morb.cap. xxj. Acakia ſuper Gal.ad Glauconem lib.primo.

Cor καρδία, inter vtraque thoracis ſpatia medium ſitum eſt: & vtraque ad Baſim ipſius parte auriculas habet,ſic nominatas ab auriũ ſimilitudine. Dextra auricula cũ inſigni ramo cauæ venæ,& dextro cordis ventriculo cõmittitur. Siniſtra cũ oſtio venoſæ arteriæ, & ſiniſtro cordis ſinu conſerta eſt: caloris vitalis,ipſiúſque vitæ principiũ & origo,ex quo ſanguis tum ſpiritus vitalis emittitur. Itaque tria ſunt, quæ vitam humanam ſtabilire dicuntur,cor,hepar,& cerebrum:cor principale cæteris eſt,& theſaurus naturalis caliditatis,ac ipſius roboris vitalis.Item affectus per quancunque rei cauſam accidentes ſignificant arteriarum perpetuam motionem, atque nihilhominus cæteras paſsiones exiſtimãdas, quæ in diuerſis corporis partibus fiunt. Hepar ſecundæ dignitatis eſt,ſed cerebrum tertiæ authore Actuario libro de vrinis primo.

Cor duos ſinus intus obtinet,dextrum & ſiniſtrum, interſtitio diſcretos, per cuius foramina ſanguis ad ſiniſtrum transfertur.In vtroque ſinu bina vaſa habentur,dextrum ſiquidem,qui & mollior tactu eſt,& capacior,cauæ venæ,vbi ſeptum tranſuerſum permeauerit, inſignis ramus ingreditur, qui ex iecinore ſanguinem fert, eumque omnibus venis intra & extra cor diſtribuit. Egreditur autem ex eodem ſinu vena arterioſa ſanguinem ad pulmonem deferens,ſic dicta,quòd vſus reſpectu vena ſit: tunicæ verò quæ duplex exiſtit, arteria. Siniſtro ventriculo cordis arteria venoſa, quæ ex pulmone aërem cordi defert,fuliginoſáque educit excrementa, inſeritur: ſic nominata,quòd vſus ratione arteria ſit,tunicæ autem reſpectu, quæ vnica eſt, vena. Egreditur ex hoc ſinu maxima arteriarũ, Aórta dicta, omniũ aliarum origo, altera ſui parte iugulum petens,altera dorſum ad ſpinam torquetur. Cordis affectus ex Galeno libro v.locorum Affectorum cognoſcuntur.

Cordis

Cordis morſus,ſeu oris ventriculi dolor καρδιάκη, ἢ καρδιαγμὰ, eſt non cordis, ſed oris ventriculi dolor,morſus,aut punctura. Priſci ſiquidem os ventriculi καρδίαν, hoc eſt,nominabant:alio nomine paſsio hæc,καρδιωγμὸς,hoc eſt, morſus cordis dicitur Hippocrate. Itaque errant, qui hanc vocem pro cordis tremore, quæ Græcis παλμὸς appellatur,vſurpant. Fit quidem ab omni eo,quod cor præter naturam afficere poteſt,vt eſt intemperies omnis,aut humoris multitudo in ambiente tunica cõtenta,aut tumor præter naturam. Petendus eſt Gal.li.iiij. Aphor. Hippocr. commentario xvij.& Locorum affectorũ lib.v.cap.v.& libro ſecundo, de Placitis Hippocra. & Platonis.

Corona in vrina,eſt linea vmbra depicta,quæ circuncurrit per ambitum ſuperficiei vrinæ:circulus aliquibus medicis appellatur.

Corona alba in vrina ſi fuerit,bonum portendit,at in viridi,& paſſea vrina ſi peioris coloris,prauos humores iam dominari,& malum denotat.

Coronæ in vrina ſignificatio eſt,quod ſi humores nocentes fuerint virtuti pares, & pari menſura vrinas tinxerint,nulla corona euidens ſpectari poteſt: ſed ſi virtus vicerit,aut vincatur,colores coronæ vndecunque apparebunt.

Coronale ſiue os frontis στεφανεία,id eſt,coronalis,quod coronari ſoleat. Os frõtis quòd coronali ſutura,atque ea, quæ capiti cum maxilla ſuperiore communis eſt, diſtinguitur:& vt ſincipitis oſſa rariſsima infirmáque ſunt, occipitium denſiſsimum, firmiſsimúmque:ſed inter hæc ipſa medium frontis os habetur.

Corpus eſt,quod profunditate,latitudine,& magnitudine continetur : & elementis quatuor æqualiter mixtis,compoſitum appræhenditur.

Corpus hominis conſtituitur ex humidis,ſolidis,& ſpiritalibus,vt oſſe, neruo, arteria,vena,& muſculo:liquore & excremento:natiuo calore in corde.

Corporis partes duplices ſunt,ſimilares,& inſtrumentales:ex ſimilaribus oſsiũ itaque eſſentia frigidam & ſiccã,ipſorum temperaturã indicat. Item etiam de pilis,cartilagine,tendinibus,neruis,ligamentis,venis,arteriis,membraníſque eſt cenſendum,vt pote quæ à calore cocta,atque à frigore concreta,ſed hæc magis in vno,quàm in altero præpollent. Pilus quidem frigidiſsimus omnium,ac ſicciſsimus,ab illo oſſa, deinde cartilago,poſtquam ligamenta,à quibus tendines,deinceps membrana, & venæ, & arteriæ,poſtremo nerui duri. Molles enim partes in humiditate & ſiccitate mediã naturam,ſicut cutis,obtinent. Caro autem,ſanguis,ac ſpiritus temperamento calido prædita ſunt. Spiritus quidẽ calidiſsimus eſt,deinde ſanguis,poſtremo caro ipſa. Spiritus quòd humidus ſit generis aërei atque eſſentiæ ex eo liquet. Aër autem aqua humidior eſt. Tunicæ corporis,& vaſorum non ſolum exangues ſunt, ſed etiam frigidæ natura,contactu tamen,& nutritione ſanguinis calefiunt,& ad temperamentũ perueniunt. Sanguis à corde calorem accipit. Pinguedo frigida & humida eſt, quam ordine eodem ſequitur ſpinalis medulla.

Corporis diſsimilares partes,quas & inſtrumentarias licet appellare,cor primum occurrit, omnium animalis particularum, quod maximè ſanguineum,atque humidum, calidiſsimum eſt. Proximum illi iecur,cerebrum omnino frigidum,& humidum eſt temperamento. Pulmo calidus & humidus,quemadmodum etiam Lien, & renes. Quod verò ad duritiem & molliciem attinet, ſciendum id quod ſiccum eſt, id prorſus durum eſſe:non tamen id quod durum eſt, idem ſtatim & ſiccum eſt. Si enim quid molle ſit,humidum eſt:ſi durum,ſiccum:idem ſanè ſentiendum de aſpero & leni:lubricovè. Hæc Gal.lib.priore Simpl.facult.

Corporis virtutes ſunt,robur,pulchritudo,integritas, & perfectio:ab animæ virtutibus dependentes,prouidentia,modeſtia,temperantia, fortitudine,& iuſtitia: à quibus animorum perturbationes moderantur,finiúntque.

Corporis item partes diſsimilares, quæ & inſtrumentariæ dicuntur, ſunt quæ ex ſimplicibus , ſimilaribusvè conſtant, vt caput, manus, pes, & id genus. Dicuntur nomine alio ſecundæ, compoſitæ, diſsimilares, diuersíque generis. Sed

corporis partes ſimilares ſunt, quæ vndique in ſimiles partiuntur: vel ſunt, quæ partes omnes,tum ſibi mutuò,tum toti ſimiles habentur,veluti caro,os, neruus, cartilago,membrana,ligamenta,venæ,arteriæ, & id genus. Hæc autem prima elementa hominis Galeno dicuntur:atque cum brutis nonnihil communicationis hæ partes habere dicuntur. Obtinent alias & multas appellationes ſimilares partes apud Galenum. Dicuntur enim nunc ſimplices partes,nunc primaria corpora, quòd ſcilicet ex iis conſtituuntur,quæ compoſitæ, & inſtrumentales nominantur. Item generis eiuſdem elementares,ſenſilia elementa,& ſolidæ corporis partes. Denique corporis partes quędam ſunt,quæ nec aliorum gubernationi præſunt, neque aliundè gubernantur,cum innatam habeant facultatem à qua gubernentur, vt os, ligamentũ, mēbrana,caro ſimplex.

Corporis humani partes quidem omnes venarum,& arteriarum adminiculo indigent ad eſſentiæ,ſeu ſubſtantiæ ſuæ conſeruationem:venis quidem vt nutriantur, arteriis autem ad inſiti caloris moderationem.

Coriandrum κόριον, καὶ κορίανον, cuius ſemen præparatur, & inter bellaria reponitur: ſed largiùs ſumptum mentem mouet non ſine periculo,ob id aceto maceratur,poſt ſiccatur. De eo Dioſcorides,Largus,& Galenus copiosè, & diligenter, tum de ipſius remedio,quod venenoſum eſt,ſcripſerunt.

Cornus κρανία, arbor: cuius fructus cornum eſt: hæc ſiquidem ſpecioſa arbor eſt,& fortis,fructum oliuæ magnitudine ferens,oblongum, viridem, cum maturuit rufum,vel rubicundum:aſtrictoriç facultatis,vt alui fluxum eſu confeſtim retineat. Decipiuntur qui Cynobaſtum protulere,non minùs quidem, quàm qui pro Sorbo, ſuóque fructu Cornum arborem vſurparint.

Corallus lapis Actuario dicitur,quem λιθόδενδρον aliqui vocarunt: fruticis forma cinamomi æmulus creſcit ad promontoria in mari,aſtringit & refrigerat, contra ſanguinis reiectiones magnoperè efficax. Rubrum & nigrum tantùm facit Dioſcorides: albus tamen extra vſtionem,vt viridis, viſitur Dioſco. libro quinto,capit. octogeſimoſexto.

Cornicis pes,κορωνόπους,quam Leonicenus interdum capriolam, & ſanguinariā nonnunquam vertit,Geſnerus dentem canis,ab acumine folij olitores,ex Ruellij ſententia,vocare affirmat. Etimon autem pes corui eſt, ſed non ea planta quæ pro pede corui oſtentatur,vt refert Scholiaſtes.

Corrigiola, proſerpinaca Apuleio eſt: Dioſcoridi polygonum mas:officinis verò ſanguinaria,& centinodia nomen habet. Pedes dict. Polygonum.

Corylus, Auellana noſtras, Græcis καρυα ποντικη, Latinis nux pontica, & Græca habet nomen,hanc Galenus laudat in lib. Alimentorum,in cibis ſpermatis augendi gratia,quia flatulenti ſucci experitur:ſed ſtomacho infeſta. Dioſco. lib.j. cap. centeſimoquadrageſimoſecundo.

Coſtus κοςὸς,varius hodie habetur: ſed præcellit Arabicus: ſecundus eſt Indicus, vber, leuis, niger: tertius Syriacus, grauis, colore buxeus, odore feriens: ſed Arabicus cum dulcedine amarus eſt: Græcis indictus. Coſtus autem hortenſis, herba haudquaquam amara eſt, fuerit magis piperitis aut ſiliquaſtrum Plinij, & Pſeudoçoſtus Ruellij. Nam piperitis Pedemontana eſt, hortis iſto ſeculo valdè familiaris, quæ ſiliquas rotundas profert,teretes, pyramidis forma, digiti medij longitudine,& craſsitudine,ad maturitatem verſas,rubicundas apparere, ſemine paruo & ſcutulato turgentes.

Cotonea malus κυδώνιος μηλέα,id eſt, Cydonia malus:cuius arboris genera tria in Gallis habentur:de virtute & efficacia fructus, legendus eſt Dioſc.lib.j.cap. cxxxj. & Galenus de Alimentis.

Cotyledon κοτυληδὼν id eſt, Veneris vmbilicus, quæ herba ſimilia folia habet cymbalis:naſcitúrque ferè in parietibus humentibus:aliis habet acetabuli menſuræ figura, orbiculatum, imperſpicuéque concauum, cauliculo breui, qui è medio

proſilit,

profilit,& in eo ſemen, radice oliuæ modo rotunda:in Clariaci vici mœnibus frequẽs Dioſcor.libro quarto,capit.ſeptuageſimooctauo.Ruellius libro tertio, capit.centeſimodecimoſeptimo.

Coronale os,anterioris partis capitis frons eſt,in ſyncipite collocatum:cuius poſterior capitis pars,occiput eſt:& tertia à medio anterioris,& poſterioris oſtenditur.Galenus in lib.de Oſsibus,cap.j.

Coſtæ ſunt numero viginti quatuor,vtrinque vertebris duodecim ex ligamentis annexæ : ex quibus geminæ ſiue perfectæ ab latere vtroque ſeptem ſuperiores Sternum attingentes:nothæ ſeu imperfectæ,hoc eſt,ſpuriæ,atque mendoſæ quinq; vtrinque Sternum non tangentes,quæ inferiores ſunt,computantur.

Cornix ἡ κορώνη, auis caſtiſsima,& coniugalis amoris obſeruantiſsima,ad vitæ extremum vidua permanet:vnde in nuptiis olim veteres poſt Hymeneum, Cornicem inuocabant,& hoc concordię ſymbolum his dabant,qui liberorum propagandorum gratia conueniſſent.Ariſtoteles lib.v.de Natura animalium.

Coruus ὁ κόραξ auis,cuius,genus triplex inuenitur,vnum nominẽ Nicticorax:alterum Coruus,qui per fluuios, ſtagna, lacus, & mare piſcium prædam captet: tertium, Coruus rupicola,& gryllinus à gryllorum venatu,appellatus. Atque hæc genera tria hominibus cibi gratia in prædam veniunt, etſi caro dura, & confectu difficilis. Eſt præterea & inter hæc genus vnum,quod Coruis cæteris natura,non nomine, differt:eſtque auis,quoniam hominum voces fingere nititur, planè domeſtica,de cuius intelligentia mira docet Plinius lib.x.cap.xliij.

Cotyle,hoc eſt,acetabulum,quod nonnullis glene vocitatur,eſt,quod ex cauis capitula excipientibus,& quod altiùs deſcendit,quodque in ſuperficie ſitum eſt,ab ocularis ſinus ſimilitudine,nominatum.

Cotula fœtida herba ea eſt,quæ chamæ malo ſimilis depræhenditur,niſi ab ea ſuo nidore dignoſcatur:tota apibus infenſiſsima.Decipiũtur ergo qui Parthenij ſpeciem alteram eſſe volunt,& Bupthalmum,& Chryſanthemonem. Ruellius libro tertio, capit.lxix.

Craſſa vrina,eſt quę exceſſum materiæ,& humorum implentium ventrem,inteſtina,& iecoris partes cauas demonſtrat.Quæ ſi in febre ſpectetur, vbi tenuis præceſſerit,ſtatim futuram declinationem oſtendet.Si verò cũ iam acceſsit febris vrina craſſa apparuerit,nec tenuari ceperit,humorũ copiã iam manifeſtat, ſicut docet Hippo. lib.vj.Epidimia.particula iiij.

Craſſa & lactea vrina in fine veniens,calculos in veſica, vel renibus, ſignificat: & craſſa quæ charopos,& vt iumentorum turbida dolorem capitis portendit,vt author Hippoc.Aphor.lib.iiij. Aphoriſ.lxx.Galeno interprete.

Craſſa vrina,& ſubrubea, maximè ſi talem ſubſidantiam habuerit,longos portẽdit morbos,& à periculo immunes:craſſa & rubea,ſanguinis copiam oſtendit,quemadmodum in Synochis febribus.

Craſſa & nigra vrina,melancholici humoris euacuationem ſignificat, vbi maximè in declinatione melancholiæ apparuerit.

Crategon,hoc eſt,aquifolium:arbor vulgò Houx.Ruellius ex Theophraſto, arborem Meſpilo ſimilem eſſe aſsignat:cuius fructus poſtquam maturuit,niger eſt,& facultate adſtringens.Ipſe Ruel.li.j.cap.lij.plura docet.

Crateogonum,à multa acrimonia qua vrit,popularibus Curage appellatur:verùm neque differt à Perſicaria,arboris Perſici folia in totum repræſentans,ſolo niſi guſtu & Naculis,nam ſolum idem amant.

Creſsio,à creſcendi celeritate,Siſymbrij ſpecies altera eſt,quibuſdam Cardamine, & Naſturtium aquaticum.Cardamum Græcis,Naſturtiũ hortenſe ſiue Alemnicum Latinis eſt : ſic quoque dictum, quòd cor fouet in ſincope illa cardiaca,ac plurimum valet, diſtributum, nempe dum vires alicui deficiunt, & repente animo delinquuntur.Eſt & aliud Naſturtium aquaticum, à quibuſdam cardamine appellatum,

quòd

quòd ſaporé ſit cardamo ſimili: quam quidam Latini Lauer, Græci Sion herbam eſſe putant, vulgaribus Berulam dictam. Dioſcorides, libro ſecundo, capi. centeſimoviceſimo, & centeſimovigeſimoprimo.

Crithmus, ſeu Crithamus, vulgus cretam marinam, & Baticulam, id eſt Bacillã, dicit. Contendunt plerique fœniculum marinum eſſe, quod non ſcribit Dioſcorides. Sale & aceto conditur, quia tota menſis lautioribus appetitur.

Corruda ſylueſtris aſparagus eſt, nunc altilis paſsim ſpectatur: dupléxque habetur, vt author eſt Dioſcorides, libro ſecundo, capite centeſimodecimooctauo. Ruellius libro ſecundo, capit. quinquageſimoſeptimo. Tu præterea petes dictionem, Aſparagus.

Criſis in morbis, ſeu indicium, eſt, quando in melius aut in peius morbi fit mutatio: & quæ morbum finit vomitu, alui fluxione, ſudoribus, vrinis, ſanguinis è naribus profuſione, hœmorrhoidibus, muliebri profluuio, parotidibus, ac aliis abſceſſibus: quæ in quibus accidere ſoleant, diligenter eſt aduertendum ex Galeno, lib. primo ad Glauconem.

Criſis ſimpliciter appellatur, mutatio prima quæ in morbo nihil reliqui facit, & ſubitò ad ſanitatem peruenit.

Criſis mutatio altera eſt, quæ non integrè à morbo vindicat, ſed tamen è fatu dignam in melius permutationem efficit: & hæc deficiens nominatur.

Criſis mutatio tertia, ſeu morbi mutatio, mala criſis indicatur: quarta, quæ inſigniter ad deteriora declinat, atque ἀτελὴς, hoc eſt, imperfecta maláque nuncupatur. Plura habes in dict. Indicium, & Solutiones.

Criſis bonæ indicium eſt, vt ab aliqua die indice priùs indicetur, cui ſanè annexa eſt diei indicateriæ potentia: ſicut docemus in dict. Dies decret.

Cretica terra à Creta inſula vſurpauit nomen, quæ gentilitio more, & officinis hodie Creta vocatur: candida natiuo ſuo colore proſpicitur, & parum ad medicamenta vtilis.

Crocus ὁ κροκὸς, notitiæ vulgaris: optimus medicamentis eſt Coryceus, veteribus celebratus: aliis ſanè procerior, non tamen robore odoris, aut diuturnitate præſtantior. Cilicius crocus etiam laudatur Galen. li. vij. compoſ. pharmac. licet hodie officinę cum medicis orientalem non poſtponant. Huius rei gratia Dioſcoridem Plinium, & Galenum lib. j. Antid.

Crambe, braſsica eſt, & vulgi denominatione Caulis, ad cæteras omnes herbas hortenſes nomen quoque peculiare: κραμβὴ, quod triplici genere à peritioribus eſt obſeruatum, craſſum ſiue herbaceum, & ſubnigrum colore depræhenditur: alterum colore rubicundum: tertium κραμβὴ κεφαλῶτη, id eſt, capitatum, aut turbinatum, conglobatumvè vbique mortalium abundat. Similiter κυνοκραμβὴ, id eſt, braſsica canina, ſiue Cynia, quæ eſt Atriplex agreſte officinis appellata: & κραμβὴ θαλασσία, quæ braſsica marina, & Soldanella habet nomen.

Crocodilus κρόκοδειλος, terreſtris & marinus: diuerſique generis eſt, qui terreſtris, crocum refugit: ob id mellis confectores dum timent alueis à Crocodilis, croco illinunt. Nam marinus in littore maximè meticuloſus eſt. Eſt & crocodilus ex lacertorum maiorum genere Scynco Nili ſimilis: cuius magnitudo duodeuiginti cubitorum plerunque eſt: referúntque authores tantam proceritatem excedere. Illi ſuperior maxilla ad mandendum mobilis, contra cæterorum animantium à natura facultatem, & ſolida inferior manet, pectinatim vtrinque dentibus ordinatis: carnis humanæ voraciſsimúmque animal: cuius ſola AEgyptus fœcundiſsima perhibetur ex Nili nutricatione. Parit oua vt anſer ſed multò maiora, incubátque ea ſerpentum, cæterorúmque reptilium conſuetudine: Ariſtotelis, Plinij, & AEliani teſtimonio.

Crocodilion, & Crocodilias κροκοδείλιον, ex carduorum genere duplex, albus, & niger

niger: neque fortaſſe ea planta fuerit,quam ex Ruellio Carlinam gentilitas vocat: nam mihi conſtat apud Allobrogum, & Canarum rura eſu plantas inter carduos eſſe diuerſiſsimas. Crocodilion alterum perhibetur chamæleonthæ nigræ ſimile coniectore Manardo, ei videlicet carduo, qui modò carlina vocitatur. Diſtinguitur, præter natales, radice, quam longuam nigrámque, & latam mediocriter habet, odore, vt naſturcium, acri: Carlina craſſam extrinſecus nigram, intra ſubflauam: quam horum differentiam in dictione Chamæleon repoſuimus.

Crauium, id eſt, caluaria oſsibus conſtat ſeptem: os frontis, quod coronale eſt: os bregmatis, id eſt, ſincipitis, & parietale vtrunque: os lithoides vtrunque, id eſt, lapidoſum, & petroſum: os palati, & baſillare, quod, niſi in Anatome, oſtendi non poteſt:Zygoma, vel os Zygoeides,id eſt,iugale & paris.

Cruditas cibi ingeſti ἀπεψία eſt, quando videlicet nulla penitus fit ciborum alteratio, ſed ſecundum omnes qualitates, quales aſſumpti ſunt, permanent quam paſsionem ſequitur διαφθορὰ, quæ fit quando in alienam qualitatem cibi permutatur,id eſt, tarda cibi concoctio quæ βραδυπεψία alio nomine appellatur.

Cruentum ſputum αἱμοπτοὶς, καὶ αἱμοπτοῦσις, eſt ſanguinis ſpuitio ſeu reiectio: quæ ex cauſſa interdum externa manifeſta, nempe delapſu ab alto, aut ſi grauius aliquod corpus thoraci inciderit, clamore, aut frigore, ruptis venarum capillamentis,& conſimilibus. Accidit quandoque ex occulta etiam cauſſa, veluti plenitudine, aut oris venarum apertione, aut earundem eroſione, atque aliis huius generis. Curatio morbi huius petenda ex Fuch.libro ij.de medē. Morbis,cap.vij.

Cubitus πῆχυς,vocatur quoque membrum,quod eſt inter carpi & ἀγκῶνος articulationem: alio nomine Latinis vlna, & focile maius dicitur, porrò ἀγκὼν eſt quo firmamur & ſuſtentamur.

Cubitus πῆχυς,alterum vlnæ oſsium maius quod ſupereminet radius κερκὶς, rudioribus medicis focile minus dicitur.

Cubiti tuber, ſeu proceſſus poſterior ὀλεκρᾶνον,nuncupatur:vbi cubitus definit & cum ſumma manu, quam Græci ἀκρόχειρον, vocant, articulationem efficit: καρπὸς Græcis, brachiale Latinis: raſceta ſciolis medicis, & Chyrurgis vocitatur. Poſt brachiale μετακάρπιον eſt. Itaque carpus conſtat oſsibus octo, quatuor in ſingulos ordines coniectis,non incertus,horum numerus cum Celſo. Metacarpium & pecten oſsibus quatuor conſtant Galeno, non quinque cum Celſo,& aliis:ſingulis quinque oſſa tria numerantur.

Cucumis agreſtis,officinis aſininus σίκυς ἄγριος, cuius ſuccus Elaterium eſt: cuius conficiendi rationem docet Dioſco. Eſt & ſatiuus Cucumis σίκυον ἥμερον, qui videtur inter Melopepones numerandus: quorum multa variáque occurrunt genera, ab ipſorum & figuris petita: verum cucumis ſui generis eſt, neque cum peponibus miſcetur. Ex Ruellius Carolus Stephanus in libello de re hortenſi perlegendus eſt.

Cucurbita item occurrit ſuo in genere multiplex, verùm forma & facultate κολοκυνθη Græcis nominata:nam quæ ſatiua,frigida & humida ordine ſecundo,vt cucumer ſatiuus,manifeſtatur:ad phlegmonas,& ſitim vtrunque efficax, Galeno authore lib.vij.Simpl.Occurrit & altera præter agreſtem,quæ ζωμὸς Græcis dicta eſt, coactæ breuitatis,digitali craſsitudine,& in petroſis naſcens: noſtratibus Barbara, & marina nominatur.

Cucurbita erratica κόλοκυνθις, paulò ſuprà memorata eſt: atque de ea quàmplurima ſcribit Dioſcorides, libro quarto, capi. centeſimoquinquageſimooctauo, inquiens: Colocynthis ſarmenta foliáque ſatiui cucumeris emittit, per terram repentia, diuiſa fructum in ſpeciem mediocris pilæ conglomeratum, vehementer amarum,quem legere oportet, cùm cæperit in pallidum colorem permutari:

cuius

cuius medulla purgatoriam vim habet in clyſmatibus cocta,obolorũ quatuor menſura tantùm,addito melle cocto:neque hoc pacto in potu pro pharmaco exhibenda eſt,quia vitæ periculoſa,vt iſtis verſibus in Chyrurgum prorſus amethodicum retulimus.

Obuius en quoties tibi ſum colocynthidis à me
Ignea ne virtus,ne noceat vè petis.
Hæc epota ſiet cruciantia tormina ventrem,
Pectora tum crebris vlceribúſque probat.
Non procul(eſt Elephas)morbo ſanare fatemur,
Cui regio nomen Gallia deinde dedit.
Faſtidit potus.tibi ſunt catapotia curæ,
Si placet hic vſus:tu tamen adde Senam.

Cuminum κυμὶνον,triplex eſt:ſatiuum vnum,alterum ſylueſtre, & tertium ſatiuo proximum:quanquam erraticum repperitur,cuius figurã depingit Geſnerus. Quinetiam agreſte cuminum eſt ἄραβις Græcis, Latinis Draua: apud herbarios quoſdam naſturcium orientale,vel Babylonium eſt appellatum. Poſt Dioſc.lib.iij.c.lvij.quære Galenum lib.vij.Simpl.medic.

Cunila bubula ὀρείγανον ἄγριον, id eſt, origanum ſylueſtre: cui differt Cunila capitata,id eſt.Thymbra,vel Satureia θυμβρα κεφαλωτη,ſpecies origani:& cunila mollis Plinio,quæ Encenſaria Geſnero eſt,ſed cunila gallinacea, id eſt, Origanum heracleoticum,maioranæ ſpecies eidem Geſnero creditur. Cunilam etiam pro Satureia Largus vſurpauit,quæ vera non eſt,Græcis medicis veteribus ſingulari diligẽtia deſcripta:longè diſcrepat ab ea,quæ noſtratibus medicis celebratur,vt rationibus apertiſsimis docet P.Bolonus:vti neque Thymbra,ſtechas,Hyſſopus,& Thymus vera,& germana nobis ſeculo noſtro opponuntur.

Cunilago κονίλη ἄρρυν, maſcula Græcis dicitur:vt ſuſpicatur Geſnerus, odore fœdo,radice lignoſa,folio aſpero:licet idem nomen Coniſæ tribuatur. Atriplicem fœtentem ſi dixero,neque mouebor:vbique gentium vulgus mictum canis vocat.

Cupreſſus κυπαρίοσος, vel cypreſſus frutex: cuius pilulæ Côni dicuntur, vnde côniferæ cupreſsi apud Vergil.legitur. Meminimus copioſiùs in dict.Côni.

Cucurbitulæ,vacuationis per reuulſionem ſanguinis genus eſt,quo non ſolùm materiam euacuare,ſed etiam dolorem ſoluere, phlegmonem minuere,inflationem diſcutere,appetitum reuocare,ventriculo infirmo robur addere,animi deliquio liberare , ex alto fluxiones tranſferre, ſanguinis eruptiones cohibere, facultates menſium corruptrices extrahere, menſéſque ſupprimere. Imponuntur quandoque ſine ſcarificatione ad ſimplicem quandam reuulſionem,ſed plerunque cum ſcarificatione adhibentur.Gale.de vſu cucurbitarum author eſt,& li.v.Meth.med.

Cuculus κόκκυξ piſcis,littoreis Maſsilienſibus gallina marina conſuetum nomẽ habet:Siculis,regionibúſque vicinis Cochus dicitur:nimirum quia piſcis hic irretitus vocẽ auis Cuculi ſimilẽ ædit. Numenius,vt Scholiaſtes refert apud Atheneũ ἔρυθρον piſcem hunc appellat,id eſt,rubrum:quæ appellatio conuenit ei piſci Rogeto.qui pro Cuculo Luteciæ oſtentatur.

Cuculus κοκκυξ,auis hæc ſua prudentia ſapit plurimum, cui cùm excludendi pullos facultas non ſit,propter frigidam corporis ſui temperiem,in Alaudæ, & Luteolæ nido parit,quòd non ignoret ab his oua ſuis perſimilia pari ſolere: quæ poſtea per ipſas auiculas excluduntur,fouentúrque dum volent.

Curuca ἡ ἐπιλαὶς,& ὑπολαὶς,auis putatur,quæ Cuculi oua fouet & excludit: paganis quibuſdam Verdon,& Roge bouree, dicitur. Arquatis videtur opîtulari hæc auis vel eſa torrefacta,vel in cinerem ſubacta,& quopiam liquore pota:nam experiẽtia remedio fuit.

Culeus,viginti capit amphoras,ſiue vrnas quadraginta,vt eſt apud Plin.li. xxiiij. cap.iiij.& Columellam,li.iij.cap.iij. Ab eo ſeſquiculearium dolium triginta conti-

nens

nens amphoras:quaſi culeum & dimidiatum.

Cuminum,duum generum eſt,ſatiuum,quod ori gratum depræhenditur guſtatu: ſed multò magis AEthiopicum,quod Hippocrates regium appellauit: Carnabadiũ apud Myrepſum Euchſius interpretari auſus eſt,ſecundum locum tenet AEgyptiũ. Alterum eſt cuminum ſyluaticum,frutice paruo gignitur:dodrãtali caule, ac tenui, quaternis aut quinis foliis tenuibus,veluti ſerratis,& gingidij diuiſura,in capite cacumina quina,aut plura habet,mollia,rotunda,in quibus ſemen turget, guſtu ſatiuo acriore,naſcitur locis mollibus.

Cutis δέρμα,eſt corpus neruoſum,totam ſuperficiem corporis exornans, atq; protegens,vt offenſam, & noxam à gelu, & calore torrido prohibeat: cuius ſummitas ἐπιδέρμα Græcis,Latinis flos cutis.

Cutis denſitas eſt,quæ per totum corpus meatus exiguos obtinet: quoniam aut frigore fit,aut qualitate affatim aſtringente,qualis in aluminoſa aqua eſt: vt docet Acakia ſuper lib.j.Gal.ad Glauconem.

Cyame menſuræ genus,pars tertia miſtri dicitur: quæ duo cochlearia capit: & Cyamæa κυαμαία,quæ velut gemma apparet: atque hæc officinis vmbilicus marinus videtur,quoniam fracta & in partes diuiſa fabæ ſimilitudinem refert. Lege Plin. lib.xxxvij.cap.xj.

Cyamos,colocaſia dicitur,vt paulò ſupra retulimus in dict.Colocaſia:& eſt Cyamos menſuræ genus,quod ſemunciam complet:& Cyamos faba,quod eſt leguminis genus:à cuius eſu Pythagoram ferunt religioſiſsimè abſtinuiſſe.

Cyanus, ſiue cyaneus lapis,id eſt,cœruleus,officinis lapis Lazuli:cuius vires colorem varium in ipſo fuſiſsimè deſcribunt:poſt Dioſc.Plinium & Galenum, noſtræ ætatis Braſſanolus,Fuchſius,& Syluius ſuper Meſuem vires aperuerunt. Vim purgare melancholiam ſupra, & infra, ac atrabilioſum ſuccum habet,& illotum præbet Meſue non ſine graui noxa: communémque habere cum Armeno lapidem facultatem,ob id pollere vtrunque aduerſus omnes melancholicos affectus, maniam, epilepſiam,elephantiam,quartans,& hœmorrhoidas:vocatúrque Stellatus lapis.

Cyanus κυανός,flos cœruleus,hermines alioqui vocitatus:officinis verò Blattiſoſella nomen habet.

Cyathus duo miſtra continet:Plinio authore pendet per ſe drachmas decem: olei pendet per ſe drachmas duodecim:vini ſeſquuntiam,& ſcrupula quatuor:mellis ſextantem,drachmas duas:in menſuris aliter ſextantem,id eſt,vncias duas.

Cyathus liquidorum menſura,chymas paruas,vel myſtra parua duo continet. At ſi voles liquidorum ponderum menſuram noſſe,plus alia aliis in æqua lance trutina tã momenti habent:exempli cauſſa,dicemus de melle,vino & oleo: mel vtique vino grauius eſt quarta parte & adhuc decima,quæ eſt integra ipſius menſura,& præterea triens:oleo autem mel media parte eſt ponderoſius,continet enim totum eius modũ, & ſemicem:vinum oleo nona parte præcellit, quippe totum ipſum capit, & nonam eiuſdem partem.

Cyclaminus κυκλάμινος,officinæ Sigillum Mariç vocãt,vt affirmat Ruel.& quod raptum terræ,& tuber terræ Gaza interpretatus eſt,plebeiis panis porcinus, Arthanita myropolis,Cyclamini tertiæ ſpeciei Plinio:& vnico deprçhenditur folio.Quære dict.Tuber.

Cyminum ſemen eſt,à Carmania regione Perſuti proxima, carmanum dictum. AEthiopicum præfert Gal. Meſues verò ipſum Carmanum.

Cynaros,Cynara κυναρος,caucalis hortenſis,qui alioqui articoccalus populariter appellatur.Coccali dict.repetes.

Cynocephalea κυνοκεφαλαία, anthirrinum pleriſque etiam expertis herbariis ſuſpicatur:cuius dict.petes.

Cyboides ſeu cubiforme,ex tarſi ſiue rachetæ oſsibus quatuor maximum & extremum eſt,& calcaneo commiſſum,neque oſſa pedum omnia propria habent nomina,verum Calchoidea quibuſdam dicuntur:& cætera toti manui reſpondent pedum oſſa.

Cynogloſſum κυνόγλωσσον, id eſt, lingua canis: planta ſimilis Anchuſæ, id eſt, Orchanetæ noſtratis eſt, ſed ſine caule, vel interdum modico. Non ea eſt, vt Scholiaſtes ſcribit, Lingua canis officinarum: nam Chynogloſſum geminum folio eſt molli, venoſo, latiuſculo, lanugineo: caneſcit, vt altera quæ viroſa eſt: & caulem ramuloſum promit cum floribus purpuraſcentibus: atque illa, vt hæc, in ſabuletis naſcitur.

Cylidrus ſerpens à volubilitate dictus: qua tranſit parte fumum emittere copioſum ſcribit Lucanus inquiens: Tactíque viſa fumante Cylidri: de quo ſerpente in libro de Theriace plura Galenus.

Cyperus κύπειρος, iuncus anguloſus, & odoratus, vulgi nomenclatura officinarũ Parhiſienſium Sochetum eſt: verùm Cyperus Babylonicus, vt placet quibuſdã, vulgaris Galanga eſt: quando Cyperus Indica, terra merita, & Curcuma ex Ruel. ſententia radix eadem agnoſcitur.

Cyprus κύπρος Græcis, Latinis, vel potiùs Gallicis regionibus Lyguſtrũ eſt, ſiue Oleaſtrum. In Lyguſtro quæ viſa ſunt vtilia diligentiùs ſcripſimus: poſt Dioſc. libro j. cap. cvij. Ruell. lib. j. cap. xciiij.

Cytinus κύτινος, granati mali ſatiuæ, vel punicæ flos, vel pomum ipſum immaturum, ex primo eius partu florere incipiente, quod Cytinum appellat Pli. flores autem Balauſtia ex ipſo Cytino erumpentes. Hæc Barbarus. Legitur quoque Cytinus in Moro, & vocamus futura mora: quæ prima germinatio vnde promittimus malum punicum eſt Cytinus, hoc eſt, Punicæ ſatiuæ flos: Balauſtium verò agreſtis. Dioſcorides lib j. cap. cxxvij. Ruell. lib. j. cap. cxxv. in dict. Rhus.

Cypſellus κύψελλος, auis eſt hirundini haud diſsimilis: videtúrque ea eſſe, quæ Apes apedis genitiuo: vulgo Martinetus.

Cytiſus κύτισος, frutex eſt odorem Erucæ reddens ſi digitis teritur: commanducatis item foliis guſtum ciceris recentis percipies. Inuentus hic frutex in Cythno inſula, inde tranſlatus in omnes Cycladas inſulas: mox in vrbes Græcas, atque per totam ferè Italiam. Duplex eſt Columella authore, inuenitur enim in ſegetibus frutex albicans, ſurculis cubitalibus, foliis ramuloſis trifolij ſimilitudine, dorſulo in mediis prominente, flore piſi luteo. Folia dum teruntur, Erucam ſubolent, commanducata, cicer reſipiunt: & hic creditur Cytiſus eſſe agreſtis.

Cyttarus κύτταρος, eſt nucamentum quaſi panicula dependens è pinearum, roborum, & iuglandium ramis: de quibus fit miſtura medicamentis idonea muliebribus. Ruell. lib. j. cap. cxij.

Cynanche κυνάγχη, inflammatio eſt, quæ in interioribus muſculis gutturis accidit: παρακυνάγχη verò eſt, quæ in exterioribus eiuſdem muſculis oritur: cuius eſt explanator Gale. lib. iiij. de Locis affect. cap. v. AEgyneta lib. iij. cap. xxvij. Repetenda eſt item dict. Angina.

Cynoſorchis, Latinis teſticulus canis interpretatur, quod adhuc officinarum plebs nomen hoc retinet. Dicitur à nonnullis Serapias, à Serapi AEgyptiorum deo nomine deducto, propter notatam magnam laſciuiam, qua is deus Canopi vrbe colebatur, vt ſcriptor eſt Arrhianus de Alexandri magni geſtis lib. viij. & Strabo de Serapide, & Canopo, lib. xvj.

Cyphi Thymiama ex Dioſcoride, auiculæ cypriæ reſpondere imaginatur: nam ſuffitus eſt ad delicatè olfacientes principes, & antiſtites, magnates, & mulieres molliores, compoſitus. Hoc itaque ſuffitu AEgyptij ſua minima ſibi placabant. Compoſitionis authores ſunt Dioſc. Galenus, Plutarchus de ſacris Iſidis, & Oſiridis, Aëtius, & Actuarius.

Cryſtallus notiſsima eſt: gelu vehementius concretum quicquid ex niue, vel hymbre eſt, Chryſtallus eſt, ideo nunquam niſi in frigidiſsimis locis, & niuoſis inuenitur. atque hæc vera Chryſtallus eſt. Reliquum, vt ſpurium, & ignotum medicis, relinquo.

De litera D.

D*Acridium* δακρίδιον, ſcammonij liquor: nam Sammonia Dioſcori di, ferula eſt ramos ab vna radice trium cubitorum longitudine emittens, multos pingues, & qui nonnihil craſsitudinis præ ſe ferunt: foliis hederaceis mollioribus tamen, hyrſutis & triangulis: flore candido, rotundo graneolente: radice prælonga, graui odore, cādida ſucco grauida, à quo elicitur latex, quod Scammonium, & Diacridion Actuario effertur: medicamentoſum valdè, purgatoriúmque vtentibus depræhenditur, vt ſtomachum, Galeno teſte, doloribus, cruciatibúſque grauiſsimis offendat.

Dactilus è genere Concharum eſt, ab humanarum vnguium ſimilitudine ſic appellatus. Item piſcis genus. & dactilus Idæus gemma Plinio authore lib. xxvij. cap. x. Dactilus præterea graminis genus eſt.

Dactyli δάκτυλοι φοίνικες, palmulæ ſunt, id eſt, palmæ arboris fructus nobiles: de quibus copioſiùs in dict. Palmula.

Damaſonium, vel Aliſma δαμασώνιον, καὶ ἄλισμα, quidam fiſtulam paſtoris dicunt, nulla ad hanc herbam comparatione Io. Agricola aliſma ſuſpicatur, quia ſimilia plantagini habet folia, & in terram aliquantò reflexa: flores candidos, & poſt illos in ſummo caule cubitali enata capitula magnitudine: radices graciles, odoratas, modicè pingues, veratro nigro haud diſsimiles, niſi quòd non ita nigricant. Huius ſimplici eſt luculentiſs. ſcriptor Dioſc. lib. iij. cap. cxliiij.

Daucus creticus δαῦκος κρητικὸς, Carota erratica eſt, & daucus alter, vulgò Aſininus: ſed tertius eſt, qui à ſuperioribus latè differt, Dioſco. authore lib. iij. capit. lxvij. Plinio libro vigeſimoquinto, capit. nono, & Galeno libro nono, comp. pharmac. in malagmate Diaſpermatum.

Dapnoides, empetalon, peplyon, Chamædaphne, nominibus tot inſignitur, quot popularibus medicis placet, Laureola noſtras, quæ fruticoſa eſt: Latinis à foliorum ſimilitudine Laurus erratica appellata: cubitalis altitudine ramulos habens multos, à medio in partem ſuperiorem iunceo lentore, flexiles: flores non in totum candidos, ſed aliquatenus vireſcentes, fructum ante maturitatem viridem, ſed cùm maturuit, nigrum: & radicem inutilem habet. Dioſcor. libro iiij. capit. centeſimotrigeſimoprimo, Plinius libro xv. capit. vltimo. Eſt quoque Dapnides reptilis, vulgi appellatione vinca-peruinca: quæ virginum corallis valde conuenit præſertim bruniis, eius flos celeſtis ſine odore, ſed aſpectu periucundus habetur: aliquibus Clematis, quę multiplex eſt, appellatur. Repetes dict. Clematis.

Daſypus δασύπους, ex leporum genere eſt, ruſtica nominatione Cuniculus, ſcribente Polybio lib. hiſtoriarum xij. animal naſci lepori ſimile κούνικουλον καλούμενον: idque animalculum Latino nomine Cuniculum appellare maluit, non ſecus ac ſi Græca lingua animalis eius nomenclatura deſtitueretur. Verùm ſic à Lepore diſtinguit: Cuniculus procul viſus primùm, lepuſculus eſſe videtur, vbi verò in manus ſumitur, plurimum diſcriminis habet non tam aſpectu, quàm cibo. Naſcitur autem ac degit maiore ex parte ſub terra: cuius caro alimenti ſuccíque boni eſt, & modici recrementi, ſed carne leporina ſalubrior. Pli. lib. viij. capit. quinquageſimoquinto, AElianus lib. vij. cap. xxxix.

Deiectio cita, tarda, & aſsidua recrementorum expulſio eſt à natura incita: quoniam deiicere, & meiere corporis affectuum ſunt remedia, egeſtionémque vel in vrinam retinere non modò annis, ſed ne menſibus quidem: quinetiam nec diebus pauculis aliquis potuit. Verùm deiiciendi, egerēdivè facultas ne deſtrueretur, totus tho-

rax vndique potenter ſtringitur, muſculique omnes iuxta aluum tenduntur in ege-rendo,magis verò qui in hypocondriis. Deiicere autem nequeunt præterquam ſe-cundum accidens effluxibus excrementorum adſiſtentes. Galenus de Muſcul. motu libro ſecundo.

Delphynium δελφύνιον, quibuſdam Sena interpretatur: ſed delphynium herba eſt florem habens purpureum violæ martiæ non diſsimilem, ſeſquipedales ex vna radice ſurculos tenues emittens: folia autem diuiſa, & prælonga, quæ delphyno-rum effigiem repræſentant, vnde illi nomen. Eſt alterum Buccinum Romanis di-ctum,priori haud abſimile,ſed ramis longè gracilioribus. Dioſc.lib.iij.capit.ſexage-ſimooctauo.

Delphyn,vel Delphynus piſcis, numeratur inter Cetæ, vt qui animal etiam pa-riat,neque idcirco ouipari piſcis. Carne duriſsima,& craſſa & lenta eſt,& ob id conco-ctu difficilis: itaque veſcentibus malum ſuccum gignit. Ariſtoteles, & cæteri quàm plurimi authores multa tractant etiam fabuloſa.

Dendroides Tithymali è ſeptem generibus eſt,in petris naſcens,ampliter opacat, in cacumine frondoſam ſpargens comam,ſucco lacteo prægnans,cauliculis rubenti-bus,foliis myrti tenuioribus,fructu Characiæ, atque effectus cuius ſuperiores, ſimi-líſque vſus. Dioſc.lib.iiij.cap.cxlvj. Tithymalorum genera ſuo loco ſunt requirenda ad differentiarum notionem.

Declinatio cuiuſcunque febris,vel morbi acuti, quartum morbi ipſius tempus eſt,quod vigorem ſequitur. Declinatio ſiquidem contrariis incremento ſignis de-prahenditur, videlicet ſi tardiùs quàm conſueuerunt, acceſsiones fiant, ſi breuiori tempore durent, minúſque affligant, ac præcedentibus ſint mitiores: vigorem vi-ro indicant, ſi in eiſdem permanſerint, & ſibiipſis perquam ſimilima fuerint. Eſt enim vigor totius morbi vehementiſsima pars, preſertim ſi laudabiles criſes futu-ræ ſint. Siquidem acceſsio plurimo tempore anticipans, id eſt, multò celeriùs inua-dens,& longiùs,& multò etiam celeriùs vehementiúſque affligens, effatu dignum in dicabit augmentum.

Decoctum medicatorium eſt, quod paratur radicibus,foliis, ſeminibus, & flori-bus plantarum: vſúſque obtinuit, vt foliorum quantitas faſciculorum manualium ſeu manipulorum, fructuum numeri, reliquorum autem ponderis adiectione eſti-metur. Radicum verò quantitas vncias tres, ad ſummum quinque: ſeminum drachmarum quatuor, aut ſex: florum manipulorum quatuor non excedat: aquæ menſura in qua ſingula coquuntur, raro libras duas, vel ad ſummum tres, ſupe-rent, ne facultas multitudine abſumatur. Cæterùm cuilibet libræ aquæ, ſaccharis & mellis libra ſemis adiicitur: & odoramentorum cuiuis libræ decocti drachmæ duæ permiſcentur. Hæc ſic putant opinantes Fuchſius,& Syluius.

Definitio, eſt rei quaſi in vniuerſum dictæ,non tamen vniuerſalis in propoſitio-ne per ſingulas partes,ſiue in vniuerſum deductio. Dialecticorum, & Galeni defi-nitio eſt.

Deleteria medicamenta δηλητήρια φάρμακα, noxia & mortifera dicuntur,quæ ſcilicet à calore vinci noſtro non queant, neque concoqui, alia celeriùs, alia tar-diùs mortem inferunt. Plura apud medicos Græcos & Latinos paſsim repe-ries.

Delirium ἀφροσύνη, mentis alienatio eſt,proueniēs ex cerebri intemperie, faculta-tis principis actiones vitiante,qualem in ſenibus, & in iis qui morbis ardentiſsimis infeſtantur,videmus.

Delirium à febris calore abundante, non autem à propria capitis diſpoſitione fieri quoties exiſtimatur: quoniam aliquoties à laterali morbo permanens eue-nit, ſed à capite proprium habere affectum portendit: definitore Galeno Loco-rum affectorum lib.ſecundo,capit.xvj. Nonnunquam delirare ſolent ob vitium nō-nulli quòd in ore ventriculi, & febribus ardentibus, & phrenetide, & perinenmo-nia:

nia:quia delirium in laterali morbo,& perinehmonia, cum ad vigorem febris peruenerit,ſequi ſolet.

Dendrolachanum δενδρολάχανον Græcis,Radiculam Columella, cæteríque Latini medici vocant:Itali Raphanum, & vulgus noſtrum Rauanellam appellare voluit. Cæterùm raphani radice cruda minutim conſciſſa cum aqua & ſalis momento, ad prouocandam ciborum appetentiam, & promouendas vrinas vtimur. Notandum quoque illud eſt, radicum raphani alias eſſe dulces admodum, alias ſubacres, alias omnium acerrimas: quarum ſucco cum oximellite ad vomitum excitandum vſus eſt Galenus. Raphanum præterea agreſtem recenſet Dioſcorides, quam Bellicij in Anteromontis Comitis Marniſiorum horto, prægrandem, & candidam radice, atque etiam guſtatu feruidam & vidimus, & depræhendimus: quam Armoraciam Romani appellant: nec menſis receptam. Eſt denique & alia radicula nomine Strution ϛρούτιον Græcis,quam Latinorum nonnulli Lauariam, & Saponariam herbam ab vſu vocauere: quòd eius radix purgandis lanis admodum conferat: plebeij ſuo more fulloniam nominant:quoniam fullonibus apta eſt.Dioſc.libro ſecundo,cap.centeſimoquinto,ſub nomine Radix: & Pli.lib.xxiiij.cap.xj.

Depilatorium Pſilotrum eſt, quòd vitis albæ, hoc eſt,radicis Bryoniæ acinis pelles infici, & depilari poſſunt. Pſilotrum præterea lachrima hederæ eſt, & Amerinæ ſalicis nigræ ſemen: cuius effectus aquę vitis vinaceæ lachrimantis poſt amputationem, habet. Clematis vtriuſque è radice ſuccus depuratus, vel ex vtriuſque grano, pro Pſilotro vſurpatur. Quære dict. Pſilotrum:nullo exiſtente in capite proprio affectu. Idem author ipſe Galenus libro ſecundo, capit. tertio. Locorum affect.

Denſans,eſt quod poros contrahit & cogit,frigidum,aqueum, non terreum, non aëreum,non adſtringens: vt aqua frigida,ſemperniuum, portulaca, & huiuſmodi, cui contrarium rarefaciens.

Denſitas cutis, & obſtrutio raritati contraria eſt, vt in corpore modò denſo, modò raro: nam denſitudo aliàs ex ſiccitate prouenit, veluti poſt feruores, aut fatigationes,aut poſt iras: aliàs ex frigore, eóque vel ſimplici, vel adſtrictoria vi: authore Galeno lib.x.Methodi med.

Dementia φρενῖτις,eſt cerebri,aut membranarum eius inflammatio:de qua re vide plura in dict.Phrenitis.

Demonſtrationis principium, & ipſius demonſtrationis radix , non ſunt niſi res ſenſui & intellectui manifeſtæ. Itaque demonſtrationum duplicia ſunt principia ſecundum genus: aut enim ex ſenſu, aut ex intelligentia certa demonſtratio, & fides incipit.Galenus lib.ij. Alimentorum,cap.j.

Deſipientia,eſt qua trahimur feruida cholera in cerebro abundante: nigra verò in melancholiam:flecmate autem,cùm frigidis omnibus, cauſa quibus lethargia, & memoriæ deperdita functione occupamur.

Deſipientia propria μελαγχολία, eſt quæ ſine febre accidit, inſania quoque eſſe videtur: verùm deſipientia altera eſt,quæ Gręcis παραφροσύνη eſt, quæ ob cerebri conſenſum accidit, & delirium Latinis appellatur:De his vide quæ oportet in dict. Inſania.

Delirium,eſt accidens actionis eius, quæ à loco compote mentis prodit, continuis quoque vigiliis acuti morbi alicuius euidente cauſa accidit: interdum ſepti tranſuerſi affectus, aut vini meracioris largior potus, aut candeſcens ira promouetur: ſed quod continuum affectus diaphracmatis, ſeu phrenum, efficit delirium,depręhenditur.Galenus libro ſecundo, & quinto Locorum affectorum, capit.tertio.

Delirium, quod propter ſepti tranſuerſi, ſeu diaphragmatis, affectum accidit, non multùm quidem diſtat à phrenetide: quod mitigari ſolet per par-

H 3

tium cæterarum affectus, exceptis his, quæ à phrenibus contingunt, atque per febres ardentes quoties morbus declinare videtur. Sed quod eſt delirium ferè continuum diaphragmatis affectus inducit, authore Galeno ſupra recitato.

Delirium ſi in laterali morbo permanens eueniat, caput primùm habere affectum portendit: neque mirùm, nam delirare ſolent nonnulli ob vitium, quod in ventriculi ore conſiſtit ex febribus ardentibus, & phrenitide, & perinenmonia: ſed cùm ad vigorem peruenerit, ſequi ſolet, nullo exiſtente in capite proprio affectu. Denique delirio infeſtante multa varietate, inæqualem ſpiritum reddit, & languentem: priùs tamen aliquis quàm deliret, frequens, ac exiguus ei cùm pulſu anhelitus eſt. Author Galenus Locorum affect. libro quinto, capite tertio.

Denarius quàm drachma, plus eſt: conſtat enim, Largi deſcriptione, ſcrupulis quatuor, recentium tamen authorum coniectura, drachma vna tantùm. At hîc grauis inter authores differentia, iudiciúmque varium eſt: Plinius denarium eſſe ſcribit idem, quod Græcis drachma, eiuſdémque Celſus, & Scribonius ſententiæ ſunt: qui ſeptem denarios in vnciam mittunt, vt octuaginta quatuor duodecim vncias, ſiue libram abſoluant: Galenus autem, aliíque medicinæ ſcriptores Græci octo drachmas vnciæ tribuunt: & nonaginta ſex, libræ. Iam verò Galenus cùm ex Scribonio medicamentum adducit, denarium ſemper drachmam reddit: etſi Romæ vterque medicinam profeſſus ſit. In eo Latini ſcilicet, & Græci conueniunt, quòd denarium & drachmam continere ſex obolos dicant. Celſus verò libro Artium quinto in hunc ferè modum ſcribit:

Denarius à me diuiditur in partes ſex, id eſt ſextantes: vt idem in ſextante habeam, quod Græci in eo, quem obolum ὀ'βολον, appellant. Quidam locum hunc corruptè legunt, in ſex vncias denarium ponentes diuidi à Celſo.

Dentes ὀδόντες, in animante numero triginta duo, aliquibus viginti-octo, tantùm exiſtunt: vtraque enim maxilla ſedecim, aut quatuordecim habet. Priores octo inciſorij τομεῖς, quia ſecant, nominantur: His deinceps canini vtrinque hærent quatuor κυνόδοντες, ſic dicti, quòd canum dentibus quàm valde ſint ſimiles. Molares & maxillares γόνφιοι, καὶ μυλαι, viginti à latere vtroque numerantur, quòd ſcilicet his cibi, veluti molis cereales fruges tenuantur, ac atterantur.

Dentificium ὀδοντρίμμα, eſt quod ex polline tenuiſsimo, vel aluminis, vel atramenti, adiectis liquoribus, ſuccis, & deſtillatis aquis, componitur: maximè quidem ſecundùm graues dentium dolores. Author Galenus lib v. de compoſ. medic. ſecundum locos. cap. vltimo: quem Ægyneta, Aëtius, Actuarius, cum Latinis poſterioribus, ſunt ſequuti.

Dentes ex oſsibus tantummodò, mollium cerebri neruorum ſunt participes: ob ídque ſoli euidentem ſentiendi vim habent: coniectore Galeno in libro de Oſsibus.

Dentium dolor omnis ὀδονταλγία Græcis dicitur: ſicut ὀδαξισμος pruritus, eſt is, qui conceptis iam intra gingiuas dentibus, & erumpere feſtinantibus ſentitur, quo ſolent infantes relatis ad os digitis identidem eos mordere, & ipſi gingiuas ſuas confricare. Tradit curationem in integrum Fuchſius lib. j. med. Artis, capit. vigeſimonono.

Dentitio puerilis ὀδοντοφυία, eſt vbi ſcilicet è gingiuis iam prorumpunt dentes: hinc fermè affinis eſt ἀιμωδία, id eſt, dentium ſtupor, paſsio ſanè quotidiana, in qua acerbitate, aciditatevè cibi alicuius nondum maturi ſtupent dentes, nec alios cibos dolore conficere poſſunt.

Dentalis lapis, qui marini piſcis alicuius dens forma intuitur, & interna cauitate. Eſt item Dentex piſcis marinus ſic Plinio vocitatus, in cuius cerebri capitis medio Odontides Lapis inuenitur: qui fortaſsis dentalis eſt.

Deriua

Deriuatio materiæ, eſt vacuatio quædam vicina ſemper ad latus: retractio verò ſemper ad contraria, ſed non ſemper ad diſtantiſsima. Hæc enim fluentem humorem retrahit ea loca verſus, à quibus ante fluebat, excretricíſque facultatis impetum in contrarium conuertit, & attractricis impedit tactum. Contraria autem, ſunt extrema extremis, extrema mediis, & media mediis. Explanationis author eſt Acakia lib.ij. Galeni ad Glauconem.

Deſtillatio κατάῤῥοος καὶ κατάῤῥους, eſt humoris ex capite ad os & fauces delatio, ſcribente Galeno libro tertio, de Sympt.cauſis. Hæc enim ſub ſe complectitur omnes ex capite in ſubiectas partes defluxus, cuius genera tria aſsignantur: primum catarrhus, alterum, coriza κορυζα, quod fit, dum ad nares decumbit humor: tertium, branchus βράγχος, hoc eſt raucedo, accidit vbi ad aſperam arteriam humor deſtillat, quod ob varias cauſas accidere ſolet. Curationis author Fuchſius lib.j. de Medendis morb.cap.xxiij.

Deſtillatio arte facta, eſt humoris alicuius à planta, animali, terreo, vi caloris facta extractio: veteribus intentata, neotericis vſitatiſsima, propter hominum huius ſeculi molliciem, aut nouorum morborum malignitatem, præcipuè inuenta imitatione. Hæc Syluius, apud quem plura lecturus in libris de Simpl. & Cōpoſitorum præparatione.

Deus, eſt omnium creator in toto mundi globo per intimam præſentiam ſpiritus vnus reſidens, omnia ſua potentia mouens, ſua ſapientia gubernans, & bonitate ſua perficiens cuncta: quem ſpiritum mundi ſeu animam, Plato, Ariſtoteles, Pytagoras, & Vergilius crediderunt: à quibus libro ſecundo Natur. hiſtoriæ diſsidet Plinius.

Deus, eſt eſſentia ſpiritalis, intelligens, æterna, verax, bona, iuſta, miſericors, caſta, liberrima, immenſæ potentiæ & ſapientiæ, pater æternus, qui filium imaginem ſuam ab æterno genuit, & filius imago patris coæterna, & ſpiritus ſanctus procedens à patre & filio, ſicut eſt patefacta diuinitas certo verbo, quod pater æternus cum filio & ſpiritu ſancto condiderit & ſeruet cœlum & terram, & omnes creaturas, & in genere humano condito ad imaginem ſuam, & certam obedientem ecclegerit ſibi eccleſiam, vt ab ea hæc vna vera diuinitas patefacta certis teſtimoniis, & per verbum traditum prophetis, & apoſtolis agnoſcatur, inuocetur, & colatur, iuxta verbum illud diuinitus traditum, & in vita æterna coram conſpiciatur, & celebretur. Quæ definitio pertinet ad Dei eccleſiæ doctrinam. Hæc Melancthon Phyſic.lib.j.cap.de Deo.

Detenſio, ſeu depræhenſio, congelatione κάτοχος, κάτοχὴ, καὶ κατάληψις, eſt ſubita detenſio & occupatio tum mentis, tum corporis ſenſu ac motu priuati, ægro in ea corporis forma & figura permanente, in qua fuit correptus. Hinc eſt quo eo malo laborantes interdum dormire, interdum apertis palpebris perſiſtere, atque vel nutare, vel intentè oculis veluti congelatis, & immobilibus ſpectare videntur. Et quia in ea ſenſuum in anima priuatio eſt, cum totius corporis eorum quæ gelantur modo, concretione, congelatio nominatur.

Deunx: vnciæ ſunt vndecim, in quo ſunt ſcrupula ducenta & ſexaginta quatuor, hoc eſt, duæ tertiæ, & vna quarta libræ.

Dextans, pars libræ dimidia & tertia, id eſt, vnciæ decem: capit ſcrupula ducenta & quinquaginta.

Dictamnus & dictamnum δίκταμνος καὶ δίκταμνον, officinis zingiber hortenſe eſt, differtque à Dictanno, qui Creticus appellatur. Folia eius pulegio ſimilia, maiora: denſa, lanugine obſita, facultate qua præſtat pulegium eſſe experiuntur. Quæ vulgò circunfertur radix, dictanni non eſt, verùm qui Creticus eſt, potu, & appoſitu laudatur magnopere. Quod pſeudodictamnum vocant, multis in terris naſcitur, antè dicto ſimile, ſed minùs quàm illud acre: eoſdem affectus præbet, multò tamen ineffi caciùs. Dioſco.lib.iij.cap.xxxj.

Diacodion διακώδιον, medicamentum eſt, quod ex papaueris albi capitibus conficitur: aliquibus diapapauer dicitur cum Plin.lib. xx.cap.viij.

Diæta, cuius contrarium Inædia eſt, valetudinariis aut ægrotis præſcripta victus formula, ſiue ratio, Hippocrates de victus ratione in morbis acutis author eſt: quem ſecutus Galenus in Meth. med. & in libris de Sanitate tuenda: poſt ipſum quoque quotquot fuere poſteriores.

Digiti οἱ δάκτυλοι, ex genere teſtaceorum obductorum creduntur, qui ab Adriatici ſinus incolis Cappæ dicuntur. Digiti ideo appellati, quòd humani digiti ſpeciem æmulētur, alioqui etiam vngues, quod eorum teſta vngui ſimilis ſit, quemadmodum paulò ſupra recitauimus. Apuliæ incolæ Imbricem piſcem hunc vocant ab imbrice ſimilitudine. Galeno autem, & Athenæo ϛρολῖνες αὐλοί, καὶ δόνακες, hi piſces videntur: quod ſcribit Galenus de Alimentis dura carne eſſe, & ob id δυσπέπτους.

Diameter, eſt quæuis linea recta per centrum circuli tranſiens, vtrinque in circunferentiam circuli pertinens. Hæc autem linea Latinis dimentiens dicitur.

Diaphragma διάφραγμα, muſculus quidam rotundus, penè in medio ſuæ latæ profunditatis neruoſus: qui veluti paries ſpiritalia viſcera à naturalibus intercipit ac dirimit. Latinis medicis Septum tranſuerſum, Platoni verò phrenes appellatum eſt. Huius functiones docet Galenus in prohemio primi libri Anathomic. adminiſtrationum, & Celſus Artium lib.iiij.

Diaria ἐφήμερα, febris eſt, quæ fit ſi in ſpiritibus immodicus calor accēditur: hæc ſanè ſimilis eſt vento calido vtri incluſo, cuius vnica eſt acceſsio natura circunſcripta, vnde Diaria dicta eſt, nec vltra diei vnius naturalis ſpacium extenditur. Galenus curationis author eſt libro primo ad Glauconem, & libro primo de different. febr. capite ſecundo, & tertio. Fuchſius libro quarto de Medendis morbis, capite primo. Eſt præterea Diaria febris, quæ in tertium vſque diem extenditur, vt eſt quæ ex denſatione meatuum oritur. Petendus eſt Galenus libro nono Methodi medendi, & Fuchſius libro quarto de Medendis morbis capite ſecundo. Item Gal. de Differ.febr.lib.j.cap.vij.

Diabetes διαβήτης, diuturna eſt circa renes conſiſtens paſsio, in qua ſupramodum ſitiunt infirmi, atque ſubinde bibunt, exuberanter quoque reddunt id quod biberunt, eo à ſua qualitate non mutato. ὑδρωψ, καὶ ὕδερος εἰς ἀμίδα, hoc eſt, aqua inter cutem aliquibus eſt, aliis διψακός, ab inexhauſta ſiti, vocatur. Curationis Fuchſius author eſt lib.iij.de Med.morb.cap.xxxiij.

Diarrhœa διαῤῥοιά, eſt copioſum ſine vlceratione, & inflammatione alui profluuium. Fit propter inſtrumentorũ ventris imbecillitatem, alimenta copioſa, humidiora, & viſcoſiora, eorumdémque corruptelam, mordicationem, item in ventre contentorum, defluxuum quorundam è ſupernis ad ventris ſpatia, imbecillitatémque retentricis facultatis. Fuchſius docet curationem libro tertio de Meden. morb.cap.viij.

Diatritos διάτριτος, hoc eſt, tridui media, quam libro decimo Therap. Methodi in Theſſalios damnauit Galenus: nimirum quia & æger, vbi vires imbecillæ fuerint, protinus in primo, aut ſecundo die nutriendus, idque in acceſſu, quemadmodum eleganti ac perutili hiſtoria loco ſupra citato docet ipſe Galenus.

Diatroſis, eſt quæ oſsium ſtructura dicitur, quorum motus euidens eſt: cui in oppoſitum Synathroſis. Huius triplex eſt ſpecies, enarthroſis videlicet, arthrodia, & ginglymos: ſic enim à recentioribus appellabantur: de qua re vide Galenum in libro de Oſsibus.

Dies iudicatorij, ſeu decretorij ſunt, in quibus firmæ pariter ac plurimæ fiunt mutationes, & natura non ſolùm cognoſcitur, ſed & in quos labatur circuitus, quos quaternarios, & ſeptenarios dicimus, diuiditur. Retulimus cætera in dict. Quatern. & Septen.circuitus.

Dies intercidentes vocantur, quòd ſcilicet inter iudices, & decretorios dies intercidant, differúntque inter ſe mutuò, natura & vſu: natura quòd ſuæ naturæ ratione priores perfecti ſint, & quod omnibus rectè factis, ſolius naturæ motu

motu,ac nullo alio impellente in iis criſes fiant. Vſu, quia ad futuri vigoris & iudicij cognitionem quaternionum circuitus ſufficiunt. Ad criſim iam verò factam diſcernendam num ſcilicet fida aut infida ſit, intercidentium cognitio conducit. Galenus de Diebus decr.

Dies caniculares,ſunt qui incipiunt à xv.Calend.Iulij,deſinentes verò NonisSeptẽ. numerum quinquagenarium complectentes. Qui iſto tempore ſanguinem ſibi trahunt,& pharmacis vtuntur pernicibus, breui ſpatio vitam finiunt: ſicut vehementi atróque frigore, qui ſimiliter vtuntur, pereunt. Galen.libro primo ad Glauconem, cum expoſitore Acakia.

Dierum creticorum potentiſsimus eſt ſeptimus, in quo tum natura, tum cœlum morbum mouet:contrà,periculoſiſsimus ſextus,in quo horum neutrum adeſt.Decimus quartus, ſeptimi naturam proximè imitatur, quia cœlum potenter mouet. Luna enim ex aduerſo locum in quo cœpit morbus, intuetur. Vndecimus,& vigeſimus ſeptimum ſequuntur: hic,quòd tertiæ hebdomadis finis ſit:ille, quòd & impar ſit,& ſecundi ſeptenarii medius.Inter periculoſos autem ſextus primas obtinet:dein de octauus,decimus,& decimusſextus:neque enim naturæ, neque motum experiuntur,neque cœli potentiam.Dies itaque ſeptimus omnium fortiſsimus eſt,quem quartus prænunciat:deinde quartusdecimus, cuius vndecimus eſt index:poſtea verò vicesimus,quem indicat decimusſeptimus. Primam enim hebdomadem quartus dies in duo æqua partitur: ſecundam, vndecimus: tertiam, decimusſeptimus, & reliqui pari modo. Porrò autem viceſimus, quàm primus & viceſimus potiùs decernit: quòd qui ad hunc diem perueniunt morbi, diuturnorum naturam ſortiuntur, qui paribus diebus iudicari ſolent: præterea hebdomas non integros ſeptem dies complectitur.

Dydimi δυδιμόι, id eſt,gemini teſticuli,qui & adſtites, glanduloſa carne præditi: hi autem ex ilium regionibus,muſculis vtrobique ſingulis dependent:molli carne in muſculis depræhenſi,rotundi,oblongi,cauernoſique, vt humidum quod in vaſis præ paratur excipiant.

Digeſtio,eſt alimenti ad ſingulas corporis partes diſtributio:primò ad ſtomachũ, atque ab ipſo per venas meſeraicas,ad hepar: ab ipſo denique mittitur ſanguis ex chili ſubſtantia illic confectus per venas ad ſingulas vaſorum ſanguinis vtriuſque partes. Siquidem in ſanguine alteratio dicitur ſanguificatio, quæ fit in iecinore ex chilo,vbi congregatio homogenæorum,& ſegregatio hetereogeneorum eſt.

Dilatatio pupillæ, ſiue effuſio μυδρίασις eſt, ſcilicet quando pupilla colore nihil euariat, ſed multò, quàm conſueuit, latior fit, vt interdum iridis circulo appropinquet.

Diphryges, quaſi bis toſtum dicas, perfecti æris veluti fex ſubſidens,& cohęrens imæ fornacum partij, tanquam vſtorum in foco lignorum cinis, ablato ære viſitur. Gal.lib.ix.Simp.Dioſc.lib.v.cap.lxix.

Dipſacus διψακός, aculeatorum generis caulem habens altum: & ſpinis horridum extra folium,concauo alarum ſinu,in quo hymber,aut ros aſſeruatur,vnde nomen traxit ſitiens,& ſiticuloſus.Petenda eſt dictio, Labrum veneris, poſt Dioſc. lib. iij.cap.xj.

Dipſas, ſerpens eo quòd ſiti inextinguibili demorſos afficiat, dictus eſt Galeno teſtante in Theri.ad Piſonem qui à Dipſade cõmorſi,canſo febre male conficiuntur:nam & multa ſiti,& æſtu vehemẽti,interdum ſtomachi motu vexati,diem obeũt. Lucanus.

Signiferum iuuenem Tyrrheni ſanguinis Aulum
Torta caput retro Dipſas calcata momordit.
Vix dolor,aut ſenſus dentis fuit ipſaque leti:
Frons caret inuidia: nec quicquam plaga minatur:
Ecce ſubit virus tacitum,carpitque medullas
Ignis edax,calidaque incendit viſcera tabe.

Diſtin

Diſtinctio διορισμός, limitatio, ſeu determinatio eſt, definitio ac declaratio facultatis remediorum, cui affectui differentiæ, à qua cauſa, in qua natura, quo aëre idoneorum: citra quas cùm quid abſolutè pronunciat Galenus ad naturam temperatam in aëre temperato referri vult ad quales affectus, & quantos, & quo affectuum tempore illa ſint ſalubria. Syluius de Medic. comp. rat. lib. ij.

Diſtorctio ſiue ſtraboſitas oculi, & obliquus aſpectus, στραβισμός, eſt conuulſorius muſculorum oculi bulbum mouētium affectus: per quem aut ſurſum, aut deorſum, aut in obliquum torquentur oculi: atque ab ea paſſ ione Strabone ahoc eſt, toruis oculis inſpicientes ſunt appellati.

Diſtorctio palpebræ χήμωσις, eſt, cū vtraque palpebra ex vehementi inflammatione diſtorquetur, vt vix oculos operiant, & album oculi nigro ſublimius fit, & rubrum ac multam nigri partem occupat.

Dodrans pars libræ dimidia & quarta, id eſt, vnciæ nouem, ſcrupula ducenta, triginta.

Docmatici ſunt, in quibus nullum caſum habent apparentem, qui cauſam indicet, in his percunctari non detractant: idque cauſam principalem appellamus. Galeno definitore libro introductionum.

Docma communiter acceptum, eſt ex rei euidentia conſenſio, & compoſitio: propriè verò, eſt cuius rationalis ſecta docmatica vocitata creditur: hinc medicina rationalis, nimirum & empirica, ſectæque medicorum quàm plures ſortitæ. Ex Galeno vi de Fuch. in lib. Comp. medicam. capite iiij.

Dolium ſeſquiculare, ſexaginta vrnas capit.

Dolor eſt, qui ſanguinem ad ſe trahit, & ſæpe partium debilitas phlegmonem, citra etiam plenitudinem corporis, procreat. Sic vbi magnus morbus fuerit, omnino ſanguinem mittemus, etiam ſi nulla exiſtat in corpore plenitudo, inſpecta tamen ætate, & viribus: vt author eſt Hippocrat. lib. Victus acut. cap. xvij. Quære dictionem Plenitudo.

Dolor, triſtis ſenſus eſt: voluptas blandus ſenſus: itaque doloris ſpecies duas primas eſſe perſpicimus, cum ſcilicet affatim temperatura alteratur, atque cùm ſoluitur continuitas. Gal. Locorum affect. lib. ij. cap. primo.

Dolor vbi vehemens eſt, quid ſcrutandū pro cauſa illa inuenienda, conueniet: quia doloris nequeunt cauſæ adimi, niſi intelligatur cuius vitio is dolor excitetur: nam cauſam ſi ademeris, ægritudinem curaueris. Gal. meth. med. lib. ij.

Dorycnium δορύκνιον, ſiue, vt placet nonnullis, doronicum, radicula aromatica eſt, & alba, etiam priſcis incognita: officinis hodie notiſsima, quam I. Agricola in vulgari herbarum nomenclatura Pyrethrum, & herbam ſaliuarem à Romanis vocatam, quòd manſa affatim ſaliuam eliciat, ſuſpicatus eſt. Dioſcoridi Dorycnium eſt frutex oleæ nuper prodenti ſimilis, ramis cubito minoribus: foliis oleæ coloris ſimilibus, minuſculis, firmioribus, præter modum ſcabris, flore candido, ſiliquis in cacumine ciceris, quinis intus ſeminibus erui exigui magnitudine. libro quarto, capite ſexageſimo quarto.

Dorienium eſt præterea, quod manicum Solanum aliqui appellarunt: epotum, lactis ſaporem in guſtu refert, cōtinentes ſingultus ciet, humor linguam vexat: ſanguis cōfertim reiicitur: mucoſa quædam perinde quaſi dyſentericis, aluo egeruntur. Itaque venenum prorſus eſt. Dioſc. lib. vj. cap. vj.

Dorycnium ſtryclini eſſe genus Theophraſtus refert, radice longua, cubitali, capite gethyi maiore, piloſioréque folio erucæ maiuſculo, caule quatricubitali, pilulæ platani non abſimili. Tota prorumpit veneno herba, quam qui imprudens ederit, confeſtim moritur. In ipſam herbam remedia docent Dioſc. loco ſuprà citato: Scribonius Largus ſuo libro Antidot.

Doronicum radix ex Oriente ad nos adfertur, zingiberis craſſamento, nodiſcatens, dura & ponderoſa, quæ Ruellio & AEgyneta, Arnabo: ex Aëtio Carnabadium: & Arabibus Zurumbet, non zedoaria, ſuſpicatur: quòd cum Geſnero Syluius exiſtimauit. Nā Doronicum Rhomanum rumicis acuti folio à ſuperiori diuerſum oſtenditur:

ditur:cuius radix, quia dulcis, vt orientalis,non feruet: Scorpiíque animalis effigiē oſtentatur:niſi quòd tota candida intus & extra viſitur.

Dorſum ῥάχις καὶ μετάφρενον, poſterior thoracis pars eſt:huius pars ſpina νώτιαιον exiſtit, quæ vertebris xxiiij. conſtat. Nam colli ſunt ſeptem, dorſi duodecim,coſtas duodecim, excipientes: lumborum quinque, quibus ὀςεὸν ἱερὸν καὶ πλατὴ, id eſt, os ſacrum,à magnitudine dictum,latum & amplum ſubiacet. Huic opponitur parti anteriori os pubis, fulcimentum oneris ventris totius: à quo etiam agnoſcitur ſexus vtriuſque pubertas, maximo quoque auxilio eſſe ſolet grauidis, & parturientibus, quando naturæ beneficio dum peperint ſecedit,ac poſt partum ſe,vt ante,recipit,coniectoribus pleríſque medicis.

Doſis proportio ſimplicium,quæ Græcis medicis,vt Latinis,dictio familiaris eſt, & compoſitorum pariter medicamentorum exhibendorum, vires & pondus non excedens.

Draba δράβη, quæ etiam Arabis ἀραβὶς, vulgi nomenclatura, Cuminum ſyluēſtre. Apud nonnullos herbarios Naſturtium orientale,& Babylonium interpretatur. Apud Dioſc.herba ad cubiti altitudinē aſſurgit,tenues ſpargens ramos, & ex vtroq; latere folia,ceu lepidij,ſed molliora,& cādidiora.In cacumine verò ſambuci, vmbellam gerit,cādidos flores habētem: cuius herbæ ſemen aridum pro pipere in obſoniis apponitur.Dioſc.lib.ij.cap. cxlix.In dict.Naſturtiū plura leges propter diuerſa,apud varios authores rei herbariæ ſcriptores genera.

Draco ὁ δράκων terreſtris & marinus ex genere ſerpentum perhibetur: ſed præter hoc genus,eſt & piſcis,qui à pleriſque viua vulgi appellatione opinatur,quem Galenus Phylotini ſententiam comprobans,inter piſces duræ carnis reponit.

Draco, vlcus eſt delationem à membro ipſo vicino ad ipſum habens neruum, quòd in motu ſecedit ad vlcus, & occultatur in eo: à quo per nominis diminutionem Dracunculus, à barbaris medicis vena meden appellatur. Neque quēadmodum in quodam Arabiæ loco in tibiis hominum dracunculi vocati naſcuntur,neruoſa natura, colore, craſsitudinéque lumbrici ſimiles: cuius quidem rei copioſiſsimus Locorum affect.lib.vj.cap.iij ſcriptor eſt Galenus.

Dracontea ſiue dracontio maior δρακοντία μεγαλή, plebeio vocabulo Serpentaria,& Colubrina dicta:ſed Dioſcoridi Dracunculus eſt, qui conſtat hederaceo folio, magno,candidis notis inſigni,caule recto,verſicolore,maculis reſperſo purpureis,ita vt anguem planè referat, baculi craſsitudine. Naſcitur in ſepibus vmbroſis, vt Aron,vulgò gerrhu, appellatum,cui niſi magnitudine, haud diſsimile eſt. Cætera elicies ex ipſo Dioſcor.lib.ij.cap.clviij.

Drachma, ſcrupula tria,obolos ſex,ſilicas octodecim,pendet:quòd medicis ſcire eſt proprium:alioqui illis vanum pondus.

Dropax, vulgari recentium appellatione, Sparadrapum,eſt quod ex ſicca pice, gummivè alio,oleo quopiam liquatis, atque ſuper petacea robuſtiore, interdum expanſis,cōſtat. Veteres tamen corporis partes affectas aliquas, non expanſo ſuper petacea dropace,ſimpliciter delinebant;atque calida interdum fouebant,dum decideret. Vſus huius in totius corporis partes, aut eiuſdem partium extenuatione, attractione, lenitione, corroboratione vè applicatione probatur. De re hac fuſiùs tractat AEgyneta lib.vij.cap.xvij.& ſi plura deſideras, Aëtius lib.tertio,capi. cxc.præter hos Meſue, Actuarius, Fuchſius,& Syluius.

Dryinus, ſerpens ſic nominatus, quòd in quercuum radicibus viuat, tam malignus ad perdendum proditur, vt eius qui ſupergreditur imprudens, cutis à pedibus excorietur, tota crura intumeſcant, & quòd mirandum magis eſt, manus quoque ipſas curantium eodem modo periclitari. Si autem quis aggrediatur perimere, olfactu mulctatur adeò,vt quēlibet gratum odorem,prauum eſſe exiſtimet, nec alterius præterea rei queat ſentire. Hæc Galenus in libro Theriaces ad Piſonem. Dryini peſtilens morſus, & curatio docetur à Dioſcoride libro ſexto, capi. trigeſimooctauo. & quadrageſimo. Similiter quoque ſcribit Largus Comp.med.capite centeſimonona geſimoprimo.

Dryophonum, δρυοφονον, herba eſt dryopteri perſimilis, cauliculis tenuibus, cubitalibus, circundatis vtrinque foliis oxymyrcinæ ſimilibus, ſed candidioribus, & molliotibus: flore ſambuci. Officinis nemoralis myrtus eſt. Ruellius libro ſecundo, capite cxxxv.

Dryos hyphear δρυὸς υφεαρ, genus viſci eſt, copioſè in quercu veteri, & cæteris arboribus, naſcens. Eſt autem ſui generis planta ſponte proueniens, fruticoſa, lęta, ſemper virens, grauis odoris, buxi folio, baccis exiguis ſine flore, Sturdis gratiſsimis, vnde natum prouerbium, Sturdus ſibi viſcum caccat: atque hoc ipſum nunquam in terra naſcens. Plinius author eſt libro decimoſexto, capite vltimo. Dioſcorides lib. tertio, cap. lxxxv.

Dryopteris δρυόπτερις, filici ſimilis herba, in arboribus & rupibus inter petras naſcens, tenui foliorum ſubdulcium inciſura, radice hirſuta. Hæc Myropolis, & officinis Oſmunda regalis appellata eſt: quæ deſcriptio multum quadrat Polypodio, cuius dictionem petes. Dioſcorides libro iiij. capite clxvij. ſcribit in hæc verba: Pſilotrum eſt cum radicibus trita dryopteris: illinitur enim primùm vſque dum ſudorem euocet, mox ſudor abluitur, & recens imponitur. Quære dictionem Pſilotrum: & Plin. lib. xxvij. cap. ix.

Drypetæ δρυπετὰι, oliuæ ſunt maturæ, & adultæ: & quaſi iam ex arbore decidentes ita appellatæ. Ruel. lib. j. cap. ciiij.

Dulcis radix Glicyrrhiſa eſt, quam Theophraſtus Scythicum vocat, quòd Scythæ ea in bello ſitim vitarent: atque ob id ἄδιψος dicebatur. Veteribus, vt hodie in Galliis adhuc Arabicum nomen retinet, dicebatur. Galenus lib. vij. Medicamen. part. γλυκειᾶν ſimpliciter appellat: Actuarius interdum γλυκυρριζον: Scribonio largo radix dulcis eſt. Dioſcorides lib. iij. cap. quinto, vberius tractat formam, natale ſolum & vires.

Dulcis ſapor, calidus modicè, coquit, maturat, laxat, rarefacit: quoniam in calidi & humidi temperamẽto eſt. Si plura cupis, petenda eſt dict. Sapor: & Gal. lib. j. Simpl. med facult. & de Alimentis.

Dyaſtole, διαςολὴ eſt eleuatio ac veluti adſurrectio, & arteriarum, & cerebri, & membranarum cerebrum inuoluenſium, depræhenſa: quæ in longum, latum, & profundum tactui ſenſibilis apparet: cui contraria eſt Syſtole, quam ſuo loco repetes.

Dyſenteria δυσεντερία, eſt inteſtinorum cum torminibus exulceratio: Latinis inteſtinorum difficultas, & tormen, quòd in hoc malo torqueantur inteſtina. Interdum fit à cauſis extrinſecis, vt frigiditate, ardore, & humiditate: interdum malignorum medicaminum potu, ſcammonij, cotocynthidis, elaterij, euphorbij, eſulæ, turpeti, daphnoidis, id eſt, laureolæ, lapidis cyanæi, id eſt, laſuli, de quo pilulæ fiunt, & ſimiliũ nec non à cibis ſtomacho imbecilliore inæqualibus. Curationẽ habes apud Fuchſium lib. iij. de Meden. morb. cap. x.

D*yſenteriæ* cruentæ tria alia occurrunt genera, Galeno lib. iij. de Sympt. cauſis authore, primum eſt, in quo ſanguis per quoſdam circuitus excernitur, ob membrum nimirum aliquod præciſum, aut exercitationem vitæ derelictam: ſecundum, in quo ſanguis aquoſus, hoc eſt, qui aquæ in qua carnes cruentæ nuper mactatæ, ſunt ablutæ, ſimilis eſt, deiicitur: tertium, in quo ſanguis & nigrior & ſplendidior eo qui naturalis eſt, excernitur.

Dyſpepſia δυσπεψία, difficilis & ægra concoctio eſt, Gal. lib. de Sympt. differentia, tria ponit genera læſæ coctionis, inter quæ hanc miſcet differentiam, vt apepſia dicatur, quando cibus non mutatur, ſed talis omnino permanet, qualis eſt ingeſtus, & hæc cruditas appellatur: bradypepſia autem, cum cibus quidem immutatur, ſed ægriùs, ſeriùs & imperfectiùs: hæc imbecilla & tarda confectio dici poteſt.

Dyſpepſia verò dicitur, cùm cibus mutatur in alienam qualitatem, naturæ noſtræ non conuenientem: & hanc confectionem dicere deprauatam poſſumus. Hanc quandoquidem differentiam ſeculi noſtri medici minùs obſeruantes ſæpenumero confundunt. Quære ſuprà dict. Concoctio.

Dyſpnœa δυσπνοία, ſpirandi difficultas eſt, quod vitij genus ſenibus ſolet eſſe familiare,

miliare nonnunquam & iunioribus à pulmonum obſtrutione. Tres autem ſpirandi difficultates inuicem differentes traduntur: nam cùm ea modica eſt, dyſpnœa, cùm vehementior, Eſthma vocatur: cùm verò euenit, vt niſi recta ceruice ſpiritus trahi non poſsit, ortho pnœa appellatur. Quære dict. Anhelatio.

Dyſuria δυσουρία, malum eſt, in quo vrina ægrè & difficulter admodum redditur: Latinis vrinæ difficultas nominatur. Huic propinqua eſt paſsio ἰσχουρία, in qua vrina in totum ſupprimitur ac retinetur: latinè ſuppreſsionem vrinæ dixeris. Cætera in dictione, Vrinæ difficultas.

De litera E.

Ebenus arbor, natiuitate & regione noſtratibus valde quidem incognita: Arabibus ab India ideò magis frequens. Dioſco.lib.j.cap.cxj. Ebenus optima habetur AEthiopica, & nigra, nullos habens venarum diſcurſus, factitij cornus lænore, cùm frangitur denſa apparet, mordens guſtu, atque aſtringens: ſuffitur iucundo odore ſupra carbones, ſine fumi tædio, recens autem ad ignem prolata, ob pinguitudinem accenditur, & trita ad cotem flaueſcit. Altera eſt Indica, cuius plenam deſcriptionem facit Dioſco.lib.& cap.ſupra recitatis. Poſt hunc dict. Gayacum lignum petes.

Ebenotriches adianton eſt, cuius duplex genus occurrit, album nempe, & nigrum: ideo ſic dictum, quia folia capillis Ebeni ſimilia habet: atque hinc fortaſsè corruptum vocabulum, inquit Hermolaus, vt vocemus capillum veneris: de qua herba plura ſcripſimus in dict. Adianton, & Capill.ven.

Ebulus χαμαίακτη, humilis Sābucus interpretatur, & herbaceo generi aſsignanda, caule quadrangulo, geniculato, foliis amygdalæ, ex interuallo longioribus, geniculatim expanſis, pinnatíſque, graueolentibus, in ambitu ſerratis: muſcario ſambuci, flore & acino eiuſdem radice nititur longa, craſsitudine pollicari: vis eadem, cuius & ſambuci: cuius dict. petes. Dioſc.lib.iiij.cap.clv.

Ebiſcus ἰβίσκος, malua ruralis eſt, quæ hodie in hortis magnatum magno apparatu colitur, & editur tum cocta, tum recens nata, & ad emolliendam aluum, exonerandāvè, quàm ad renum cruciatus difficiles. Medici quinetiam maluarum (quoniam genus triplex paſsim occurrit) decocto in clyſmis ad aluum ciendam & vrinas vtuntur. De his plura in dict. Althæa.

Ebur oſsium Elephantis animalis quod ex dente eſt, præſtat: tota ſubſtātia corroborare, & conceptum iuuare practicis Arabibus, & Latinis neotericis, non Græcis, & Latinis veteribus, ſcribitur. Dioſco. lib.ij. cap.xlviij. docet adſtringendi Ebur vim habere, & in ſcobem redactum tenuiſsimum paronichia ſanare: neque vires plures obtinere ſuſpicandum.

Echinus ὁ ἐχῖνος, varius genere quidem eſt: qui piſcis eſt orbiculatus, & ex genere teſta obductorum, atque vt terreſtris, vndique aculeis armatur, quibus pro pedibus ad gradiendum nititur. At terreſtris dorſo tantùm, non ventre, armatur aculeis venenatis, pedibus quatuor, vt cuniculus, ſed tibiis breuibus, nititur: atque ſe contra canes in orbem breuiter conthrahit, armátque. Medicorum aliqui hoc animal ad medicinæ vſum diligenter obſeruant. Ericius ruricolis communiter appellatum. Terreſtris Erinaceus fœminei ſexus animatilibus pernicioſus adeo experitur, vt ſuo ſi ſudore, vel vrina fructum aliquem tetigerit, quamcunque vel herbam, dein inſcia, quæ grauida eſt mulier, aut aliud fœmineum animal, edat, mox quicquid in vtero eſt, in Erinaceos non paucos, vt in boue fœmina adnotaui, tranſmutatur. Dioſcorides lib.ij.cap.primo facultates animantis vtriuſque docet.

Echium ἔχιον, bugloſſum ſyluaticum eſt, herbariis autem leproſaria. Quinetiam Dioſcorides Echion lib.iiij. cap. xxviij. quibuſdam noſtratis bugloſsi ſpecies eſſe ſuſpicatur, quòd borraginis flores æmuletur quadam effigie, & colore, niſi quòd minùs lancinoſi ſunt: vt ab I. Agricola adnotatum eſt. Quidam interpretes deductam herbam volunt à nomine ἔχις, id eſt vipera, aduerſus cuius ictum pollet. In dict. Bugloſum diſcriminatim, nec obiter, diſſeruimus.

Eclipſis, eſt quando Luna inter terram, ſolémque ſecundum diametrum locatur: vel eſt, quando terra inter ſolem, lunamque ſecundum diametrum ponitur. Solem enim

enim ſemper ſub Ecliptica eſſe linea, non etiam cæteras planetas: ſed lunam non habẽ re per ſe lumen, ſed à Sole accipere, quoniã terram eſſe longè maiorem certò conſtat, quia fieri eclipſis minimè poteſt, niſi ſecundũ diametrum. Nam corpus eſſe denſum, & non tranſlucidum omnibus apparet.

Eccatharticum, hoc eſt, poros omnes expurgans, acre eſt, partiũ per aduſtionem tenuium, non glutinoſum, vt nitrum, aphronitrum, abrotanum, orobus, lupinus ama rus, amygdala amara, abſinthium noſtras, ſabina herba, & huiuſmodi, ſed hæc & ſimilia poros cutis non purgant, internos ſed & latiores repurgant.

Ecphactica, id eſt, obſtrutionem tollentia pororum, tum internorum, vt hepatis, lienis: tum externorum, vt cutis: hæc etiam ſunt rhyptica generatim dicta.

Ecſtactica, id eſt, mentem alienantia, ſunt crocus, in magna copia exhibitus: ſolanum manicum, hyoſciamus, id eſt, faba ſuis, papauer nigrum, ſicuta: & huiuſmodi.

Ecſtaſis ἔκστασις, ſtupor corporis, & mentis motio ex re aliqua repentè oblata: vt cùm ad ſubitũ temerati conſpectum prorſus obſtupeſsimus. Galenus inſaniam non diu perſeuerantem interpretatur in libro de Definitionibus: quod qui hanc patitur, extra ſeipſum quodammodo conſtitutus eſt: & hunc mente commotum vocat Plinius.

Effuſio ἐκχύμωσις, καὶ ἐκχύμωμα, eſt vbi ſanguis ex contuſione, aut ruptione cutem ſubit, atque lineſcit.

Egeſtio optima, eſt mollis, compacta ſeu cohærens, eodem tempore quo in ſecunda valetudine aſſueuit, reddita & quæ iis quæ ingeſta ſunt proportione reſpondet. Secundum naturam ſe habet ea quæ ſubrufa eſt, nec admodum fœtens. Hippocrates Pronoſt. lib. ij.

Egeſtio mala & præter naturam, eſt dura, diuulſa ſeu liquida, aſpera, nec ea quæ ſanitatis tempore conſueuerat, excreta.

Egeſtio mala exactè rufa, vel nullo modo rufa, ſed colore ſimilis cibo ingeſto: hæc enim cruda, & nihil bilis in ventrem omnino fluere, illa verò plurimum denunciat.

Egeſtio rufa vehementer circa initia, bilioſiorem morbum indicat: ſi in declinatione apparet talis, corpus purgari probè ſignificat.

Egeſtio viridis, eſt bilis æruginoſæ nota, ſicuti nigra vel atræ bilis, vel ſanguinis in eo loco aduſti. Egeſtio liuida, partium internarum validum frigus, ac veluti mortificationem monſtrat. Egeſtio pinguis, vbi nihil tale fuerit aſſumptum, colliquationis, ac conſummationis corporis ſignum eſt.

Egeſtio viſcoſa, colliquationis ſignum pariter eſt: fœtentẽ nimis neque exiguam oſtendit putrefactionem. Egeſtio ſpumoſa fit, cùm aliquid quod feruet, aut flatuoſus ſpiritus cum humiditate pugnat.

Egeſtio varia, corpus variis affectibus obnoxium oſtendit, & maligna ob diuturnitatem exiſtit. Fuch. Meth. cap. xliiij.

Effectus præſidiorum in medicina ſunt multi & boni, & qui ex vno præſidio poſſunt ſequi: quod ab vno, quatenus effectus vnus, poſſunt varij effectus prodire. Hæc Manardus Epiſtolarum lib. xij. Epiſt. v.

Effectus præterea eſt, qui in ſuas ſemper proximas cauſas, vt febrem in putredinem, hanc in prohibitam dicas tranſpirationem, quam in meatum conſtipationem, rurſus hanc in obſtrutionem, & adſtrictionem, reſoluitur. Acakia ſuper libro primo Galeni ad Glauc.

Elaphoboſcum, ἐλαφόβοσκον, ferulacea herba eſt, geniculata, digiti parui craſsitudine, ſemine corymbi, dependentibus foliis, oluſatri, commendata in cibis, contra ſerpentum omniúmque aculeatorum ictus. Neque ea eſt, quæ officinis gratia dei, & auricula leporis appellatur: cuius vmbella aniſo, vel fœniculo haud diſsimilis: folia linguam potiùs, quàm auriculam leporis æmulantes. Cuius deſcriptionis Plinius author eſt libro & capite vigeſimo ſecundo. Dicitur & ophyoctonum, quòd ea herba manſa cerui ſe arment aduerſus ſerpentes, atque hanc præualere renum calculis infringendis, mox quoque protrudendis experimentò eſt. Dioſcorides libro ter-

tio, capite ſexageſimoquarto.

Elate ἐλάτη, ſpecies eſt abietis vnguentis naſcens, quam alij palmam, alij ſpaten appellant. Aegyneta cum Dioſco. & Galeno, Elaten vocat tenerũm Palmæ germen, quoddamque proſilientis fructus operimentum: cuius ratio veriſimilior, quàm Plinij: quia qui cum Plinio ipſo abietem inter vnguentorum materias enumerauerit, haud facilè inuenias. Lege Plinium libro duodecimo, capite vltimo: & require ſubinde dict. Abies.

Elatine ἐλατίνη, Geſnerus rapum terreſtre interpretatur: eſt & Elatine, quam Ruellius ficto nomine pimpinellam appellat: quidam etiam alij Parnaſium gramen Elatinem eſſe voluerunt. De qua re Plinius lib. xxvij. cap. nono. Dioſcori. libro quarto, cap. xxxij.

Elaterium ἐλατήριον, ſuccus cucumeris erratici eſt, facultate omnibus vtentibus cognitus. Eliciendi autem ſucci à radice formam docet Dioſcorides libro quarto, cap. cxxxvj. Plinius libro vigeſimo, capite primo. Verùm ita à ſatiuo cucumere differt hic Dioſcoridi ſententia, ſolo fructu, quem longè minorem parit, oblongis glandibus non diſsimilem: & radice longiore, craſsioréque, quam habet à ſatiuo etiam differt: naſcitur in ſabuletis, & ruderibus, frutice in totum amaro. Inſtillatus foliorum ſuccus, aurium dolori conuenit: illita ex polenta radix, veterem omnem tumorem diſcutit: tubercucula rumpit cum reſina appoſita: podagras cum aceto cocta diſcutit, nec minùs prodeſt iſdem radicis doloribus. Radicis ſuccus ſeſquiobolaris bilem, pituitámque deiicit. Cætera ex Dioſcori. petes. Nos in Chyrurgum Italico morbo vexatis porrigentem Elaterium, ſic his verſibus Luſimus.

Dulce quod hic præſtas, durum medicamen agreſtis
Eſt cucumis, tibi nam tu, arthriticiſque, bibe.
Hinc malè quæ purgas potiuntur corpora morbis
Italicis, ſed non apta medela tua eſt:
Se Venus exercet morbis grauioribus audax,
Arte tua miſerè quàm velit ipſa mori.
Perſanant corpus nonnunquam elatoria flexum:
Ardores gelida non fouet ignis aqua.

Elatites ἐλατίτης, lapis eſt è genere hæmatitarum, ambuſtis præcipuè vtilis: ita dictus quandiu crudus eſt, nam coctus Miltites appellatur Plinio libro trigeſimoſexto, cap. xx.

Elleborus albus ἐλλέβορος λευκός, veratrum album etiam dici ſolet. Vtriuſque radix, tum nigri, tum albi ellebori multiplex, tenuis, ab exiguo, & longo capite, procedens: alba radix calida ſicca ordine tertio: ſed nigra guſtu calidior, amarior. Elleboro albo abundat Seguſia regio, quam patrij bellicenſem dicunt, nigro elleboro Alpinates, & Vocuntij, ſiue Vaſiones: hodie Gappenſes nominati: hic ex anticyra melior, ille ex Syrenaica regione. Elleborus niger nomine, alio nomine Melampodium, id eſt, veratrum nigrum, ab inuentore Melampode paſtore, qui eo Prætidas furentes fertur perſanaſſe, dictum eſt. Dioſcor. lib. iiij. cap. cxxxiij. & iiij. vires in integrum, & medendi formam, explanat.

Elleborine, herba eſt exiguis foliis ornata, quæ ex Epipactis Dioſcori. lib. iiij. cap. nonageſimo quarto & Plin. libro vij. capite ix. dicitur: iecinoris vitiis vtilis, & contra venena pota.

Eiliaca paſsio, εἰλεός, eſt inteſtinorum tenuium grauiſsimos, & letales dolores inferens, cruciatus, ſic à doloris circumactione etiam voluulus appellatur, ſiue χορδαψός, quòd conuolui inteſtina, ad chordæ ſimilitudine videantur. Id vitij contrahitur cõtinua ciborum corruptione, & cruditate, maximè autem à pinguibus carnibus: oboritur etiam ex plagis ac ictibus quibuſdam, iis locis vbi inteſtina tenuia ſita ſunt, factis ex frigore vehementi contingente, ac recrementa retinente: contigit & iis, quibus inteſtinum in ſcrotum vnà cum ſtercore delapſum eſt, indéque violenter retruſum, ex eóque inflammatum exiſtit. Fit interdum ob veneni potionem, & ob

induratum

induratum ſtercus, circa tenuia inteſtina im pactum. Ileos paſsio hæc pueris familiaris, & curationis naturæ beneficio, facilis: ſenibus autem non familiaris multùm, ſed difficilimæ curationis, vt ferè ab ea nunquam reſurgant. Fuch. lib. tertio. de Medendis morbis, cap. xiij.

Electrum ἤλεκτρον, ſuccinum eſt, & quarũdam pinei generis arborum lachrima, non populi arboris, vt quibuſdam placet, à ſucco ſuccina gutta dicta ab eiuſdem arboris reſina: quam populum albam Dioſcorides verbis ſequentibus ſuſpicatus eſt, ſic inquiens: Reſinam populus fundit, quæ in malagmata additur. Hæc quoque ſuperaddit: Lachrimam populorum memorant, quæ in Padum flumen defluat, durari, ac cohire in ſuccinum quod electrum vocant, alij chryſophorum, quòd aurum colore imitetur. Dioſcoridi C. Tacitus contradicere videtur, dum hæc inquit in libro de Germanorum moribus. Sed & Efluorum gentes Sueuorum Germaniæ populorum vicini, mare ſcrutantur, ac ſoli omnium ſuccinum, quod Gleſſum vacant, inter vada, atque in ipſo littore legunt: nec quæ natura, quævè ratio gignit, vt Barbaris quæſitum compertumvè diu ſciri potuit: quinetiam inter cætera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria noſtra dedit nomen, ipſis in vllo vſu, rude legitur, & informe perfertur, preciúmque mirantes accipiunt. Succum tamen eſſe arborum intellegas, quia terrena quædam, atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ implicata, humore mox indureſcente materia cluduntur. Non ergo ex populo ad Padum fluuium, ſed ex pinea arbore ad mare lachrimari certum eſt hoc gummi genus. Martialis poëta.

Quum Phaethonthea formica vagatur in vmbra,
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.

Arabibus medicis Charabe, & Cacabre dictum eſt: quos rudiores Latini medici hactenus ſunt ſequuti, & nomen permanſit. Vulgus populare, Ambrum, quod in corollis precariis frequens, vocat.

Electaria ξηρία, ſunt medicamenta ex antidotorum ſpeciebus, odoratíſque aliis rebus, & medicamentis ſupplicibus in pollinem redactis, ſacchare adiecto, quæ componuntur. Varietatem autem conficiendi apud Meſuem, Nicolaum, & Actuarium reperies.

Eleoſelinum ἐλεοσέλινον, quod Dioſc. vocat, eſt id quod vulgò Apium vocamus. Petroſelinum autem noſtrum vulgare, eſt id quod ille vocat Oreoſelinum, hoc eſt, Selinum montanum, quod in montibus, & ſaxoſis locis potiſsimum creſcit: vnde nomen petroſelino: quod eſt perſillum noſtrum: Græcis ſelinũ. Quòd autem Petroſelinũ Macedonicũ vulgò vocamus, apparétque Selino noſtro maius, grande Apiũ noſtrum eſt: Latini, vt placet Columellæ, Oluſatrum dixerunt: Græcis, Hipposelinum dictum eſt. Non igitur eſt Oleoſelinũ Apium paluſtre, ſed hortenſe, & domeſticum. Dioſ. li. iij. cap. lxij. diuerſa Apiorum genera aſsignat, quem petes.

Eleliſphaſcus ἐλελίσφασκος id eſt, Saluia noſtras, dicta quòd ſaluos nos ſeruat & efficit: quam etiam ἀλθήεντα, hoc eſt, medendi viribus præſtantem vocat Nicander in Theriacis. Eſt autem duplex, maior, quæ minùs efficax eſt: & minor, quæ maioribus pollet viribus, à Theophraſto Sphacelus appellata: quæ à multis Lauandula ſuſpicata eſt: ab aliis item Nardus Celtica putata, quæ potiùs pſedonardus eſt. Dioſcor. lib. iij. cap. xxxij. Apuleius Plat. lib. ij. cap. j.

Elementum, eſt ex quo primo & ſimpliſsimo cuncta ſunt facta, in quod primum & ſimpliſsimum cuncta reſoluuntur: quod in calidum, frigidum, humidum & ſiccum diſtribuitur: ex his autem primis apparentibus, & ſimpliſsimis, & minimis homo conſtituitur, & in quæ vltima tandem apparentia, ſimpliſsima, & minima reſoluitur: atque hoc στοιχεῖον Græcis dicitur, quod ſimiliter Latinis Elementũ ſonat: eſt quidem minima rei, quam conſtituit, portio. Definitore Gal. lib. ij. de Elementis.

Elementum eſt prima & ſimpliſsima pars, quæ in alias diuidi non poteſt: elementa vero rerum omnium cõmunia & primaria, hoc eſt ex quibus & in quæ ſimpliſsima cuncta & conſtant, & reſoluuntur: quatuor exiſtunt, ignis, aër, aqua & terra: à

quibus & temperamenta calidum, frigidum, humidum, & ſiccum: hinc quoque hu mores, ſanguis, bilis flaua, pituita, & bilis atra: à quibus etiam corporis partes for mantur, caro, os, cerebrum, cor, iecur, caput, manus, & huiuſmodi, atque ab his facultates, animalis, vitalis, naturalis, & poſtremò partes ſpiritus à ſubſequen tibus actionibus, vitalis & naturalis. Lege lib. de Natura humana Hippoc. Galeni li. de Temper. & de Facult. naturalibus.

Elenium ἑλένιον καὶ ἐρυθρόν, vulgò Enula cãpana, cuius in radice vires tantùm experiuntur, ſuperuacuis flore & foliis. Conficitur radix, & conditur cum ſacchare, ad thoracis robur reparandum, & vires recolligendas.

Elegma ἔλειγμα καὶ ἔκλειγμα καὶ ἐκλεικτόν, medicamentum eſt quod lingitur, & lambitur veriùs, quàm deuoratur, & retentum in ore aut linguæ ſubditum pau latim liqueſcit tabeſcitvè: Loch medicorum vulgus nominat. Cõpoſitionis authores ſunt Actuarius libro quinto comp. Medicament. Fuchſius libro ſecundo, capite vn decimo, Meſue, Nicolaus, & Syluius.

Elephas ἐλέφας καὶ ἐλεφαντίασις, vniuerſi corporis tabes, ſiue lues: quam Le pram falsò practici vocant. Aliquibus autem medicis corporis vniuerſi cancer: aliis verò Lepram ipſam contentio eſt. Id nominis nactum hoc malum, quod in eo cutis corio elephanti animantis perſimilis videatur. Nam maculis quibuſdam ad atrum colorem vergentibus inficitur: inæqualiterque aſpera, craſſa, ac veluti ſquamis fœ da, liuens, ferináque redditur. Quod Elephas morbus differat à lepra nihil Arabibus, docet Fuchſius libr. ſecũdo Paradoxorũ, cap. decimoſexto: & Calanius in Paraphr. de Inæquali intemp. & Galenus ij. li. ad Glauc. cum Acakia explanat, & Plin. li. xxvj.

Elminthes ἕλμινθες, vermes ſunt ex lũbricorum genere: quorum duplex eſt dif ferentia, inter teretes ſcilicet, & latos, in inteſtinis ex corrupto humore naſcentes: non nunquã & in ventriculi fundo vehementi cũ cruciatu depræhenduntur Galeno au thore Meth. med. li. vltimo, verſus fine.

Embrocha ſeu ἐμβροχή, vulgò embrocatio, eſt quæ ex herbarum, florum, ſe minum, radicũ, frondium, & aliorum ſimplicium cum aqua aut vino, decoctio fit. Cõponitur quandoque pro capitis, aut partis arterius ardore vehementi ex aceto & oleis tantùm facultate refrigerantibus: & contrà, ex calidioribus in partibus vehe menter frigidis aut refrigeratis. Nec in hoc notabor, ſi diligenter ſuper vocabuli ſi gnificationem perpendat lector, quid ſonet Embrocha.

Embryo ἔμβρυον, fœtus eſt in vtero conceptus, antequam lineamenta ſuæ ſpe ciei accipiat: quod ferè accidere ſolet circa quadrageſimum ſecundum à conceptu diem, quo tẽpore & anima illi infundi creditur. Hunc enim in procreatione hominis ordinem eſſe volunt, vt ſex primis à conceptu diebus ſemen in vtero conceptum lacti ſimile exiſtat: nouem proximis in ſanguinem vertatur: duodecim deinde aliis in car nem: poſtremò quindecim aliis ſpeciei ſuæ lineamenta omnia acquirat: iiſque exple tis anima rationali animetur. Itaque vſque ad quadrageſimũ ſecundum à conceptu diem propriè Embrio dicitur, quòd intus in vtero alatur, non ſecùs ac fructus in ſua arbore. Gal. in libello de Conceptu, & Semine author eſt. Ariſtot. in lib. de Anima.

Emicrania ἡμικρανία, eſt dolorifica paſsio, quæ in altera duntaxat capitis parte aliquando dextra, aliquando ſiniſtra conſiſtens, iuxta futurã ſecundum longitudi nem eius extenſam, terminatur.

AEmophoui αἱμοφόβοι, ſanguinis miſsionẽ ſunt refugientes, vt à Eraſiſtratei medici notabantur, ſicuti in libro de ſanguinis miſſione ſcriptum reliquit. Hos in ſectatus odio vehementi, quòd in morbis acutis viribus adhuc firmiſsimis, ægrotos principio morbi per ſanguinis miſsionem purgare refugerent, ſed triduo ieiunos red derent, nec niſi poſtea cũ morte reficiebantur. Tota Galeni methodus huiuſmodi re præhenſionibus abundat.

Epigennima, eſt non omne ſymptoma, ſed quod ſolos morbos neceſſariò ſequitur: contrariũ à ſymptomate aliquibus opinio eſt. Quã difficultatem abſoluit Galenus lib. j. de Sympt. differentiis.

Empirica

Empirica hæreſis,eſt quæ notatur concurſu ſymptomatum:morbi cuiuſque igno rantia:auxiliorum vtilium per vſum cognitio:collectione antea expertorum:a ſimili tranſgreſſu.

Emmotum,medicamentum eſt quod lineamentis,vel linteolis,ſubſtantia humida ſuſcipitur:definitore Acakia lib.ij.Galeni ad Glauc.

Enneaphyllon ἐννεάφυλλον, Conſiligini,quoniam vrentis facultatis eſt, eadem Geſnero videtur:quam vulgus officinarum,& ruſticorum Patam leonis,& Pomeleã vocat.Ea ſanè eſt,quæ medicis nonnullis Elleborus niger falsò ſuſpicata eſt, & vſui lecta non ſine mortis periculo ſumentium.Quære Leontopetalon.

Empetrum ſaxifraga eſt,foliis Criſtæ marinæ perſimilis,quòd ſcriptum reliquimus in dict.Saxifraga.

Empyima ἐμπύημα, purulenta excreatio, ac ſuppuratio ex pulmone eſt: vnde ἐμπυηκοὶ,hoc eſt,ſuppurati nominantur.In hoc ſiquidem malo in vacuo inter thoracem & pulmonem ſpatio pus conſiſtit:ſicut ſcriptum reliquimus in dict. Purulenta excreatio.

Emplaſtra,ſunt quæ ex herbis,floribus,radicibus,ſeminibus,ſuccis,metallis,liquoribus,ſpeciebus,oleis,& gummi commiſtis vnáque coctis componuntur:quorum ſpecies leuiter contunduntur,in craſsiorémque puluerem vertuntur.Compoſitionis authores ſunt Galenus,AEgyneta,Actuarius,& cum Aëtio,Meſue.

Emplaſticum,id eſt,illinens,quod poris corporis illitum tenaciter hæret:eſt glutinoſum,terrenum,non acre,vt butyrum,adeps,oleum,gummi: ſic aloe, bolus armenia farinæ,addito liquore emplaſtra euadunt.Compoſitionis author eſt Aëtius lib.j. cap.j.de Re medica.

Empirici ἀπὸ τῆς ἐμπειρίας,hoc eſt,ab experientia dicti.Hi quidem primùm ad ſymptomatum συνδρομὴν reſpiciunt,& conuenientem ex eis curationem accipiunt, atque obſeruant:idque nec pathemate cognito,nec cauſa inquiſita συνδρομὴν autem appellant,ſymptomatum,quæ in patiente ſunt loco:vt docet Galenus Meth. lib.ij. & Fuchſius Comp.Medic.cap.iiij.

Emphractica eadem ſunt quæ emplaſtica,poros omnes obſtruentia ſuo lentore: quos aloe tamen ſumpta amarore terget & aperit. Dulcia quoque hepar & lienem promptè obſtruunt,quia ſeu iucunda cito ab his rapiuntur ante coctionem.

Empreſthotonus ἐμπροσθοτόνος,ſpinæ dorſi affectus,cùm ſcilicet illa obriguit, & inflexibilis facta eſt,atque ita in anteriorem partem incuruatur,vt omnino erigi non poſsit.Huic affectui Tetanus,& Opiſthotonus parùm ſunt diſsimiles, quod Empreſthotonus,cùm in anteriorem partem ſpina inflexa ſit,dicatur.Opiſthotonus cùm ea in partem poſteriorem eſt incuruata:Tetanus autem cùm recta obriguit, ita vt neq; in anteriorem,neque in poſteriorem partem flecti queat.

Epimelis ἡ κόμαρος,genus quoddam arbuti,cui eandem omnino vim Gal.& AEgyneta reddiderunt,hoc addito,quòd fructum miuecylon nominant.Dioſc. congenerem fecit Meſpilo.Si Braſſanolo credendũ eſt, Epimelis noſtras vera eſt. Galenus in Exegeſi vocũ Hippocratis,ſcribit fructum huius arboris dici ab ipſo Hippoc.ἀμαμηλίδα,ſicut retulit Scholiaſtes.Quære dict.Meſpilus.

Enſiformis ξιφοειδὴς,oſsi pectoris ad finem ſubnata cartillago eſt,& ſcutũ oris ſtomachi,& pomũ granatũ,& cartilago mucronata à Barbaris accepit nomen.

Eneorema ἐναιώρημα,vocatur illud quod in matulæ medio innatat, quẽadmodũ in ſumma matulæ parte cernitur,nubes appellatur:quod verò in fundo ſubſidet hypoſtaſis eſt.Hęc Fuch.in Meth.ſed Actuarius voluendus eſt in lib. quos inſcripſit de Vrinarũ notitia:quando nemo medicorũ doctiùs & fideliùs tradidit.

Enarthroſis,eſt cùm excipiẽs cauũ admodũ altũ eſt,capútq; qđ in id inſeritur oblõgũ.

Enumeratio, eſt vbi ſingula quæ rei alicui inſunt,enumerantur:vt differentiæ diuiſionis in ſua ſignificata,& ſubiecta in ſua accidentia.Cuius rei definitor Acakia ſuper primo lib.Gal.ad Glauconem.

Encanthis ἐγκανθίς,morbus oculorum eſt,cùm in maiori ipſorum angulo tuberculum enaſcitur,quod genas parum patitur diduci impedimento eſt.

Ephemerum ἐφημέρον, liliũ conuallium pro maiore mugueto interpretatur Geſnerus: at muguetum quidem radice bulboſa non eſt, ſed rara, tenuíque, quod in lilio conuallio depræhenditur. Ephemerum alterum, quod κολχικὸν eſt, veneno abundat: ruſticis crocus pratenſis, & autumnalis vocatur. Dioſ. li. iiij. cap. lxxxiij. & libro ſexto cap. quinto.

Epithemata, ſunt quæ ex xiloaloe, ſantalis, ligni balzami, floribus bugloſsi, roſarum, roriſmarini, granis rubiæ tinctoriæ, radice tormentillæ, bolo armenica, terra ſigillata, ſpeciebus odoratis, aquis liquatarum herbarum extillatis, cetico vino, aceto, & ſimilibus ad partes corporis animales affectas correſpondentibus, prout medico placet, neque ſecundum veterum authorum vſum, componuntur. Vide Fuch. li. iij. cap. viij. de Compoſit. medicam.

Epithymum Græcorum thymi flos eſt, ſatureiæque ſimilis: huius loco ſi Arabum epithymo, hoc eſt, caſſutha thymo innata, vt ſatureiæ ſeu thymbræ epithymbrum Actuario dictum: & hyſſopo, & maioranæ, epiſſopum: & orobo orobanche, & lino linanche, vti licet: quia vires cum thymi flore eaſdem illi ſolus veterum Plinius tribuit. Epithymus autem Arabum, vt thymus, eſt duplex, hortenſis, & montanus. In Actuario leges ſæpius κὸυκουθε, & κὸυσκουθὲ, & κουσορθὺν, & κάσσορθὺν, pro cuſcuta Dioſ. li. iiij. cap. clix. Galenus Simpl. li. vj. & Meth. med. li. xiiij. Syluius de Simpl. natura li. j.

Epiploocele ἐπιπλοοκήλη, herniæ ſpecies, cùm omentum deſcendit in ſcrotum: cui Enterocele etiam affinis videtur. Quære dict. Hernia.

Epirotica malus, & epiroteum malum pro fructu, eſt orbiculare pomum, regionis ſuæ appellatione Cappenduum vocitatum videtur: aliquibus paradiſi pomum, aliis item Diuo Ioanni pomum nomine dicatum. Arabibus Muſum quaſi dulcore in ſucco abundet, & ſirupis idoneum, appellatum eſt.

Epialos febris, eſt in qua ſimul febricitant & rigent, atque eodem tempore in omnibus corporis partibus vtrunque, calorem nempe & frigus immodicum ſentiunt: & hæc blandè, & leniter calfacit. Galenus li. ij. de Differ. febrium, cap. vj. & vij. AEgyneta li. ij. cap. xxv.

Epiceraſtica, quæ paulatim bonũ ſuccum ſufficiunt in locum ſenſim vacuati, vnde Epicraſis Galeno li. ix. Meth. Sunt etiam quæ obtundunt aliorum malignitatem, vel morſum, vt vua paſſa mordentes mediocriter ſtomachum humores obtundit Galeno ij. li. alimentorum teſte.

Epididymis, ſuperior teſtium particula eſt, fortior quidem teſtium muſculis, ſolidior, & ſiccior: quantò illa ſunt vaſa ſeminaria, mirabili opificio naturæ contexta: aliquibus Scrotum, id eſt, ſaccullus ille teſtes recipiens appellatur. Guiuterius Inſtitut. Anato. li. j.

Epiphyſis, eſt vbi os cum oſſe ad vnionem coit: cui quidem apophyſis cõtraria eſt.

Epiphora ἐπιφορὰ, eſt omniũ humorũ ad oculos impetuſior influxus: vel cum Celſo pituitæ cum impetu diſcurſus. Plinius li. xx. cap. ij. & xiij. Columella li. vj. capit. xvj. Vide Dict. Lachrima.

Epimedium ἐπιμήδιον, caulis eſt non magnus hederæ foliis denis, duodenisvè, neque florem, neque fructum ferens, radice tenui, nigra, graui odore: quæ Romanis vindicta appellatur.

Epimenidion, tertiũ bulbi genus eſt, cibis gratũ, anguſtius folij, minúſque aſpero, quàm cæteræ Syllæ ſpecies. Deſcriptionis author eſt Plinius li. xxvij. cap. ix.

Epilepſia ἐπιληψία, conuulſio, & comitialis morbus, qui etiã Lunaticus appellatur, necnon gentilitius. Eſt totius corporis, non quidem perpetua, ſed quæ ex temporum interuallis infirmitas accidit, cum mentis ac ſenſuum obleſione. Latinis Comitialis paſsio, Hebræis Lunaris, dicitur, quòd hac correpti ægritudine in comitiis maximè infeſtarentur, comitiáque quo de aliquis concidiſſet, interrumpebantur. Lunaticus, quòd eum qui interlunio eſt natus, hoc malum ferè pati compertum ſit: puerorum quoque morbus pleriſque appellatur, quod illis vſque ad pubertatem ſit pecu liaris. Gal. Locorũ affect. libro tertio, capit. quinto, & libro quinto, cap. quinto. Fuch.

curationem integram docet de Medend.morbis li.j.cap.xviij.

Epinyctis,vlcus eſt oculi aciem hebetans,& in angulo perpetuò humor emanans. Epinyctides item dicuntur vari, ſeu puſtulę minutę,quòd nocte maximè proueniãt. Sunt autem ſubliuidæ, modicè tumeſcentes, & plenæ in tibiis, & pedibus ſanguine nigricante. Lege Plinium li.xx.cap.vj.

Epuloticum medicamentum,vel ſimuloticum,id eſt, vlceri cicatricem inducens, ſiccat,& aſtringit magis,quàm collecticum:non terget vt æs vſtum in dura carne: in molli autem lotum,malicorium ſiccum largiùs inſparſum,& puluis tenuiſsimus cathæreticorum paucus,vlceri inſparſus cuſpide ſpecilli.Syluius.

Epipactis,deſcripta eſt in dict. Elleborine.

Equiſetum ἵππουρις,cauda equina eſt maior,& minor,vtraq; vehementer aſtringens:cætera repoſuimus in dict.Hippuris.Dioſcorides item libro quarto,capite trigeſimooctauo.

Eramus,lapillus in Euphrate inuentus,Turchica vulgò appellatus: vt author eſt Ludouicus Patricius Romanus.

Erice ἐρείκη,vulgaris brueria eſt:neque geniſtella,vt officinis placet: de qua florẽ legentes pro vero meliloto medicorum adhuc quorundam imperitia, vtuntur: vocántque melilotum peſſulanum. Dioſcorides inter fruticoſas arbores Ericem annumerat, myriceæ ſimilem faciens,ſed longè minorem lib.j. cap.c. Galenus li.vj. Simpl. & comp.pharmac.vj.& ix.de Erices fructus medicamentis tractat paulò fuſiùs.

Erigerum ἠριγερόν,alia eſt herba,quàm ſunt ſuſpicati neotericorum herbariorũ nonnulli:neque carduus benedictus eſt,ſed quæ Latinis Senecio appellatur,habens folia exigua,ſubhirſuta veluti in lanuginem verſa, & in extremitatibus parumper inciſa,& longè quàm Erucæ,minora: cuius etiam lutei flores:qui cito poſtquam ſunt nati,dehiſcunt,& in pappos euaneſcunt:vnde ortum ei nomen ἠριγερόν. Aſtmaſticis, & ſuſpirioſis ſiue cruda,ſiue cocta eſa pertulis eſt. Dioſc.li.iiij cap.lxxxij.

Erinus ἔρινος,& pro herba,& pro Caprifico ſumitur hoc nomen:licet ἔχινον Galenus hanc quoque herbam dicat. Militarem autem herbam vulgò dictam, Erino, eandem,aut congenerem multi cum Geſnero credunt. AEgyneta Erinum, & Echinũ diuerſas facit. Dioſcorides li.iiij.cap.xxv.

Eriphia ἐριφία,herba eſt ſeptem lanuginoſis ramulis Apij modo foliata, purpureo flore,& ex eo quidem perenni,ſemine fabaceo,totidem radiculis quot ramis. Hęc Plinius,li.xxiiij cap.xviij.

Eruca εὔζωμος,erratica nimirum,& hortenſis, olitoribus hodiernis Roquetta vocitata. Sinapis vice Iberia regio occidentalis vtitur, à qua ſubinde nomen traxit Iberis. Dioſ.li.ij.cap.cxxxiiij.

Erraticæ febres Typicis planè contrariæ ſunt: neque enim ſtatutum tempus, neque vllum ordinem acceſsionum & remiſsionum ſeruant.ſicut ſunt hæ,quæ ex atra bile,quæ in quibuſdam partibus mouetur,in quibuſdam immota manet,in aliis putreſcit,aut feruere incipit,oriuntur. Galenus li. Pronoſt.Hipp.iiij.cap.xxix. Fuch. de Medend.morbis libro quarto,Galen. ad Glauconem libro primo,cum Acakiæ Commentar.

Eruum ὄροβος, leguminis genus, domeſticum,& agreſte, viciæ ſpecies: nam eruum non album ſemine ſed rufum,vehemẽter amarum eſt:candidum dulcius. Scholiaſtes contendit Garroba Santonum ab Orobo deducta elentis voci interpoſitis, non eſſe Dioſcor.eruo ſimile,ſed longè inter ſe differre. Neſcio an intelligat de facultate,vel de ſeminis ſolùm forma, quum vtrunque ſubticuerit Dioſcorid. Orobum, quod Latinis Eruum, expreſsit, Garronum Santonum eſt certum libro ſecundo, capit.centeſimoprimo.

Erui magnitudo,& pondus,capit calchos ij.

Eruilia,vel ochrus ὤχρος, genus eſt leguminis, folio quàm faba longiore, flore apibus gratiſsimo:ideo circa aluearia ſęri pręcipitur,ſcriptore Columella lib. Rei ruſt.primo.

Eryngium ἐρύγγιον, Plinio centum capita aculeatorum eſt, vulgaribus Myropœis Lyringium profertur:atque carduum hunc aculeatum valdè eſſe, ipſa etiam nouit ruſticitas:radicem fodiẽtes prælongam quam habet, cum ſacchare condiunt, plerifque remediis magnopere vtilem,præſertim ſtomacho, & renibus frigore affectis. Dioſc. lib. iij. cap. xxij. Phaonem ad amorem hac radice prouocaſſe Sapho poëtix refert Plinius.

Eryſimum ἐρυσιμὸν, nobilis Eruca aliquibus ſuſpicatur, quæ tametſi agreſtis eſt, ſatiua multò valentior, tum viridi herba, tum ſemine. Eſt præterea Eryſimõ cereale, nomine alio Irio, Turchicum, & Indicum milium Geſnerus interpretatur: Allobrogibus peculiariſsimum. Latinis Irio, & Plinio Trio: Trionum tamen Gaza vertit apud Theophraſtum. Quinetiam herbariis aliquibus Sinapi ſylueſtre nominari ſolet:atque Italis nobilis eruca cognomento eſt. Dioſc. lib. ij. cap. centeſimo.

Erythros ἐρυθρὸς frutex, alio nomine Rhus appellatus: vulgò violua apud Gallos nomen accepit: deductum à vocabulo viburnium, quo vſus eſt Vergilius in Buc. Vide Plinium lib. xxiiij. cap. xj.

Erythrodanum ἐρυθρόδανον, duum generum, agreſte, & ſatiuum: nomine alio Rubia tinctoria: de qua quære dict.

Equitatio, eſt quæ mirificè aliquibus, nec pleriſque inteſtina confirmat: nam inter exercitia hæc habetur, probatúrque à C. Celſo lib. iiij. cap. xix. Cæterorum qui ſanitatis ſtudio tenentur, ij curam exercitiorum præcipuam habebunt, quòd illorum ſit maxima commoditas. Eſt præterea exercitiorum deligenda commoditas, vt tempus, vt menſura, vt cura, quibus probè excrementa per familiares meatus expurgentur, vt corpus à laſsitudine tutum reddatur. Quinetiam Hippo. Aphoriſmorum lib. j. Aphor. iij. hæc ait: Exercitatorum ſummus habitus, nec cõſiſtere, nec mutari in melius poteſt. De qua quidem materia Galenus fuſiùs Sanitatis tuendæ lib. iij. Fuſch. in Medic. Methodo, cap. de Motu, & quiete.

Eryſipelas ἐρυσίπελας, tumor eſt Galeno ex feruente, tenuíque ſanguine conflatus: vel ex ſanguine & flaua bile calidioribus, quàm oporteat mixta, fluxio. Eryſipelas denique vel abſque exulceratione, vel vnà cum hac, accidit, & ignis ſacer appellatur. Quum igitur nec planè bilioſa, nec ſanguinea fluxio eſt, ſed ex ambabus mixta, vtique ab eo quod in mixtura exuperat, nomen ipſi inditur. Si enim ſanguis exceſſerit, inflammatio eryſipelacea vocatur: flaua verò bile exuperante, eryſipelas inflammatum erit.

Eryſipelas τυφώδης, id eſt, ſuccedens, & καὶ κὸνηθης καῦσος, appellatur, eſt quæ ex pulmonis, ventriculi, aut iecoris inflammatione accidit. Naſcitur ex intemperie compoſita primarum qualitatum cum affluxu flauæ bilis, vlcus huius nominis, quòd cum inflammatione rubor locum ambit, cum dolore vehementi procedit. Petendus eſt Galenus de Diffe. morb. libro primo: & libro ſecundo, ad Glauc. cum Acakiæ explanatione: Celſus in capit. de curatione Eryſipilatum: & Aetius libro quinto, capit. lxxxviij.

Eſcharoticum, id eſt, cruſtificum ſiue cruſtam faciens, quod modo, & cauterij corpus colliquat, & ſæpe eſcharam facit: eſt calidum ſiccum quarto ordine, craſſæ eſſentiæ, dolorificum, vt calx viua, fex vini vſta: quando enim vrendo tenuiora ſe ipſis euaſerint, craſſa tamen adhuc ſunt eſſentia. Ex Galeno hæc Syluius.

Eſculus, ſiue Patifolia, πλατύφυλλος, roboris ſpecies ex genere glandiferarum Theophraſto. Eſt autem fago magnitudine, & glande inferior, duplicem producens gallam, alteram querneæ non diſsimilem: alteram nigram, tingendis lanis vtilem. Plinius lib. xij. cap. j. & lib. xvj. cap. iiij.

Eſſentia οὐσία, rei cuiuſque facultas, ſiue potentia, aut virtus exiſtimatur: verbúmque hoc acceptum à philoſophis, & præcipuè medicis, in rebus occultis exprimẽdis maximè idoneum. De hac voce vide Quintilianum lib. viij. cap. iij. Auguſt. lib. xij. de Ciuitate Dei.

Eſſentiæ proprietas, eſt quæ plerunque patientem in corpore partem non obſcurẽ

indi

indicat,vbi etiam ſunt ſex generales notæ,quibus patiens membri, aut partis ipſius locus depræhenditur.Dignoſcitur enim à ſymptomatibus,ab actione læſa,excrementorum qualitate,à tumoribus præter naturam,doloribus,& coloris vitio: quæ ſingula accurata opera ſunt expendenda,quo partium patientium cognitionem capiamus. Gal.Locor.affect.lib.j.cap.ij.& iij.

Eſthiomenus ἐσθιόμενος,hoc eſt,vlcus exedens, eſt quando bilis flaua craſsior fit, hærétq; in parte aliqua,totam eius cutem exulcerans herpetis ſpeciem gignit. Quòd dilutior fit,altera ſpecies naſcitur,quæ quia puſtulas milio ſimiles habet, Miliaris vocitatur.Eſthiomena cacoëthe ſunt,& malorum ſuccorum ſoboles.Legendus eſt Galenus Meth.med.lib.iiij. cap.iij. & ad Glauc.lib.ij.cum explanatione Acakiæ.

Eſula Serapionis,Pityuſa Dioſc. & Galeni eſt: tota Tithymalorum modo purgans:ob id etiā Tithymali ſpecies putatur. Cæteris Arabibus Eſula parua, eſt Tithymalus paralios,ſiue maritimus:magna verò Tithymalus, eſt plattiphyllos, viribus tamē ſunt iiſdē valētibus,ſcilicet in purgādo.Myrepſus,cuius interpres Fuch. in vna medicamētorū cōpoſ.Eſulā Chamæpityn facit.Dioſ.lib.iiij.c.cxlvj. perlegendus eſt.

Euacuatio,eſt humorum in corpore redundantium inanitio:cuius quidem multa ac varia ſunt genera. Vacuamus enim interdum per venæ ſectionem,nunc per medicamentum purgans,ſubinde etiam per vomitum,ſcarificationem,ac cucurbitarum appoſitionem,inediam,& ſomni ab inedia repetitionem, micturitionem,ſputi eductionem,ſanguinis è naribus profluuium,menſium,hæmorrhoidum,coitum, inſenſilémque euaporationem,quæ quidem à natura,nobis etiam quieſcentibus, fieri ſolet:quæ ſanè ſingula ſuo ordine exponemus.

Euchima,id eſt,ſanguinem bonum gignentia,videlicet rubentem,craſsi & tenuis medium:cuius contrarium Cacochima.Oribaſius de Confectione ciborum libro iij. cap.de Cacochyma,inquit:Non vna ſpecies eſt cacochymię,alia enim ſunt frigidiora,alia cholerica,alia melancholica:omnia hęc ſunt,quæ ſunt in cibis cacochyma: latet enim in multo tempore peſsimus in venis humor collectus ex cacochymis cibis. Ex ipſa igitur modica occaſione in putredinem totum conuertit ſanguinem, & febres malitioſas operatur,& excitat.Quod autem in temperamento eſt, neque euchymum,neq; cacochymū,ſed medium eſt.Cacochymos autem vocamus,qui nō bonos ſuccos,qui ſanguinem nutriant,faciunt,ſed humores:euchymos verò,qui bonos ſuccos,vnde ſanguis fit,generant.

Eupatorium ἐυπατώριον,omnino Agrimonia vulgaris videtur,Dioſc.eupatoriū cum Serap.agrimonia,& Meſues eupatorio conferenti.Corruptum verò nomen ex Argemone apparet,quàm falsò quidam Eupatorium putarūt.Quod hepatis obſtructiones aperit,ipſumque roborat,nomen adinuenit:vel ab Eupatore herbæ inuētore. Hanc etiam Pentaphyllon vocari,quod folio ſit quinque partito,ſcribit Galenus lib. quinto.Comp.pharm. κατὰ γενὴ.Dioſc.lib.iiij.cap.xxxiij.

Euphorbium ἐυφόρβιον,& eupherbia arbor ſpinoſa, in Athlante monte Libico ad Mauritaniam,ferulaceáque,& ex ea conto eminus inciſa liquor emanans lacteus, facultatis eſt cauſticæ,ac vrentis Dioſc.ſarcocollæ modo emicans: quanquam variū colore reperitur.Galenus lib.vj. Simpl. & lib. iij.idémque ix.Compoſit. phar. libro Dioſc,lib.iij.cap.lxxviij.

Euphraſia ἐυφροσύνον,recens herbariis inuenta,vel cognita: Græcis,& Latinis auctoribus olim inaudita:neotericis ergo commendata medicis,oculorum præſertim, vel nephriticis etiam,remediis.Hanc Barbarus inter ſaxifraga numerat: atque de ea plura apud Syluium lib.primo de Simpl.med.natura,leges.Eſt & Euphroſinum Bugloſſo nomen,ſi Plinio li.xxv.cap.ij.credendum eſt.

Exaſperantia,quòd leuius,vel mediocre in cauitatibus fuit,& excrementis: vt acerba,auſtera,cruditatem parientia,dicuntur.

Excoriatio ἄποσῦμα, eſt quando caſu, aut quopiam violento offenſu cutis auellitur, & ei parti ſcabrities ſuboritur depillatúrque: & quæ ſubinde cutis naſcitur glabra eſt.

Excretio ſuperfluorum, eſt cum excernitur flaua bilis ad fel, alij fellis folliculum appellāt:atra bilis in lienem:ſeroſitas ſanguinis ad renes:imo & vna quæque pars vbi ſatis habuerit excrementi,quod ſupereſt,ad alias remittit partes.

Excreſcentiæ,ſiue eminentiæ κόνδυλώματα,ſunt in ſede, in callum coactæ: vel rugæ circa anum tumeſcentes, reduplicatis enim ani corpuſculis,ruga quædam præter naturam inſurgit, & intumeſcit:cùm enim ſinuoſus ſit anus,rugas annexas habet.

Exercitium,euacuationis humorum ſubtilium genus eſt,quod quidem ſupplet frictio:de qua re ſcripſimus in dict. Equitatio, & Frictio.

Expreſſio oculi,ſeu exitus oculi ἐκπιεσμός, contraria eſt imminutioni paſsio: in ea enim ſic exprimuntur oculi,vt exerti perſeuerent.

Expultrix facultas eſt,quæ à coctione inutilia & aliena ſegregat, & excrementa ſingula ex corporis particulis pellit,ne ſi diu moram in corpore traxerint, putreſcāt. Hæc itidem retentrix alteratrici miniſtrat. Author eſt Galenus in lib. Facul. natural.

Exquiſita tertiana febris intermittens,eſt quæ ex flaua bile per ſenſiles corporis partes delata,oritur:& ſui ipſius naturam puram atque ſynceram ſeruat,& dignoſcitur ſuis notis. Quære dict. Tertiana exquiſita.

Extinctio,eſt quæ ob naturæ perturbationem à refrigeratione oritur: ſuffocatio verò, cùm vniuerſus ſanguis ad principium confluit, deferturque: vt de mortuis præ mœſtitia refert Plinius de P. Rutilio,& P. Lepido,libro ſeptimo,capite trigeſimoſexto.

De lit

De litera F.

FAba κύαμος, vulgaris notitię legumen, neque tametſi correſpondẽs Dioſc. Gale. Celſi & Pli. deſcriptioni: nam illorum authorũ fabas eſſe rotundas, & longè minores noſtratibus, vt etiam octodecim non ſufficiant drachmæ ponderi, & vna quæ fuerit noſtras drachmam adimpleat. Ex authorũ ſupra citatorum monumẽtis cætera Lector eliciat.

Faba AEgyptia, quæ & Pontica, & colocaſia, à ſuperiore latè differt: quæ Indica faba Arabibus mirantur, in ſiliquis digitorum ſeptem, aut ampliùs, longitudine dependet, & venenum in ſe habet. Syriaca autem faba λῶτός δενδρὸν Gręcis, Lotus arbor Latinis authoribus dicitur: cuius quære dict. Itaque fabæ AEgyptiacæ magnitudo, obolum vnum habet, &c.

Faba inuerſa, Telephyon Dioſcoridi, & Aizoum ſecundum, hoc eſt, ſemper niuũ mediũ eſt: quæ quibuſdam obtuberaſcentes radices, Scrofularia eſt appellata, quẽadmodum Chelydonium minus, & Climenum, ſiue Sege Arabibus, de quibus ſuo loco referemus. Eſt denique faba ſuis ὑοσκύαμος Græcis, appellata: cuius duæ occurrunt ſpecies. Hyoſcyamus ſemine albo, & altera ſemine nigro, vtriuſque quæ oportuit deſcripſimus.

Facies προσωπὸν, & vultus πρόσοψις, pars à fronte ad mentum vſque pertingens eſt nominata, cuius multæ occurrunt partes: oculi ſiquidem ſuperciliis ſubiacẽt, quorum pars ſuperius & inferius oculũ ambiens, & interiores eius tunicas tegens palpebra βλέφαρόν, dicta eſt, aut gena. Pili qui extremo palpebrarum ſuperiorum ambitui inhærent, cilia nominantur. Aliæ faciei partes quæ ſequuntur, per ſeriem literarum explanabuntur.

Faciei nigrities ſeu aſpredo, & ſcabrities, ἔφηλις, eſt in facie ex ſolis ardore prognata: cui propinqua φακὸς, id eſt, faciei macula nigra, lentis leguminis ſimilitudinẽ obtinens, & hæc lenticula, ſiue lentigo faciei appellata. In facie fiunt diuerſę vel paſsiones, vel dedecora: peſsima eſt, quam oris diſtentionẽ Celſus, Græci κύνικὸν σπάσμον, Barbari torturã faciei vocant. Sub oculis verò quòd vox ipſa græca deſignat hypopia, quæ vox prolatione quidem alteri ſimilis eſt, per quam affectum ſignificamus, quem inter oculi mala numerauimus, in quo pus ſcilicet ſub cornea vocata tunica continetur. Sunt autẽ ὑπώπια, hæc nigriores ſub oculis contingentes, à ſanguine compreſsis venis exeunte, & ſub cute permanente: ſugillata Latini vocãt: nec ſub oculis tantùm, ſed quacũque parte ob ictũ caro liueſcit. Fit præterea in facie à craſſo humore tumor exiguus, & durus. vocatus à Græcis ἰονθὸς, Celſus varos nuncupat, fiunt & συκώδεις, quædam eminentiæ in loco barbæ. ſi tenuis & acris quædam veluti ſanies craſsis humoribus miſceatur. Naſcuntur & ficus, de quibus ſuo loco diximus.

Facultas, eſt cauſa, à qua procedit actio. Sunt autẽ numero tres diuerſi inter ſe generis, quæ animal gubernant, toti corpori ex ſuo quodam veluti fonte quæque diſtributa, animalis ſcilicet, vitalis, & naturalis: facultas naturalis in hepate eſt, per venas in totũ corpus ſparſa: tertia, & infima facultas vitalis, in corde eſt: quæ per arterias in corpus vniuerſum diſtributa, ſecunda & media: ſed quæ animalis facultas, in cerebro, ſpinæ medulla, & per neruos in partes omnes ſenſu tactus, & motu volontario præditas delata, prima, & ſumma.

Facultas egerendi, deiiciendivè, ne deſtruatur, totus thorax vndique valido ſtringitur robore, muſculíque omnes, qui plures ſunt, iuxta aluũ tenduntur in egerendo: magis qui in hypocondriis, vt eſt author Gal. lib. ij. de Muſc. motu.

Fagus φηγὸς, Eiũs glandes nucleis non diſsimiles, cute triangula incluſæ legentibus apparent: & hoc fructu ſues, & cum apris animantes ſicures, quòd eo delectentur,

etiam ſub hyemem impingantur. Neque ad rei medendæ adhuc vſum tranſiit, vt eo fructu medici vtantur. Eſt & fagi alterum genus, Græcis ὀξία appellatũ: Latinis Sciſſima. Dioſcorides lib.j.cap.cxxj.ſcribit Quercum, Fagum, & Ilicem generis eſſe diuerſos, facultate tamen in fructu reſpondere.

Fames canina, ſiue appetentia inordinata κυνώδης ὄρεξις, eſt cõtraria abolitæ appetentiæ paſsio: eſuritionem enim procliuem excitat, ſed vt ea laborantes, quum appetentiam cohibere nequeant, in cibis ingerendis modum excedant, & grauati eorum copia paulò poſt euomant, atque ſic ſe leuent, rurſúſque expleant, ac iterum in vomitum perinde atque canes reuertantur, vnde etiam appellationem malum hoc accepit.

Far χόνδρος κατά τινας, colore rutilo, vel rubro frumentum: & eſt colore pullare frumentum, quod vtrumque barbatum frumentum agricolæ vocant. Tertium, quod cæteris candidius videtur, cluſiuum, & blance putatur. Vulgus bladum dicit. Far nonnunquam etiam pro farina vſurpatur: itaque frumentum pro Secali, vel, vulgi appellatione, Siligine, coloris ciniricei nigricante, interpretari abſurdum ſuſpicor.

Farfugium χαμαίλευκη, pratenſis farfara eſt, flore candido, in rotunditatem ordinato, ornata: & Nymphææ luteæ, niſi humilior appareret, eſſet ſimilis: quæ à Tuſsilagine diſcrepat, vt loco ſuo ſcriptum reliquimus. Eſt præterea Farranum, vel farfugium alterum: quam herbam officinæ pedem aſini pro Bechio vſurpantes, appellãt: quæ bechium tamen non eſt.

Faſeolus λάϐος δόλιχός σμιλαξ κηπαία, hortenſis leguminis genus. Eſt denique Faſeolus φάσηολος, Smilax hortenſis, hoc eſt, pedemontanum piſum renum puſillorũ figura, & colore vario circunſcriptum, Longobardicúmq; appellatur plebeiis. Galenus lib.j.de Alimentorum facultatibus, Faſelũ à Faſeolo diſtinguit: vultq; faſeolũ plantam hortenſem eſſe eandem cum Smilace, cuius fructus Lobi dicuntur: & Delichi Theophraſto. Faſelũ autem eundem eſſe cum cicercula, aut certe eius ſpeciẽ, quæ etiam hodie, Faſillorum apud vulgus nomen retinuit: & hi ciceres ſubflaueſcentes, ſiue ſubalbicantes ſuſpicantur. Quæ Dioſcoridis Smilax vtraque topiaria depræhenditur, non adſcribenda cum Faſeolis, ſicut loco ſuo meminimus, videtur: lib. iiij. cap. cxxviij.

Fauces φάρυγγα, propriè vocant ſpatium oris internũ, quod gulæ & gutturi præiacet. Galenus principio libri octaui de Vſu partium ſic ſcriptum tradit inquiens: Primum & præcipuum vocis organum, cui λάρυγξ eſt nomen, ſuperior finis eſt arteriæ ad fauces: quem vtique etiam φάρυγγα nominant æquiuocè, cum ea pharynge quæ laryngi incumbat portio.

Fauſel, id eſt, auellana Indica, facultate ſua adſtringens: priſcis etiam deſiderata Serapioni nuci moſchatæ ſimilis, forma pyramidis, inſipida: eius deſideratæ loco miſcetur ſantalum rubrum, quod ligni orientalis generis perhibetur, & coryandri recentis dimidium.

Fauus κηρίον, eſt malum ſaphatto figura, & aſpectu non diſsimile, maiora tãtùm foramina habens: in quibus humor melli ſimilis continetur, non ſecus quàm in fauis apum, vnde nomen etiam ſortitum eſt.

Febris, eſt calor prẹter naturam, qui à corde initium ſumens, per arterias & venas in corpus vniuerſum diffunditur, atque actiones eiuſdem ledit. Febrium principales differentias aſsignat Galenus de Diff.feb.lib.j.cap.j.& v.

Febrium differẽtiæ, ſunt quæ ex humorũ putredine infeſtantiũ cognoſcantur: ſed quamobrem per circuitus repetãtur febres, docet Gal.lib.ij.cap.j. de Diff.febr.

Febrium ſimpliciũ genera tria ſunt, quemadmodũ etiã tria, quæ corpus hominis cõſtituunt, continentia ſcilicet, contenta, & impetum facientia, hoc eſt, ſolidæ partes, humores, & ſpiritus. vt author eſt Hippoc. Epidem.lib.vj.particula viij.cap.viij.

Febrium genus ſecundum fit, dum in humoribus calor immodicus ſuccenditur, & vocatur putrida febris, non alio ſanè nomine, quàm quòd in ea humores

put

putreſcunt,hæc eſt ſimilis aquæ calidæ,quæ vas frigidum, cui infunditur, calefacit: ita etiam humores præter naturam calefacti, corpus: putreſcunt autem humores intra,vel extra vaſa:ſi intra,tum vel omnes ſimul,aut vnus duntaxat putreſcit: quòd ſi in omnibus vaſis,ac potiſsimum maximis, æqualiter humores putreſcunt:& fit Synocha,ſeu continens putrida. Quære dict. Synochus.

Febris continua σὺνεχὺς,eſt quæ ſi intra vaſa vnus duntaxat humor putreſcit, febrem accendit:ea autem eſt,quæ non deſinit ad infebricitationem: remiſsionem tamē in ſingulis acceſsionibus obtinet:vt declarauimus in dict. Continēs,& Continua.

Febres compoſitæ ſunt,quæ citra partis alicuius paſsionem inuicem miſcentur,vt tertiana,quotidiana,& quartana. Nam hæ febres quæ ob partium inflammationem accenduntur,mixtionem accipiunt:quæ autem citra alicuius partis inflammationē conſiſtunt,aliquando complicantur,aliquando verò in totum confunduntur. Cōplicatio Græcis ἐπιπλόκης,confuſio autē κρασις, nominatur. Quære dict. Cōplicatio.

Febrium ſimplicium trium generum explicatio,eſt quando calor præter naturam accēditur vel in ſpiritibus,& fit ephemera ſeu diaria:quæ quidem duplex, ſcilicet ſimpliciter ephemera,ſeu diaria dicta, & diaria plurium dierum, alio nomine Synochus non putrida vocatur. Quæ in humoribus fit,putrida eſt:putreſcūt autem modis duobus,vel intra vaſa,idque bifariam,vel enim omnes æqualiter putreſcunt,& fit Synochus putrida:vel enim humor tantùm,& ſic erit continua. Si enim putreſcit bilis flaua,fit tertiana continua,vel ardens dicta febris:ſi pituita,quotidiana cōtinua:ſi atrabilis,quartana continua. Qui extra vaſa putreſcunt humores,intermittentem conſtituunt:ſi enim putreſcit flaua bilis,fit tertiana intermittens exquiſita: ſi pituita dulcis,quotidiana intermittens exquiſita: ſi pituita vitrea, oritur Epialos: ſi atra bilis, quartana intermittens. Si autem in ſolidis partibus, fit quidem vel hectica, vel quæ eſt ſenectutis Maraſmos. Hæc Fuchſius.

Fel,bilis,folliculus,id eſt,veſica fellis,κυςις χοληδοχη, Græci nominant:adhęret fibræ hepatis, & peſsimi ſanguinis purgamentum recipit: de qua quidem materia multò plura in dict. Bilis flaua expreſsimus.

Fel animalium prædantium ſiue quadrupedum,ſiue volatilium, & in aquis degētium,caloris ſummi,acrimoniæque maximè particeps collyriis,& remediis aliis cōprobatur. Cætera retulimus in dict. Veſica fellis.

Femur,& femen μηρὸν,eſt pedis pars interior,quæ à coxis incipit, & ad genua finitur ſicut exterior femen. Quinetiam femen ſeu femoris os coxendix eſt, atque ſuperior pars oſsi ſacro annexa caput femoris appellatur: in ſe & partes Trochantrum magnum,& Trochantrum paruum,atque ſui ipſius collum continet.

Ferula νάρθηξ calidis naſcitur locis atque tranſmarina,geniculatis per vices notata ſcapis. Duo genera Theophraſtus facit:ſed quę dioſcoridis ferula eſt, caulē profert ternum ſæpe cubitorum,folia fœniculi,longè aſperiora & latiora, qua ab imo caule vulnerata Sagapenum efficitur.

Feſtuca αἰγιλώψ,auenæ erraticæ ſecundum genus, folia habens tritici noſtratis, ſed molliora:in ſummo capite ſemina,bina ternavè rubra, quibus ariſtæ quaſi capillaceæ,exeunt. Eſt & aliud genus,cui nomē Bromus,ægilopi ſimilis,vim habens exciccatoriam. quæ hîc deſiderantur,pete ex Dioſc. lib. iiij. cap. cxxiij.

Fibræ pulmonum quinque numerantur,ſicuti ſcriptum reperitur in dict. Pulmo. Nam viſcerum omnium,vt cordis,iecinoris,lienis,& pulmonum extremitates fibræ appellantur.

Fiber,qui & Caſtor, vitæ ancipitis animal:à quo caſtorium ex ipſius teſtibus medicamentum dictum. Qui ſcribit hoc animal caſtrare ſe,ne præda fit venatoribus, tota errat via:quum rem falſam eſſe diligenter animaduerti: quando paruos eius eſſe teſtes,ſubſtrictóſque,& ſpinæ adhærentes, nec adimi poſſe niſi cum morte credendū eſt. Verùm folliculos geminos eſſe ex nexu vno dependentes,qui amputantur,captis animalibus,propter medicam vim,qua maximè pollent. Ampliorem habes deſcriptionem in dict. Caſtor.

Ficedula ἡ συκαλὶς auis,cui nomen à ficu eſt:quòd ea,vt teſtis eſt Varro, pinguẽſcat,quod factum tempore aucupetur. Vulgus Becque figue vocat, laudabilis ſatis in patinis,ſi medicis aliquibus credimus. Ariſtoteles lib. ix. de Hiſtoria animalium μελαγκόρυφον,id eſt,atricapillam fieri ait:vt ex eo retulit Schol.

Ficus vulgaris συκῆ:eſt & ficus duricorij πρόδρομα σῦκα:& ficus AEgyptia συκάμινον,ſycomorus:& Alexandrina,& Idea ficus:ſicut Cyria,Indica & Arabica:regionũ varietate,diuerſa etiam facultate,& colore deprænditur. Nam quæ ad mare naſcitur magnitudine mediocri,ficus pelagica dicitur,& foliis vidua eſt. Sunt & ficus albę συκᾶ λευκὰ Actuario appellatæ,interdum pingues:quarum apud Maubitas Rhodano vicinos populos frequentia eſt.

Ficus σῦκα καὶ σύκωσις,ſunt tubercula vlceroſa,rotunda,ſubdura,rubicũda,quæ dolor comitatur,fit hoc malum magna ex parte non ſolùm in capite, ſed & reliquo etiam corpore. Barbari Talpariam dicunt.

Figura,eſt quæ termino,vel terminis clauditur:vt circulus termino,reliquæ verò figuræ terminis,nam terminus,cuíque rei finis eſt:verùm quæ plana figura eſt, cuius medium neque ſubſultat,neque ab extremis egreditur.

Filix πτερὶα,mas,quæ Oſmunda regalis officinis eſt:fœmina verò,quæ ſegetibus in ſabuletis eſt frequens. Oſmundæ filicis radix maximè vtilis deiiciendis lombricis, & hydropibus:amara,aſtringens,partum mortuum deiicit:vlcera valenter, ſed ſine morſu ſiccat impoſita:hepatis meatus probè terget ſine manifeſta calfactione, aut refrigeratione. Gal.lib.viij.Comp.pharm. Eſt & filicula nomine Trychomanes, & Polypodium:cuius dict.petes.

Filipendula Oenanthe herba,quæ officinis Scrophularia quoque dicitur:quod in radicis filamentis tubercula apparent:de qua quidem herba in dict. Oenanthe plura leges. Dioſc.lib.iiij.cap.cxv. Eſt & Oenanthe vna ſatiua,altera ſylueſtris Labruſca:de quibus vide ſuo loco.

Filius ante patrem,aliquibus Delphynium,quod pro Coluthea, id eſt, Sena noſtrate,vſurpant:quæ ſuo loco repoſita ſunt omnia.

Finis,eſt cuius gratia quæ ad medendi facultatem ſpectant,ordinantur: & ad quẽ tendunt,& referuntur quæ ſunt medicæ ſpeculationis:quòd aſſequuti,mederi quęrũt nihil ampliùs.

Finis principij morbi adhuc futurus quinque rationibus potiſsimũ deprændititur:primùm ex morbi ipſius natura,& differentia:febres ſiquidem ardẽtes, pleuritis, viſcerum inflammationes,& paſsiones ſimiles,breuis temporis principium habent: contrà epilepſiam,coxendicum,& renum dolores,longi temporis. Sic quidẽ à morbis ipſis,futurus principij finis deprænditur:ſecundò,à temporibus anni:tertiò, ex ætate & natura laborantis:quartò,ex regione in qua ægrotans decumbit: quintò, ex victus ratione quæ præceſsit. Fuch.in Meth.med.cap.xliij.

Fiſtici,amygdalis pumillis noſtratibus perſimiles, ſed figura, non ſapore, neque colore interno, qui viridis oſtenditur. Inter bellaria plerique reponunt. Dioſcoridi Piſtacia dicuntur,quorum dict.petes loco ſuo repoſitam.

Fiſtula lachrymalis αἰγίλωψ,eſt abſceſſus,qui inter maiorem oculi angulum & naſum fit,qui ruptus ſi negligatur,in fiſtulam abit vſque ad os ipſum progredientem. Verùm hic abſceſſus prius quàm diruptus in idem vlcus abit, nomine ἀγχίλωψ: à quidem ἐγκανθὶς haud parum abeſt:& eſt naturalis circa maiorem oculi angulum carunculæ ſupra iuſtum modum excreſcentia, huius contrarium ῥυὰς eſt, hoc eſt, eiuſdem carunculæ decreſcentia.

Flutæ Latinis,πλῶται Græcis,quaſi nauigabiles piſces dicuntur,quòd in ſumma aqua fluitantes,mergi non poſſunt. Optimi generis piſcium Plotæ,ſiue flotæ ſunt, vt ex hiſtoriis Romanorum Conſulum deprænditur. Hæc Scholiaſtes.

Fœniculum μάραθρον,hoc eſt,ſatiuum:alterum,& tertiũ agreſtem,ἱππομάραθρον Græcis: Latinis feniculum ſylueſtre.

Fœnum græcum τῆλις,de quo alibi dictum fuit,ſiccum primo ordine, calidum,

ſec

ſecundo:vt eſt author Gal.lib.viij.Simpl.& ob id digerere dicitur, vt idē author lib.j. Compoſ.pharmac.affirmat:& cataplaſmatis admiſcetur. Dioſc.lib.j.cap.xciiij.

Folium φύλλον Indicum appellatum,quod Malobathrum quidem eſt : ſed arbitrantur aliqui Indici nardi folium eſſe, falſi quadam odoris cognatione. Permulta enim ſunt quæ Nardum olent,quemadmodum phu,aſarum,niris:ſecus autem res ſe habet. Namque Malobathrum folium ſui generis eſt,quod Indicæ gignūt paludes, lentis paluſtris modo innatantis aquis,ſine radice. Cætera Dioſc.lib.j.cap.xj. Eſt denique Folium φύλλον,herba mas vna, ἀῤῥενογονόν: fœmina altera, θηλυγόνον, Ruell. lib.ij.cap.x.

Fœtus ἔμβρυον,eſt ex vtriuſque ſeminis ſubſtantia maris & fœminæ, in vteri locis compræhenſus,inuolutus,atque coactus:nutrimentum menſtruoſi ſanguinis per vmbilicum,minimè quidem per os,accipiens,vt author Galenus in lib.de Fœtus format.& in lib.de Semine.Quære ſubinde dict.Embrio.

Fomenta ſeu fotus πυρίαι,ſunt quæ ſuo calore partes corporis, quibus applicantur,fouent:& arida,& humida,prout partes exigunt,componuntur.Fuch. cap.ix.lib. iij.de Compoſ.medic.

Forma,vt eſt author Ariſtot.eſt tranſmutationum natura effectiua:nam & ſpecies,& terminus,& actus primus ac ſubſtantialis dicitur.

Formatrix facultas,eſt in fœtus generatione,quæ cōpagem,formámq; partium,& internę earundem cauitatis ſpeciem effingit,huic famulantur nutrix,& auctrix.

Formica μυρμηκία, καὶ ἀκροχορδὼν,vtrumque malū cutis exigua eſt excreſcētia,calloſa,& magna ex parte rotunda.Sed μυρμηκία latiore baſi,& ſeſsilis eſt, ac in ſcalpendo,& attritu mordentis formicæ ſenſum efficit, ἀκροχορδὼν autē anguſtiorē baſim obtinet,vt chordæ nexu ſuſpenſa eſſe videatur. Latinis verruca penſilis eſt.

Formicalis ruptura μυιοκέφαλον, eſt quæ ſi exigua adhuc fuerit, muſcæ capitis formam oculi paſsio præ ſe fert.quum amplius & eouſque ſuccreuerit, vt acinū vuæ repræſentet,σταφύλωμα nomen habet,aut vuatio, Latinis medicis. Si ſic augetur,vt extra palpebras emineat,μῆλον nominatur,ſiue veſicalis ruptio.vbi verò obducta cicatrice obduruerit,ἧλος erit,id eſt,clauus.In foramine vueæ,hoc eſt,pupillæ,hæ paſſiones fiunt.

Fractura κάταγμα Græcis,eſt oſsis fracti affectus: qui alioqui ruptura appellatur,Galeno teſte lib.iij.Meth.medendi:& de Artis conſtitut.Celſus Artium libr. viij. qui de fracturis,& ipſarum curatione plenus legitur.

Fraxinella,aliquibus Corrigiola,Lilium conuallium,& conuoluulus,ſuſpicatur: verùm quoniam ſub hoc nomine Fraxinella herbæ diuerſæ, innumeræque vocātur: quænam hæc ſit,adhuc hęſito,quare peritiores conſulendos moneo.

Fraxinus μελία,hæc arbor non ſolùm ab Homero in haſtis conficiendis, ſagittis, & vmbonibus,quòd materia ſua ſit idonea,celebrata eſt:ſed & Græcis,& Latinis priſcis & neotericis authoribus medicis, ad medendi vſum tum ſemen, quod officinis lingua auis,tum radicis cortex,veneratur:nam arquatis & ventre tumentibus radicis,& arboris medianus cortex in decocto valde commendatur.

Fragum βοτάνη,hoc eſt,quinque-folium gignens fructum ſui nominis.Quòd autem fragum rumex,ſiue lapathum ſit,falſum eſſe deſcriptio tota reclamat: quòd denique rubus idæus,& fragum fuerint idem, quicunque credit, longè fallitur: quod Scholiaſtes ſuſpicatus,aſſerit.

Fremium, verſore Gaza, Anemone eſt, vulgò herba venti:cuius genera tria à Dioſc.numerantur.Quere Anemone.

Frictio dura,eſt quæ corpus cogit:mollis,quæ laxat,& ſoluit:multa,quæ extenuat, & minuit:mediocris,quæ augēdi vim obtinet:aſpera,quæ ad exteriora pertrahit: leuis,quæ cutem in partibus retinet. Galenus lib.ij.Sanit.tuendæ.

Frigilla ἡ σπίζα,vulgò Beræa:hæc auis apud Latinos,vt Feſtus ſcribit, ex eo dicta eſt,quòd frigore hyberno cantet, & vigeat.Inter auiculas cibi melioris patinis adaptatur,& voratur.

Foſſula ſiue annulus βοθρίον,eſt vlcus cauum,anguſtum,purúmque in cornea na-

tum exiſtit oculi.

Formix,ob eius ſæuitiam,& veluti feritatem practicis medicis. Noli me tangere, morbus nomen accepit:gutta roſacea longè peior, quæ præire elephantiaſim ſolet. Eſt autem malignum adeò vlcus Fornix,vt ex remediis, etiam quæ congrua videntur,irritetur potiùs, quàm mitigetur,& in ſanas partes depaſcendo vagetur. Sunt qui Cancrum putent,ego ad phagedæna pertinere putauerim.

Fucus marinus,φῦκος θαλάσσιον, καὶ φῦκος πελαγικὸν,hoc eſt, fucus & marinus,& pelagicus,multis generibus complectitur, ſicut ſcriptum reliquimus in dict. Phycos thalaſsion.

Fulica,vel fulix ὁ κέπφος,vulgi appellatione Fouque:à quibuſdam etiam, vt refert Scholiaſtes,dicitur Diabolus,quòd fulua auis ſit.viuit in mari,ſtagnis, lacubúſque:frequentiſsima tamen ad ripas maris mediterranei prope Agatham Peſſulatũ, ex qua venti prognoſticum Aratus poëta ſumit: cuius interpres varia & multa de hac aue ſcribit.

Fumaria,& fumus terræ καπνὸς πόα,vulgaris notitiæ herba eſt,purpureo flore vndique decoratur cum numeroſis foliis candidioribus. Huius decoctum,ſiue per ſe, ſiue cum aliis,prurientibus ſcabie,ſanguinis aduſti,atríque copia,hominibus bene-facere certum eſt: Similiter qui de ea conficitur ſyrupus:& ipſius in aquam per imbricem vitreum extillatio,necnon quæ de ſucco componuntur Catopotia.

Fungus,& boletus μύκης,varius ac multiplex habetur, nauſeabũdum cibi genus, ac letiferum:cuius non minoris æſtimat facultates Dioſcorides, ſecundum videlicet locorum natiuitates,herbarum,& arborum diuerſas vmbras:necnon venenatorum cauernas. Quæ reſtant hic, reperies in dict. Boletus. Nos quoque ad amicum quod ſubeſt, Epigramma direximus vice admonitionis.

Annumeras inter fungos quod Agaricus vſu
Fertur,& à patria nomen habere ſua.
His errare modis medica ratione pudenter
Te ſcimus,& reſipis ſi modo fungus obeſt.
Fungus obeſt,virúſque ſuum per viſcera fundit:
Inficit & molli cætera membra cibo.
Actutum contrà bibitur ſed Agaricus omne
Funeſtum virus,perdomitúmque necat:
Difficilémque fugat languentem corpore febrim.
Quam fungus tacita ſimplicitate fouet.

Furfurea ſubſidentia,eſt quæ orobea peior exiſtit:hæc enim febris vbi adipem vniuerſum,& maiorem partem carnis abſumpſerit,atque iam profunditatem carnis & vaſorum obſederit,ſolidáſque partes corporis attigerit, apparet. Dicta eſt furfurea vrinæ ſubſtantia à triticei furfuris exquiſitè moliti,ſimilitudine. Interdum enim ſolius veſicæ patientis ſignum eſt,vt quibus in vrina craſſa, furfurea ſimul quædam exeunt,iis veſica ſcabile laborat:vt ſcriptum reliquit Hippocr. Aphoriſ. lib. iiij. Quære dict. Laminea ſubſidentia.

Furunculus δοθιὴν,tumor eſt abſceſſum præ ſe ferens,ex craſsis humoribus,in carnoſis plerunque partibus conſiſtẽs:mitis quidem, quùm in ſola cute coïerit:malignus autem,vbi ex alto in ſuperficiem,& ſummam cutem emergit.

Frumentum,quicquid ariſtas emittit,& per hyemem in herba, Scholiaſte cõiectore ex Cæſaris commentariis,eſt. Itaque Cæſar ipſe frumentandi cauſa quandoq; ſuos gregatim mittebat milites,vt deficientem in hybernis annonam repararẽt: quòd intelligeret ſuſpicor,genus omne ex ſegete triticum,& legumen nullam prorſus diſcrepantiam faciens. Quin à tritura triticum deriuatum ſanè eſt,hoc eſt,genus quodcunque farris,quod ſimpliciter non de frumento ſemine nobiliſsimo, de variis verò eſt intelligendum.

De lite

De litera G.

G*Aiacum* lignum ἐβένου τί εἶδος Dioſcord.deſcriptione lib.j. cap.cxj. Ebenus eſt:nulla etiam reclamante cẽſura. Palma ſancta, Lignum ſanctum, & Gaiacum lignum, arboris eiuſdem lignum eſt, neq; diuerſæ facultatis:quod tametſi Io. Agricola in treis diſtinxit diuerſas ſpecies, colore,pondere,& facultate diſsimiles : propterea à recentioribus medicis tria varia nomina, priſcis authoribus indicta quoniam incognita,tradiderit:illis quoque nominibus in treis ſpecies diſtinguere voluit. Habetur optimum quod nigrũ eſt,nullos habens venarum diſcurſus, factitij cornus lænore: cum frangitur,denſum apparet,mordens guſtu,atque adſtringens: ſuffitur iucundo odore ſine fumi tædio: recens autem ad ignem prolatum, ob pinguitudinem accenditur, & tritum ad cotem flaueſcit. Cætera per differentias arboris ex ipſo Dioſcori. petes. Morbis omnibus præſertim ex humore frigido natis ſalubre eſt: nam acrimonia, & amaritudine incidit,tenuat,terget,vacuat,propterea in curanda lue Gallica,& Italica ab Hutteno, Matteolo,& Ant. Gallo commendatur. Quid autem ſentiat Manardus lib.vij.Epiſt.iij.eſt conſulendus.

Gagates lapis,colore atro eſt,odore dum vritur bituminis,digerit admotus:in collis præcariis,& ſalinis frequens Dioſc.lib.v.cap.xcij. ſuffitu recreare vuluæ ſtrangulatus,& nidore ſerpentes fugare ſcribit.

Galanga, Actuario in pleriſque Arabas imitato,eſt radix ſubrubra,geniculata,intorta,grauis, ſapore acri, linguam admodum exulcerans: calida ſicca tertio ordine, odore & figura Cyperi,vnde quibuſdam Cyperus Babylonicus dictus. Dioſco.lib.j. cap.iiij. Quære dict. Cypirus,vbi plura.

Gallion γάλλιον, minutum Muguetum repræſentat,quanquam & aliud oſtenditur flore luteo:atque nomen hoc habet Dioſcorid. lib. iiij.cap.lxxxj. authore,quòd in contrahendo lacte coagulandóque caſei vires obtineat. Ramulos, foliáque Aparinæ habet ſimillima,& recta:florem in cacumine copioſum,tenuem,denſum,odoratum.

Galbanum χαλβάνη, liquor ferulæ Syriacæ, ſeu plantæ ferulaceæ in Syria frequentis,nõnullis Metopium vocitatum,grauiſsimum reddens odorem: impoſitum excalfacit, vrit,extrahit,diſcutit,menſes ac partus trahit ſuffitu. Cætera Dioſ. docet lib.iij.cap.lxxix.

Galiopſis, γαλίοψις, Scrophularia minor Geſn.eſt. Scholiaſte Cataria herba pingitur,videturque Labeo,id eſt,vrtica mortua:aliis Grypalma officinis appellata. Scrophula autem maior,ficaria,millemorbia à muſtellæ aſpectu retinet nomen. Dioſcorides verò libro quarto,capite lxxx.fruticem, caulem, & folia in totum habere vrticæ ſed leniora, & quæ grauem odorem trita reddant,ſcribit.

Galena Plinio lib.xxxiiij.cap.xviij. plumbi & argenti communis vena in mineris reperta,dicitur: quæ alioqui Græcis μολύβδαινα vocatur, & plumbago Dioſcorides lib.v.cap.l.

Galenus, medicus inſignis, & omni doctrinæ genere callens, vt ſuperarit ſcientia cæteros:è Pergamo ſiue Troia ciuitate Aſiæ emicuit Traiani temporibus vſque ad Anthonium Pium. Niconis geometræ,& architecti filius, qui compluribus voluminibus medendi artem, poſt Hippocratem, locupletiſsimam reddidit. Veniſſe quãdoque Romam dicitur, ſicuti ſcriptum reliquit in lib. Meth. med. ac cœlũ Romanum inconſtantiæ maximè accuſaſſe. Hunc omnes medicorum, dempto Hippocrate principem appellant.

Galia moſchata,& Sebellina, trochiſcorum,hoc eſt,rotularum, ſeu paſtillorum, nomina ſunt:quibus rarò per ſe vtimur,ſed in alias veniunt compoſitiones.

Galla κηκὶς, fructus eſt roboris,& cæterarum glandiferarum arborum: ea vel eſt emphacitis, id eſt, immatura, parua, nodoſa, grauis, ſolida, non perforata,

ſed magnitudine mediocri,ad ſcriptorium attramentum præſertim deligitur: Altera galla,maior,rotundiórque eſt, leuis,laxa, perforata, flaua, non tamen improbata: quoniam in vtraque aſtrictoria vis pollet,vt depræhenditur Coriariis.

Gallina ἀλεκτὸρις,familiaris & domeſtica auis eſt:cuius mas Gallinaceus,& euulſis genitalibus Capus,ſiue capo efficitur:quod nos diſtico hoc alluſimus:

Quem credes Gallum patrio ſuper alite,teſtes
Quos habet euellas,fiet & ille capus.

Quantæ autem vtilitatis auis vtraque valentibus , & valetudinariis ſit tam in cibis, quàm in decocto,Galenus, cum medicis poſterioribus, obſeruauit. Sed & inter aues omnes galinarum oua cæteris facilè prætulit:phaſianorum, & perdicum quanquam concoctu facilima,& nutrimenti optimi,poſtpoſuit tamen.

Galerita,& patrio nomine Alauda,Vergilio Syris,auicula parua eſt,ab Accipitre aue ſæpè depreſſa,apicem in vertice,pauonis modo, geſtans, quæ aſſa & in cibo ſumpta,cœliacos, Dioſcoridis ſententia,adiuuat.

Gallinago ὁ σκολώπαξ, inter phaſianos ſecundum genus videtur : Allobrogibus Rhodanum incolentibus phaſianus gentillis appellatur:cuius caro inter delicias laudatiſsima habetur , necnon à medicis peritioribus ſeculo noſtro ægrotis magnoperè cõmendata. Alexander Myndius ex Athenæo li. ix. Dipnoſophyſt. ſic ſcriptum reliquit.Eſt,inquit,Scolopax Perdice paulò maior:cuius dorſum verſicoloribus maculis diſtinctum eſt , teſtæque coloris figulinæ ſpeciem gerit , niſi quod magis rufum eſt. Graui eſt corpore,& breuibus alis,vt à canibus facilè capiatur : pulueratione gaudet, & ſicut gallinacei grano gaudet. Neque ergo gentillis Phaſianus pro Attagena deinceps vſurpabitur,quod tametſi Scholiaſtes ex poëta Myndio ſuſpicatus eſt:ſed ſecundum phaſinorum genus in cibis optimum.

Gallitricum pro gallicẽtro Ruellio videtur eſſe Horminum,hortenſe: olitoribus orualla , & tota bona appellata , aliquibus ſcriptoribus verbenaca recta , ob picturæ Hormini,& rectæ verbenacæ obſcuram breuitatem,iudicium difficile.Herba eſt foliis marrubio odorato ſimilis,caule ſemicubitali,quadrangulo, circa quem eminentiæ ſiliquis ſimiles prodeunt,quæ ad radicem ſpectant,in quibus diuerſum ſemen recluditur:ſiquidem in ſyluestri rotundum,fuſcumque inuenitur: in altero nigrum, & oblongum,cuius eſt vſus:agreſtis magis quoque ſatiuo viribus pollet. Dioſc.li.iij.capite cxxiij.

Galaxias lapis,quem aliqui Morochthum vocarunt , aut Leucographida:in AEgypto naſcitur , quo vtpote molli , & facilè liqueſcente, linteones dealbandis veſtibus vtuntur.Spiracula corporis obſtruere videtur, conueniens iis qui ſanguinem expuũt,cœliacis,& veſicæ doloribus,cum aqua potus: ſanguinis fluxum impoſitus velleri ſiſtit ſiue naribus,ſiue vuluæ,ſphynterivè prolapſo: atque etiam vlcera cohibendo explet.Eſt præterea Galactites lapis,qui,quòd lacteum ſuccum reſudet,ſic appellatur:cinerei coloris tamen eſt,ac guſtu dulcis : ad oculorum fluxiones & vlcera conuenienter illinitur tritus cum aqua & in pixide plombacea interdum conſeruatus, Dioſc.li.v.cap.xliij.

Gammacus ὁ ἀςακὸς,alioqui marinus Cãcer appellatus. Agathænſes Peſſularum Languſtam vocant. Maſsiliæ Phocenſium priſca Græcorum lingua ἀςακὸν nomen hucuſque retinuit. Eius cibus conficitur ad temperantiam ſtomacho haudquaquam imbecilli. Gillus in libello de piſcibus Gallicis,eſt requirendus.

Gaudium , eſt non perinde atque in ira cũ valido feruore ad exteriora fertur animata facultas,quin è contrario ſi quid antea fuit ei roboris, id nunc exoluitur, laxatúrque. Quum enim nimio gaudio laxata petit exteriora , diſcutitur , atque diſsipatur. Lege Ariſtot.de Polycrita nobili muliere repentino gaudio extincta : & Phylippide poëta pari fato occubuiſſe:& Gellũ de Diagora li.iij.cap.xv. Plin. li.ij.cap. liij.de Chilone, Sophocle,& Dioniſio Siciliæ Rege: Val.Maximum de Mortib. vulgaribus lib.ix. cap. xij. Pudore etiam mortuos Diodorum dialecticum,& Homerum.

Ganglium γαγγλιὸν , tumor eſt neruorum ex ictu , vel laſsitudine proueniens in pleríſque corporis partibus,præſertim verò in iis quæ mouentur , puta manibus extremis

tremis,ac pedibus:cuius quidem Celſus author eſt Artium lib. vij. AEgyneta lib.iiij. cap.xvj.Differt quoque à Nodis ſic vocatis, quia obliquè tantùm nodi mouētur, non autem verſus exteriora & interiora,ſicut ganglium: ſtupidum quòque quēdam dum premuntur nodi,ſenſum præbent.

Gangrena γάγγραινα, eſt quando pars aliqua corporis ob magnitudinem inflammationis,emoritur:neque tamen iam mortificationem cōfirmatam, ſed quæ étiamnum fit. Vbi verò pars perfectè & in totum emortua, ac ſenſu vitáque deſtituta fuerit,malum non gangrena,ſed σφάκελος,hoc eſt,Syderatio vocatur: ſcribente ſic Celſo lib.v.cap.de Gangrenæ curatione.

Garum γάρον,liquamē eſt ex inteſtinis piſcium ſale maceratis, ita dictum, quòd primùm ex Garo piſce confici ſolet:referente Plin.lib.xxxj.cap.viij. Gal.li. iij.de Alimētorū Facul. pen.cap.& Simp.facul.lib.xj.verſus finem.Dioſ.li.ij.cap.xxx.

Gargariſatus,medicamentum eſt,quod ex ſtillatitiis plantarum liquoribus, aut ex iure decoctorum,addita pro affectus diuerſitate compoſitorum differentia,componi ſolet,explanatore Plinio li.xxj.cap.xjx.& li.xxx.cap.iiij. vt retulit Fuchſius lib.iij. Compoſi.Medicament.

Garyophyllus flos qui ſylueſtris depræhēditur,herba Tunici Myropolis vocatur qui in hortis,aut vaſis ſeritur,coliturvè Vettonica:vel Britānica,quòd à regione illa: peruenerit ad nos,accepit nomen. Itaq; decipiūtur, qui Hyacinthum Græcorū, hoc eſt,Vaccinium Latinorum,Garyophillum florem,id eſt Britānicam,ſiue vettonicā, interpretantur.Dioſc.& Pli.Vettonicam videntur appellare,quæ Barbaro viola altilis deſcribitur:vulgaris plebs Armoirias vocat; à Garyophylli odore quem ſpirat,accepit flos nomen.

Garyophyllum,& Caryophyllum καρυόφυλλον,frutex in Oriente naſcitur,Sambuci forma, ſemine grano piperis grandiore, fragilioríq; ex atro ruſeſcente, in claui modum capitato, apertis in aduerſum quatuor denticulis ſeſe ſtellatim decuſſantibus.Non deſunt qui Garyophyllon repræſentent Buxi caudice,Lauri folio,ſed rotūdiore.Huius nec Dioſc.nec Gal.in cenſu Simplicium vllam fecere mentionem.Plin. in India quippiam piperis grani ſimile naſci tradit,quod garyophyllon vocatur,grandius,fragiliúſque:atque hoc in Indico luco gignitur.Hæc Ruel.li.j.cap.xxx.

Gazella animal feli domeſtico perſimile,ſudorem reddens ſpumoſum, calore inconſueto quando agitatur,inter nates præſertim,& axillas: qui ſudor officinis & popularibus Cibetta, poſtea appellatus, inter fragrantiſsimos odores excipitur vtentibus.Cætera petes in dict.Cibetta.

Genæ ſeu malæ μῆλα, rotundæ partes ſunt inter aures & naſum ad mali ſpeciem formatæ,quæ benè coloratis,& ingenuis,pudore effuſis,rubent.

Generatio, non eſt ſimplex quædam actio naturæ, ſed ex alteratione, formatione que cōpoſita.Vt enim os fiat,item neruus,vena,& reliquarum quælibet,alteratam eſſe opportet ſubiectam,vnde animal fit,ſubſtantiam.Vt verò congruētem figuram, & poſituram,& caua quædam,& vel enata,vel adnata, aliáque id genus habeat,effingi eam oportet, quæ alteratur materiam. Propriè autem generatio,eſt ſubſtantialis formæ in aliquo acquiſitio:corruptio verò,eius deperditio:quemadmodum augmentatio, maioris quantitatis acquiſitio eſt: ita quoque diminutio à maiore quantitatē in minorem mutatio.

Geniſta vulgaris notitiæ frutex:quidam σπάρτος,καὶ σπάρτιον,geniſtam noſtratem perperam tranſtulerunt,vt Geſn.exiſtimat:nam geniſta noſtras folioſa eſt,ſpartion nequaquam: tamen vtriuſque flores & ſuccus valenter trahunt, ob idque angi nis,hiſciadicis ſalubriter admouentur;& hydropicis ſumuntur.Dioſc.Spartion à Geniſta vulgari differt:ſed figura tantùm,non autem viribus.

Gentiana γεντιανή,Seguſianis, & Allobrogibus,quibus valdè nota habetur, non mutauit nomen:aliquibus Aloe gallica appellatur,ob præſtantes ipſius cum amaritudine vires,quibus aduerſus quódcunque virus,& venenum pollet.

Gentianæ inuentio primaaſsignatur Gentio Illiriorum regi, à quo cognomētum ſortita eſt.Dioſc.lib.iij.cap.iij.

Gingiuæ,carnes ſunt adhærentes maxillis,ſiue mandibulis, in quibus dẽtes infixi ſunt,qui numero triginta duo,aut ad ſummum viginti octo exiſtunt.

Gingidium γιγγίδιον,quaſi χαιρέφυλλον, quòd foliis luxuriet, dictũ : olitoribus autẽ Cerfoliũ nomen quotidianum eſt:cuius vſus frequens in acetariis ſanguinis adu ſti extenuãdi,repurgandivè cauſa eſitantibus,magna ſtomachi vtilitate: vrinam cit. decoctum ex vino potum veſicæ prodeſt.Dioſc.li.ij.cap.cxxxj.

Geranium γέρανιον, Amomum non eſt, vt quibuſdam falsò interpretatũ legitur: nam herba hæc varias in ſe cõplectitur ſpecies, qui diligenter natiuitatem contẽplabi tur,adoleſcẽtiam & maturitatem. Vulgus Herbariorum pro diuerſitate figuræ nunc hanc pedem colũbinum,nunc illam herbam robertinam, aliam,atque item aliam ro ſtrum gruis, acũ paſtoris, &corui-pedem;prout illis placet nomina inferunt:quæ facultate aliis aliæ validiores experiuntur. Dioſc.li.iij.cap.cxj.

Germen βλαςὸς, Græcis ſurculus, Latinis Palmes eſt, qui ad plantæ, vel arboris radices naſcitur:& plerumque apud Vergilium pro Virgulto accipi ſolet.

Gerontopogon,γεροντῶπογόν,à Nicãdro,γεραιῶπογον,id eſt barba ſenis:à Ciſpadanis populis Barbula hyrcina vocatur,quæ tamẽ differt à Tragopogone:altera quo que ſpecies Senecionis apud Nicandrum videtur. In monte Catti Allobrogum copioſa inuenitur.Ruellius lib.ij.cap.cxxxviij.

Geſtatio,quoniam in exercitiorum generibus annumeratur,eſt cuius quidem ope, aut iactu mirum-immodum aut morbos extenuare,aut ſomnos allicere veteres cona bantur:atque ideo primus Aſclepiades exhibuit,& lectum penſilem deinde Plin.excogitauit:necnon noſtro etiam ſeculo, vagientibus puellulis,ſiue infantibus. Sub geſtatione compræhenduntur equitatio,& vectatio.

Gethyum & gethyllis γήθυον,vulgari appellatione porreta,ciueta,ciboulla, aut ſi mauis cæpa incapitata eſt: quas omnes indiſcriminatim tractat Plin.li.xix.capite vj. Ruel.lib.ij.cap.cxxxviij.

Gethys,Morſus diaboli,ſed falſò,quibuſdam ſuſpicatur: & apud nonnullas Galliæ oras Salmunda,ſiue Sanamunda,appellatã eſt, quòd apud Rura icognitis medea tur morbis,atque abditis.

Geum,Braſſanolo,& Geſa.Diaboli morſus non eſt, quibus veriſimiliùs videtur eam eſſe, quæ vulgò Garyophyllata,aut Sanamunda, & Oculus leporis appellatur. Sed ad rei veritatem accedentes, Geum, Iaceam nigram officinis & herbariis appellatam,Diaboli morſum eſſe cum Ruel.li.ij.cap.cxxxviij.dicemus.

Gibbus,propriè eſt tumor dorſi,aut etiam pectoris,ex ſpinæ flexu enatus.Interdũ enim accipitur pro quouis alio corporis tumore,vt eſt Celſus author li.viij.cap.j.

Gingiuarum inflammatio παρουλὶς,eſt quæ circa dentes non ſoluta putreſcit:cui contraria ἐπουλὶς,id eſt,carnis eminentia iuxta dentium aliquem in gingiuis facta.

Ginglymon γίγγλυμον, tertia diathroſeos ſpecies eſt,qua oſſa ſeſe inuicem ingredientia coniunguntur:quemadmodum vertebræ inter ſe, ac humerus, cubitúſq; alligántur:quanquam in his quædam ſit differentia, vt Gal. author eſt in lib.de Oſsibus.

Gith μελάνθιον,nigella barbata,& quæ Romana dici quoque ſolet,& hæc hortenſis:altera ſegetalis reperitur. Quæ colitur in hortis,in medicinæ vſum venit. Dioſcoride authore libro tertio, capite ſeptuageſimoquinto. Repoſuimus cætera in dictione Melanthium.

Gladius ὁ ξιφίας, Maſsiliæ regionem incolentes Imperatorem piſcem hunc, à ſimilitudine enſis imperatorij picti gerentis, appellarunt:cuius caro rara eſt, ideo modici alimenti veſcentibus depræhenditur.

Gladiolus ξιφίον, neque iris cœruleo colore, candidovè, aut luteo, vt acorus noſtras,qui in flore ſpectatur,eſt:ſed ea herba videtur,quæ in altiſsimis groleanorum iu gis ſine flore,ſed cuius folium in gladij formam erumpens, & tritum fœtens, gignitur:retinuítque ab odore malè olente, fœtica ſpatha nomẽ Seplaſiariis,id eſt, gladiolus:& aliquibus phaſganion inachæronium, referente Dioſc.li.iij.cap.xviij.cui florem purpureum,& ſemen tribuit:quòd Iridi,non Xiphio,niſi Sparganium:profſpatha fœ-

tida, vſurparit, accõmodandum potiùs videtur. Quære dict. Sparganiũ, & Xiphium.

Glandula carnoſa πάγκρεας, corpus quoddam glanduloſum, carnoſúmque, quod extra meſenteriũ eſt, & quaſi intra lienẽ, ventriculũ, & iecur vacuum in dorſo explet.

Glandis magnitudo in pondere, denarii victoriati capit dimidium.

Glans, ſiue ſuppoſitum Barbaris, βάλανος, ex melle cocto & concreto, addito momento ſalis, & olei: aut ex ſola hierapicra, aut huius generis ſimilibus, componitur: & clyſmatum penuria aut difficultate iniiciendi clyſteris, imponitur. Quanta autem fingatur varietate, docent Methodici.

Glans βάλανος, roboris, & quercus fructus eſt aſtrictoriæ facultatis: eſt deniq; Iouis glãs, quam Caſtaneam, aut nucem vulgarem pleriq; interpretantur: quoniã Nux nomen generalius eſt ad quoduis genus fructus cortice duro ac lignoſo veſtitum: in quo genere Caſtanea comprænhenſa non eſt, cõmuniter vſurpatur. Quære dict. Nux.

Glans Sardiana, quæ alioqui Caſtanea, aut Lopima, aut glans Iouis appellata eſt, facultatis aſtringentis, & alimenti craſsioris flatulentíque habetur, ſimiléſque effectus præbet, quos roboris glans. Huius pulpa his qui Ephemerum biberunt, rite conuenit, referente Dioſc. lib. j. cap. cxxiij.

Glans vnguentaria μυρεψική βάλανος, myrobalanus officinis: fructus eſt arboris myricæ ſimilis, magnitudine auellanæ nucis, cuius nucleus græcarum nucum more tritus, humorem reddit, quo ad precioſa vnguẽta pro oleo vtuntur. Ea drachmæ pondere pota, lienem abſumit, cum erui farina & aqua mulſa, podagricis illinitur. Cætera Dioſcorides li. iiij. cap. cxlj. Repete dict. Balanus, & Myrobalanus.

Glaſtum, ſiue Iſatis ἰσάτις, herba guedda, & Paſtellus eſt: duplex habetur, ſatiuum, & ſylueſtre, vtrumque ſimile, atque eodem lanarum infectores vtuntur: ſed ſatiuum folium habet plantagini ſimile: verùm pinguius, nigriúſque: cuius caulis duûm cubitorum altitudinem excedit: ad pleraque efficacíſsima herba experitur. Sylueſtre glaſtum folia fert ſatiuo maiora, lactucaceis proxima: caules prætenues: multifidos, quadam-tenus rubentes: vires eaſdem, quas ſatiuum, pollicetur. Dioſcoridis ſententia li. ij. cap. clxxvij. Plin. lib. xxij. cap. j.

Glaucoma γλαύκωμα, eſt chryſtallini humoris paſsio, vbi ſcilicet ille ex humiditate in glaucum colorem mutatur: angulorũ oculi ſunt paſsiones. Manardus Epiſtolarum li. vij. Epiſtola ij. Plin. li. xxij. cap. j. AEgyneta li. iij. cap. iij. Eſt autem humorum lentorum inter corneam, & cryſtalloidem congelatorum effuſio: quæ à glaucomate diſsimilis perhibetur.

Glaucium γλαύκιον, Memytha officinis nominatur: ſuccus herbæ eſt ad Hierapolim Syriæ vrbem naſcentis, foliis ferè papaueris corniculati, à quo tamen quantùm differat, docet Dioſco. li. iij. cap. lxxxviij. & ipſius quoque extrahendi ſucci rationem. Græcis olim in vſu multo, & Arabibus: nunc ignoratur. Gal. lib. vj. Simpl. & Plinius, xx. li. cap. xix.

Glaux γλαύξ, herbæ loti pratenſis ramuſculis, folio, flore, & ſiliquis in quibus ſemen, niſi quia craſsior, & longiore diſcurſu humi repit, ſimilis videtur: in re medica nullius vſus, quam & in cibo animantia bruta dedignantur. Rura Malam domum, puto ob ſuæ facultatis, alimentivè inertiã, dicunt. Sunt qui volunt in hordei decocto lactis extincti reuocare vbertatem. Dioſc. lib. iiij. cap. cxxiiij. Plin. lib. xxvij. cap. ix.

Glauca vrina, eſt quæ velut cornu lucernæ politum pellucida eſt, dicitur color hic Græce ab omnibus Glaucus, qui Cæſius eſt: latiùs tamen patet Glaucus, nam præter oculos noctuinos, quos omnes Glaucos eſſe confirmant, multa quoque dicuntur Glauca, vt apud doctos medicos vrina Glauca, à cornu ſplendore nominata: quæ in corpore infirmo vitium proſtratas facultates prorſus ſignificat: ſuſpecta quoque iudicatur. Thyleſius hæc in lib. de Coloribus.

Glandularum inflammatio παρωτίς, eſt quæ ex glandulis auribus adiacentibus: fit, cui quidẽ correſpondet φηρεα, hoc eſt, prominentes, & oblongæ in glandulis, quæ circa aures ſunt eniuentiæ. Cur deniq; facilimè fluxiones recipiant, legendus eſt Acakia ſuper Gal. lib. ij. ad Glauco. Item Gal. lib. v. Meth.

Glandulæ

Glandulæ ἀδενὲς, ſunt in gutture, ſub auriculis, alis, & inguinibus, ex carne ſpon-
gioſa in duriciem attractione humorũ, contractæ: quæ nomine alio χοιράδες, hoc eſt
ſcrophulæ vocantur, ſiue tumores ex pituita naſcentes. Nã partes fauciũ, quæ vtrin-
que iuxta gargareonẽ ſitæ ſunt, à Græcis παρισθμια dicuntur, in recipiendis excre-
mentis idoneæ tũ ob ſubſtantiæ ſuæ raritatem laxitatẽque, tum quòd omnium par-
tium minimè robuſtæ habent naturales virtutes. Itaque facillimè omnium partium
fluxiones recipiunt, quia minùs moueri ad fluxum repellendum idoneæ ſunt: ob id
quoque ad apoſtemata recipienda prõptiores: Galeno cum Acakia, authore libro ſe-
cundo ad Glauc.

Glenoeides, duo ſunt ſinus in inferiore ſummæ vertebræ parte leniter caui, ab
ocularis ſinus ſimilitudine, appellati: ſed ſinus ſuperiores cum caput ipſum excipiãt,
non ab re ſunt maiores, infrà verò minores, qui vertebrã ſecundã admittant, vt ſcri-
ptum reliquit Gal. in li. de Oſsibus, cap. viij.

Gleſſum Germanis, vt eſt author C. Tacitus in libro de Germanicis moribus, Suc
cinũ eſt, Gallis Ambrũ: quod nos remiſimus in dict. Succina gutta, & Electrum.

Glycyrrhiſa γλυκύρριζη, id eſt dulcis radix, vt Largus interpretatur, vulgus My
ropœorũ Liquiritia deprauato Græco vocabulo, appellat. Fruticoſa eſt, ramis binũ
cubitorũ altitudine aſſurgentibus: foliis lentiſci, flore hyacinthi, fructu pilulas pla
tani magnitudine, in ſiliquis prodeunte lentiũ modo, radicibus nitet prælongis, colo
ris buxei, ſubacerbis, & dulcibus: ex quibus ſuccus excipitur, & dẽſatur, ad arteriæ aſpe
ræ ſcabritiẽ efficax habetur: vehementer ſitientibus exhibetur vel in ptiſana, vel in
ſyrupo: nam & renum calori ſubuenit cum melicrato.

Glycyſis γλύκυσις, caſta herba Latinis appellata, Pœonia eſt, à Pœone denomina
ta, poſtquã inuenta ab eo traditũ reperitur. L. Apuleio Aglaophotis, & Linæ ſacra: ea
quoque ratione Lunaticos, hoc eſt Epilepticos, ſanare experimento tradidit Galen.
Patitur hæc ſimilitudine Lunæ: creſcente enim Luna, & hæc creſcit: minuente minui-
tur, id eſt viribus, non radice. Minuente Luna, ſi ſucco eius cum oliuo roſaceo mixto
Tertianariũ, vel Quartanariũ paroxiſmi principio ſi perungas, indubitanter libera-
bis. Radicẽ autem tacente Luna auulſam, ſi lunatico alliges, ſoluetur paſsio. Si quis à
Dæmone tenebitur, incenſis radicibus ſuffiatur, mox dæmon fugabitur. Nauigantes
tẽpeſtatem ſi patiantur, radices pro Thymiamate incendant, & ſedabitur tẽpeſtas. Il
lud planè obſeruandũ, quòd ne Luna creſcente vnguas, aut ſuffias, ſiue radicẽ legas:
nam nihil refert Lunæ vel augmentũ, vel defectus, ſi tantùm obſeruas herbæ radicis
collectionem. Intelligere autem prudens potes, quòd diuerſitate vſus omnis paſsio
corporalis, necnon & animæ, per prædictum vſum poteſt creſcere, & minui. Require
dict. Pœonia.

Glis ἐλειός, animal muri domeſtico ſimile, maiore tamen corpore, nutritur ac ſta
bulatur in arborum cauernis, & bonam anni partem ſomno conſumit: quòd non ine
ptẽ alluſit Martialis:

Dormitis nimium glyres, vitulique marini;
Non mirum eſt ſi vrus craſſa Minerua premit.

Hoc animalis genus carnem ſuillæ proximam habet, & in vſu eſt Centronibus, & vi
ciniæ quòd illic abundet: cui nomen indiderunt Marmotanæ. Plinius libro octauo,
cap. lvij.

Gnaphalium γνάφαλιον, Largo Centunculum, vulgaribus Officinis Cotonaria
appellatã: de qua ſcripſimus in dictione Centunculum. Dioſcorides libro tertio, ca-
pite cxij.

Glutinum ξυλοκολλα, præſtantiſsimum quod ex coriis bubulis cõficitur: id can
didum eſt, & tranſlucens, nigrum verò minùs probatur, quid preſtet Dioſcori. docet
lib. iij. cap. lxxxiij.

Glutinum piſcium ἰχθυοκόλλα, venter eſt piſcis cetacei: præſtat candicans, mini-
mè ſcabrum, & quod celerrimè liqueſcit, emplaſtríſque vtile, quæ cutem faciei eru-
gant, & extendunt. Dioſc. lib. iij. cap. lxxxiiij.

Gnidium granum κόκκος κνιδιός, id eſt, fructus, Thymelææ quæ Seguſianis arbor gentilis,& Mayum, propter ipſius florum luteorum tum pulchritudinem,tum abundantiam accepit nomen. Recentioribus medicinæ ſcriptoribus, Leo terræ ſuſpicatur, ſed longè à Dioſco. Thymelæa differt,necnon à Chamelæa: cuius deſcriptionem videbis lib.iiij.cap.cliiij. Cætera in dict. Thymelæa.

Gobius,& gobio γοβιός,piſcis minutulus eſt, ſed qui verſatur in petroſis fontium aquis,optimi cibi,concoctúque facilis:teſtis eſt Gal.quanquam Hiceſius mali cibi,ſuccique eſſe ſcribit,apud Atheneum: ſed intelligendum ſuſpicatur Scholiaſtes de his piſciculis,qui in fluminum oſtiis verſantur. De hoc piſce Auſonius ſcripſit non pauca in Moſella Dioſc.li.ij.cap.xxxviij.de marinis piſciculis intellexit.

Gomphoſis γόνφοσις, eſt cùm ad inſtar claui os oſsi infigitur: verùm id iam quoquomodò ambigitur, propéque ad σύνφυσιν accedit, quum ſcilicet quippiam penitus infixum eſt, vt ne tantillum quidem veluti dentes dimoueatur, vt Galenus ſcribit in Præfat.li.de Oſsibus.

Gonorrhœa γονοῤῥοία,nimia eſt præter voluntatem ſeminis excretio, citra pudendi tentiginem. Fit ob retentricis in vaſis ſeminariis facultatis imbecillitatem, aut ob aliud malum, quod ſeminariorũ vaſorum facultas mouet, veluti in comitialibus,& aliis vehementioribus morbis contingit conuulſionum, oboritur & interdum ex ſeminariorum vaſorum fluxione. Fuch. curatio docet li.iij.de Med.morb.cap.xlj.

Gorgylon γόργυλον ab AEgyneta, Hordylon ὕρδυλον à Nicandro, à Dioſc. Tordylon vocatam herbam,& recentioribus herbariis Carui,& Careon agreſte, interpretatum videtur, quòd Creticum Seſeli eſt: herbula eſt ſurculoſa, ſemine duplici, rotundo,ſcutulorum effigie,vt Tlaſpi,odorato,ſubacri, cõtra vrinæ difficultatem bibitur denarij victoriatti pondo cum vino. Dioſ.li.iij.cap.lij.

Goßipium ξύλον, lana xylina, vulgare nomen cui Cotonum, ſiue Bombaſa, & goſopium Italis appellatur. Fructum huius arboris præſcribunt, qui viderunt, quantitatis eſſe caſtaneæ: cuius cortice aperto grana coti, id eſt, lanugine plena ſub aſpectum veniunt. Pl.li.xix.cap.j. Superior pars AEgypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui Goſsipion vocant. Plures Xylon,& ideo lina inde facta xylina.

Gramen ἄγριωςις, ſeu gramen pecori eſculẽtum, radice eſt modicè frigida, & ſicca, parum mordaci, ſubſtantiæ tenuitatem ſortita exiguam: qua potu calculos interdum frangit. Nam gramen quod montanum eſt, pecora deglutiendo, iugulat. Eſt præterea gramen arundinaceum, καλαμαγρώςις,& gramen parnaſsi denſius fruticat cæteris, foliis hederaceis, flore odorato, candido, ſemine paruo non inutili: radicibus quinis aut ſenis, digitali craſsitudine, admodum dulcibus. Arundinaceum gramen, iumenta edendo necare traditur, & cætera huiuſmodi pecora herbam paſcentia: id iuxta itinera & vias naſcitur.

Granatus, ex carbunculorum genere præcioſus lapis eſt, rubet modo balauſtij, tranſparet: cor exhilarat, triſtitiam pellit, ob id inter medicamenta cardiaca miſcetur. Quære Braſſouolum li.de Gemmarum fragmentis.

Grando palpebrarum χάλαζιόν, tuberculum rotundum eſt,& trãſlucidum, morbillíque ſimilitudine, huc atque illuc mobili in palpebris obortum. Manardus li.vij. Epiſtola ſecunda.

Graculus ὁ κόρακιάς, auis garrula, Monedularum genus primum, quæ vocis humanæ æmulandæ ſtudioſa eſt, vt & aues effingat cæteras, cibo inutilis, ideo à patinis reiicitur, quia morbo comitiali obnoxia.

Granum lupini, cum ſemiſſe in menſura ſiliqua eſt.

Granum tinctorium κοκκος βαφικὴ, vermillio non eſt, quia ex Iuniperi planta eſſe gummi ſatis conſtat: neque etiam Minium, quoniam ex Minera eſt, cynnabaris ſpecies, ſed ex frutice ſurculoſo granum lentis effigie ramuſculis adhærens,& in inficiendis lanis aptiſsimum. Dioſc.li.iiij.cap.xxix.

Granum Thymelææ κόκκος κνιδιός, hoc eſt, granum gnidium, ex genere arboris gentilis, vt paulò ſupra diligentiùs expoſuimus.

Granedo κόρυζα, humor eſt qui à cerebro, capitis abundantia, ad nares defluit: cuius differentes tres inſunt ſpecies, Catharrhoös καθαρροός, Latinis Diſtillatio: qui fit vbi ad os ac fauces humor delabitur: altera coryza κόρυζα, quę noſtris granedo eſt, & fit dum ad nares decumbit humor: tertia branchos, Latinis raucedo vocatur: accidit, vbi ad aſperam arteriam humor diſtillat: ob varias cauſas accidere ſolet. Fuch. de Medend. morb. li. j. cap. xxiij. curationis eſt author.

Groſsi ὄλυνθοι, quæ erinei nonnullis vocãtur, & hæ ſunt medicamentoſæ, emplaſticæque: de quibus Dioſcor. latiùs lib. j. cap. cxlvj.

Groſsus ὄλυνθος, authore Plin. li. xiij. cap. vij. eſt ficus quæ nunquam matureſcit: differtque à carica pingui, id eſt, Dioſc. Groſſo, cuius vſus in medicinis eſt frequentiſsimus.

Grus ὁ γέρανος, auis aucupibus valdè nota, quæ, vt anſeres, gregatim regiones diuerſas æſtum appetens, volatu triangulari migrat. Hæc etiam per excubias, noctu, & die per vigilias ſecura tranſmare volando iter perficit. huius quidem auis caro excrementoſa eſt, itaque inutilis, vt anſeris.

Gula. ſiue Meri, ὁ ἰσοφαγός, communiter autem στόμαχος, via eſt quæ ab ore ad ventriculum cibum, & potum defert. Affectus gulæ explanat Gal. Locorum affect. li. v. cap. iiij. Quære dict. Angina.

Gummi κόμμι, pro omni arborum lachrima generalius nomen eſt. Eſt præterea gummi genus cognomine Arabicum, à quibuſdam Babylonium, aliis Sarracenicũ, ab antiquis authoribus priuatim nominatum non inuenitur. Solus Serapio Arabs ex arbore Acacia promanare ſcribit, quæ ſpina AEgyptia eſt: cuius meminit Plinius lib. xiij. cap. xj.

Guſtatiles affectus, ſunt ſapores præter naturam qui nobis cõtingunt: omnes quoque diſtinximus in dict. Sapores: & in dict. Animalium actionum noxæ.

Gypſum γύψος, materia eſt calci aut diſsimilis, modò ex lapide in fornacibus cocta, modò è terra foditur: vim habet aſtringendi, obſtruendíque: ſanguinis eruptiones, ſudoréſque cohibet: ſed potum, ſtrangulationis modo, iugulat: cui remedio eſt butyrum liquatum & multùm bibitum. ſi deeſt, oportet plurimũ oliuaceum, vel aqua mulſa. Dioſc. li. v. cap. lxxxj. & lib. vj. cap. xxiiij. Gal. li. ix. Simpl.

Gurgulio γαργαρεών, in extrema oris, & palati parte, quaſi carnoſa particula, ſuſpenſus apparet: poſterioribus medicis κίον, id eſt, columella, vua, & vuula, dicta eſt. huic ſubiacet lingua ad radicem oſsi hyſidi affixa: de qua ſuo loco.

Guttur λαρυγξ, Trachetæ arteriæ caput eſt, id eſt, aſperæ: conſtat ex tribus cartilaginibus: cui ori ſummo veluti operculum quoddam inſerta eſt particula quædam ex linguæ ipſius radice profecta, quam Græci ἐπιγλωττίδα, Latini ligulam, appellant, quòd ſcilicet figura linguam fiſtulæ referat.

Gymnaſia, motiones ſunt corporis per diuerſa exercitia: fortiſsima eſt enim exercitatio citata. Eſt & tertia, de his duabus compoſita, fortiſsimæ autem exercitationis finis eſt, frequens reſpiratio & ſpiſſa, ita vt vix reſpirare poſsint currendo. Eis neceſſe eſt, vt & ſudor multus erumpat ex corpore. Hæc exercitatio illis eſt neceſſaria, qui otio vacant, & humecta videntur habere corpora. Nemo ignorat quia velociſsimus curſus extenuat corpora, & omnes euacuat plenitudines, & fortiora reddit viſcerum membra, & rubicunda efficit, & digeſtionem fortiorum ciborum facilem reddit: quod propter calefit corpus. Hinc modis variis fit exercitatio, quæ ex Galeno deſcribitur apud Oribaſium in libro Medicinæ Compendium.

De lit

De litera H.

HAbitus bonus,eſt membrorum robur & integritas,ſeu corporis totius ſymmetria & robur:cuius membrorum color proportio eſt, & decentia à natura neceſſariò tradita. Nam ſummus exercitatorum habitus nec conſiſtere,nec mutare in melius poteſt: & qui ad ſummum bonitatis attingunt,periculoſi ſi in extremo cõſtiterint. Neq; enim poſſunt in eodem permanere,neque quieſcere: cùm verò non quieſcant,neq; poſſunt proficere in melius:reliquum eſt igitur,vt decidãt in deterius. His de cauſis,bonum habitum ſtatim ſoluere expedit, vt corpus rurſus nutriri incipiat:neque compreſsiones ad extremum ducendæ(periculoſum enim)ſed qualis fuerit natura eius qui debet perferre,ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes quæ ad extremum deducunt,periculoſæ:& rurſus refectiones, cùm extremæ fuerint, periculoſæ. Hippocrates lib.j. Aphoriſ.iij.

Hæctica febris,eſt quæ fit quando calor in ſolidis corporis partibus accenditur: genúſque febrium tertium eſt. Hæc aſsimilis eſt vaſi calido, quemadmodum enim hoc aquam quæ infunditur,calefacit,ita etiam Hæctica quæ in ſolidis partibus hæret,illiſq; infixa eſt,omnes corporis humores calfacere valet. Plura leges in dictio. Maraſmus. Curationis author eſt Fuch.lib.iiij.de Medend. morb.cap.x. Gal.ad Glauco. li.j. & de Different. Feb. li.j.cap.x.

Hæcticæ febris tres ſunt ſpecies,prima, cum inſitum humorem calor præter naturam iam obſedit: ſecunda,vbi carnoſum genus occupauit, & inſitum humorem iam depaſcit: tertia , vbi verè ſolidis partibus inhæſit. Quapropter febrium, quæ ex humoribus accenduntur,diuerſæ habentur ſpecies: concalfactus enim præter naturam ſanguis,Synochon:putris verò bilis in venis quidem,aſsiduam:in genere verò carnoſo,facit tertianam. Ad eundem modum pituita, & bilis atra, varias febrium formas gignunt:vt docetur per Acakiam lib.j.ad Glauc.

Hedera terreſtris. χαμαικισσὸς,hedera humilis,& reptilis dicitur:quæ quibuſdam neotericis herbariis Aſclepias,ſed perperam,interpretata eſt. De ea meminimus in dictione Chamæciſſus. Dioſc.li.iiij.cap.cx.

Hedera κίσσος,vna candida,baccis nigris altera, & croceis acinis tertia, qua olim poëtæ coronabantur:& ſterilis,quæ helix:& purpureis acinis quarta. Lachrima hederæ grandioris,eſt velut aqueus quidam liquor, ſicut aliæ omnes lachrimæ, calidiſsimæ eſt ab experientia facultatis. Corymbi hederæ huius per imbricem in liquorem deſtillati renum, & veſicæ indubitanter frangunt ſine vllo corporis interioris affectu. Quære dict. Corymbus.

Hæmatites,à ſanguinis colore lapis dictus:frigidus,aſtringens,excreſcentia reprimit,oculorum vulnera ſanat,ſanguinis expuitioni valet, ſiccat humores,ſed minùs, quàm Cadmia:nam ex humida ſubſtantia, non terreſtri,conſtat: Galeno teſte libro ix. Simplicium.

Hæmorrhois, & hæmorrhus Galeno, ſerpens eſt, nomen trahens ab effectu: cuius color pullus punctis nigris & albis inſignitus:minor viperis humiliórque eſt, cornu gemino fultus. Hæmorrhoidis morſu ſanguis fluit vndique, qui nec ſiſti poteſt quocunque artificio,concomitante cruciatu memorabili ad mortem:quippe percuſsi homines,ſanguine per os,& nares, totóque corpore effuſo,intereunt: vt in lib. Theriaces ad Piſonem ſcribit Galenus. In cuius etiam verba meminit Lucanus:

At non ſtare ſuum miſeris paſſura cruorem
Squamferos ingens hæmorrhois explicat orbes. Et rurſus.
Impreſſit dentes hæmorrhois aſpera Tullo:
Vtque ſolet pariter totus effundere ſanguis

Coricii preſſura croci ſic omnia membra
Emiſere ſimul rutilo pro ſanguine virus.
Sanguis erant lachrimæ quæcunque foramina nouit:
Humor ab his largus manat cruor, ora redundant:
Et patulæ naris ſudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis, totum eſt pro vulnere corpus.

Hæmorrhagia αἱμορραγεία, eſt copioſus, immoderatúſq; ſanguinis fluxus in quacunque corporis parte. Fit autē ferè tribus modis, ex vaſorū videlicet ruptura, vel exroſione eorundem, vel ex nimia apertione orificiorum in venis: nonnunquam etiam ex multa ſanguinis tenuitate, cum ſanguis ſecum magnam copiam ſeroſi humoris habet admiſtam: vt author Gal. in li. de Sympt. different.

Hæmorrhoidum euacuatio, aliud nihil eſt, quàm venarum, quæ ſedem ambiunt, explicatio: quòd per eas natura plerumque magnam atræ bilis copiam educit: ideoq; promanantes à multis, iiſque grauiſsimis morbis tutos, ſecuróſque nos faciunt. Quære AEgynetam li. j. cap. xxxv. qui de veneris, ſiue ſtupri commoda & incōmoda, poſt hæmorrhoidas, fuſiſsimè ſcripſit.

Hæmorrhoides αἱμορροΐδες, venarum ſunt in ſeſe explicationes dilatationesvè à ſanguinis defluxu ſic appellatæ. harum aliæ cœcæ, quæ ſcilicet intumeſcunt, & nihil aut parum admodum ſanguinis excernunt. aliæ apertæ, quæ videlicet certis quibuſdam temporibus panduntur, & ſanguinem emittunt. Fiunt autem hæmorrhoides propter copiam ſanguinis fœculenti & melancholici, quem Iecur ad ipſas reponit. Quære dict. AEmorrhoides.

Hemerocallis ἡμεροκαλλὶς Dioſcoridis lilium ſylueſtre eſt, folium & caulem lilij albi habens, porraceo colore, flores ex caule per ſingulos exortus terni quaternivè erumpunt, lilij diuiſura, colore perquam pallido, radix magna eſt atque bulboſa. Herbariis neotericis lilium conualium deſcripta legitur. Dioſc. lib. iij. cap. cxvij. Pli. li. & cap. xxj.

Halicacabus ἁλικάκαβος, ſolanum veſicatium, & alkekengi Dioſcoridi, & officinis appellatur: quæ quinta ſolanorum ſpecies exiſtimatur, ſicuti ſcriptum reliquimus in dict. Solanum.

Halica, fit ex zea, quam dicoccon appellant: plus alit quàm oriza, aluum magis cohibet, & ſtomacho longè vtilior. repetenda eſt dict. Zea, & Speltha.

Halimus ἅλιμον, hoc eſt, Auro à Gaza verſum: Geſnero ea creditur arbor, quæ ſepimentis idonea eſt, in ipſiſque naſcitur, quam vulgus officinarum Blancamputam vocat: ſed hæc planta ſeculo noſtro ignoratur Scholiaſte coniectore Dioſcorid. lib. j. cap. ciij.

Halmyris ἁλμυρὶς, Braſsicæ genus ex Atheneo: halimus ex Aëtio accepit nomen.

Haliphlæos ἁλίφλοιος, glandiferarum omnium arbor valde deterrima, quæ noſtratibus Salſicortex appellari poteſt: cuius glans adeo amara guſtatu, vt eam præter ſues, & apros, nullum animal attingat.

Halus, herba eſt Gallis, quæ Venetis Cotonea vocatur, cunilæ bubulæ ſimilis, cacuminibus Tymo, dulcis & ſitim compeſcens. Pl. li. xxvj. cap. vij.

Halmades ἁλμάδες, vt opinatus eſt Ruellius, oliuæ ſunt, quæ condiuntur muria: nam totæ ſalſuginem edendo repræſentant.

Hammoniacum, liquor eſt reſinæ, aut gummi modo ſtillans ex ferulacea quadam arbore Cyrenaica in Aphrica propè Iouis Ammonis oraculum, vnde illi nomen. eius quoque frutex cum radice Agaſyllis vocatur. Quære dict. Ammoniacum.

Harmonia oſsium ſtructura eſt, per ſimplicem lineam à natura tradita: ſunt autem nonnulla maxillæ ſuperioris, & quædam etiam capitis oſſa ad hunc modum inter ſe iuncta.

Harundo κάλαμος, vulgò canna: in earum genere quędam ναστὸς, id eſt, fractior, vocatur, ex qua ſagittæ & haſtæ factitari ſolent: alia fœmina, qua tibiarum ligulas efficiunt. alia, quòd fiſtulis addita ſit, συριγγίας: alia craſſa & concaua, quæ à quibuſ-

dam

dam Cypria, aliis donax, appellata: atque huiuſm odi innumeræ habentur: quæ ex Dioſcoride diſcuntur libro primo, capite nonageſimoſeptimo. Canna noſtras radicem producit craſſam, carnoſam, & ſucculentam, qua optimè vtimur in emplaſtro diapalmæum.

Haſtula regia Apuleio Aſphodelus non eſt, ſed δὲ ὑδρομαλάχη, id eſt, roſa tranſmarina: maluæ genus prægrande hortis perfamiliare, vnum florem candidum, alterum rubrum autumno prorumpens: nonnullis malua tranſmarina dicitur: nullius in medicina vſus. Veruntamen ſeculi noſtri omnes medici Aſphodelon, Haſtulam regiam interpretantur. Quære dict. Aſphodelus.

Hebdomades circuitus dierum ſeptem numerus eſt. hæ autem ſecundum dies creticos hoc modo numerantur. Duæ quidem primæ à ſe inuicem diducuntur, ac ſeparantur: alterius enim hebdomadis initium octauum eſſe diem: tertia verò ſecundæ hebdomadis copulatur, vltima ſiquidem ſecũdæ hebdomadis dies, tertiæ etiam principium exiſtit. Repetenda dict. eſt Quaternarij circuitus.

Hecatheis ἑκαθῆς, ἀκονιτόν, neque Tora, neque para-leonis eſt, ſed Ouidij hecathes aconitũ, vulgariter *picechien* dictum: Ruel. Aconitum eſt. herba hæc quia prorſus nobis incognita, neque laboro.

Hebetudo, ſeu obſcuritas viſus ἀμβλυωπία, eſt oculorum ab immanifeſta cauſa correpta obſcuritas: cõuenit autem cum alio affectu, qui Græcis vocatur ἀμαυρῶσις, quatenus vterque fit ab immanifeſta cauſa. Differt verò, quoniam in hoc plenum eſt totius viſionis impedimentum: in ἀμβλυωπία ſola obſcuratio, non plenus defectus. Manard. lib. Epiſt. vj. Epiſtola vj.

Hedycroum ἡδυχρῶον, odoramenti genus eſt, ſiue potiùs medicamenti, quod commendatur à medicis tum veteribus, tum neotericis.

Hedyoſmos ἡδύοσμος, inquit Scholiaſtes, videtur ea eſſe mentha hortenſis odoratiſsima, quæ caule eſt ſatis craſſo: olitoribus Balſamus nominata, Galenus Simplic. libro ſexto, hanc diſtinxit ab ea quæ inodorata dapræhenditur: quoniam odor plantæ, Plinio teſte, fecit, vt eam herbam, quæ μίνθη priùs dicebatur, ἡδύοσμον Græci poſtea vocarent.

Hedypnois ἡδύπνοις, Intubi ſylueſtris genus eſt, foliis latioribus, quod quidem crudum edendo ſoluit: coctum verò ventriculum diſſolutum aſtringit.

Hedyſarum ἡδύσαρον, Securidaca, rura colentibus, cornuetam, quòd flos apicem Securis, ad cornus inſtar, habeat, ſecurúmque integram repræſentet, appellant. naſcitur vt plurimum inter ſegetes in aruis, flore purpureo & plurimo in ſtipite vno: nullius, quod ſciam, vſus.

Helioſcopium ἡλιοσκόπιον, quartum Tithimali genus eſt, foliis portulacæ, ramulis à radice ſtantibus quatuor, aut quinque, rubentibus, ſemipedali altitudine, lactei ſucci plenum. Pli. lib. xxvj. cap. viij.

Helenium, ἑλένιον, Inula, vel Enula campana vulgo appellata: hanc etiam, ſunt, qui Nepenthes Plinij lib. & cap. xxj. eſſe putãt cuius ſuccus vino miſtus triſtitia diſcutere dicitur, ac malorum omnium obliuionem inducere. neque tametſi bugloſſum eſt. Quære dict. Enula.

Helyoſelinum ἑλειοσέλινον, apij genus eſt, ſatiuo maius, in paludibus naſcens, locíſque humidis ſpontè proueniens.

Helenium AEgyptium, coniectore Geſnero, radicem eſſe eam, quam *Ben* lingua Arabum aliqui interpretantur.

Helichryſos ἑλίχρυσος, cotula odorata, chamæmelíque ſpecies, neque ideo Amaranthus, videtur, quæ Stechas citrina ſpectatur, ſcriptore Io. Agricola. Quære dict. Stechas, & Chryſantemon.

Heliotropium ἡλιοτρόπιον, Solſequium maius, quando minus reperitur. Cichorium, Scorpioides, Calendula ſuo flore quòd ſolem ſequi dicantur, ex Heliotropiorum ordine ſcribuntur. Scholiaſtes in Heliotropij magni deſcriptionem decipitur, quòd hæc vulgò herba Cancri dicatur, propterea quòd flores in caudæ Can-

cri ſimilitudinem flectuntur: potiùs cum Dioſcoride, Scorpij ſcribēdum: vnde ei Scorpioides nomen. Celſus herbam Solarem vocat.

Hierabotane ἱεραβοτάνη, id eſt ſacra herba: Apuleio verbenaca mas, pro qua Vettonicam vſurpauit Largus: quæ omnibus medicinæ ſcriptoribus ipſa verbenaca eſt, cuius pete Dict. ſuo loco repoſitam.

Helitis Dioſcoridi, ſquama æris diſcuſſa ex clauis Cyprio ære conflatis, quæ ſubtiliſsimæ eſt ſubſtantiæ, ſummâque deſiccandi vim habet: referente Galeno libro Simpli. ix.

Helix, hederæ genus tertium creditur, nunquam fructum ferens, folia producens exigua, vt ſcribit Pli. lib. xvj. cap. xxxiiij.

Helxine ἑλξίνη, muralis herba, & parietaria, à muris & parietibus in quibus naſcitur, officinis appellata eſt: differt tamen ab Alſine, id eſt, Myoſotide, quæ auricula muris interpretata eſt: ſicut ſcriptum habes in dictione Alſine. Eſt præterea Helxine ciſſampelos ἑλξίνη κισσάμπελος, quoniam foliis hederæ in vineis naſcitur, & volubilis minima Geſnero dicitur.

Hemicrania, doloriſica paſsio eſt, quæ circa dimidiam capitis partem aliquando dexteram, aliquando ſiniſtram contigit, & iuxta ſuturam ſecundum longitudinem eius extenſam terminatur. Hæc vt plurimum per circuitum exercetur, ac quibuſdam extra caluariam, quibuſdam in profundo capitis, aliis circa tēporum muſculos dolor ſentitur. Galenus Locorum affect. lib. iij. cap. ix.

Hemina menſura, ſex impletur cyatis, id eſt, Sextariis tribus, vel acetabulis duobus: pondere verò denarios ſexaginta. Sed AEgyptiaca hemina cyathos octo poſsidet, ſic ſolidorum continet cyathos ſex, miſtra duodecim, cochlearia viginti, miſtra parua viginti quatuor, ſcrupulos centum quadragintaquatuor, alibi quadrantem, vt Tryblion hemina: quæ miſtra magna tria capit, acetabula quatuor: nam magnum miſtrum acetabulum vnum continet, alibi libram vnam: hemiecthon capit menſuras chœnicas quatuor.

Hemionitis, vel hemionium ἢ ἡμιονός, lingua ceruina eſt, non Scolopendrion: quanquam lingua ceruina phyllitis videtur. Dioſcorides libro tertio, capite centeſimo decimonono.

Hemitritæus ἡμιτριταῖος, febris: cuius tota natura parte dimidia, alterutram tertianæ, & quotidianæ cōmiſtarum, vel tertianæ intermittentis, & quotidianæ continuæ, coniunctio humorum diuerſorum complicatione, ſit. Gal. lib. ij. de Different. febr. cap. viij. & x.

Hemeris ἡμερίς, Gaza ex Theophr. Plancidam vertit: ex glandiferarum genere arbor, trunco neque erecto, neque leui, neque excelſo, ſed caudice in orbem comoſo, contorto, ſinuoſóque, ramorum alis multis concauo, glande maxima, & poſt fagum dulciſsima, vt retulit Plin. lib. xvj. cap. vj.

Heptaphyllon ἑπτάφυλλον, vulgò tormentilla: à quibuſdam Biſtorta, quāquam & alia ſit eodem nomine, Hermolaus tamen ita nominandam cenſuit. non legitur apud Græcos authores, niſi ſub vocabulo Pemptaphyllon.

Hepiala febris, eſt cuius calor & rigor ſimul in omni corporis parte ſentiuntur, vt docet Galenus libro ſecundo de different. febrium, cap. ſexto. Idem ipſe libro de Inæquali intemperie, in febribus verò, inquit, quas hepyalas vocant, tum ab interno, tum exiguis portionibus, eoque vniuerſum corpus ambo ſentire videtur. Quum enim tenuiſsimis portiunculis aſperſum per corpus, tum calidum ſit, tum frigidum, nullam ſenſilem alterius portiunculam ita paruam deſumas, in qua non alterum ſit compræhenſum. In ipſa tamen acceſsionis inuaſione aliqui febrientium tum rigent, tum febriunt, tum ambo ſentiunt, frigus immodicum, & calorem vnà: verùm non eodem loco. Quæ reſtant hic ſcribenda, in dictione Lipyria febris petes.

Hepar ἧπαρ, iecur eſt, & ſanguificationis officina, molli amplexu à dextris ventriculum confouens: intrinſecus cauum, extrinſecus gibboſum. hic chylus per venas

meſer

meſeraicas,& ab inteſtinis per capillamenta venarum attractus in ſanguinem excoquitur:inutile autem in eo in ſaniem & bilem vtramque digeritur.

Hepatici,ſeu Iecinoroſi,quibus iecoris facultates imbecillæ ſunt,dicuntur: atque quibuſcunque iecur amiſsa aut languente ſua facultate irritas proprias functiones obtinet,etiam ſi multus dolor,aut tumor affuerit. Plura lecturus apud Gal.lib.v. Locorum affect.cap.vij.

Hepatica,lichen eſt in roſcidis petris naſcens: quamuis id nomen commune cum aliis quibuſdam habeat,Brion tamen aliquibus nominatur. Quære Lichen.

Hermodactylus ἑρμοδάκτυλος,veterum Colchicon, ſeu ephemeron, vt plerique hodie ſtatuunt,non videtur. AEgyneta tamen diuerſis locis, facultatibúſque, de rebus tanquam diuerſis,meminit. Hermodactyli duo faſtigia ſcribuntur,vnum radice digitali longitudine,quod Dioſc. Ephemerum videtur,odoratum, iris agreſtis appellatum. Alterum,radice rotunda,& ea foris vel nigra (quod Colchicon eſt ephemerum,& deleterum) vel rubente,vel alba,craſſa,ac modicè dura,& ex loco edito lecta: calida initio ſecundi ordinis,ſiccáque,& aduerſiſsima ſtomacho eſt. Dioſc.li.iiij. cap. lxxij.& lxxiij.

Hernia,ramex & ruptura κήλη eſt,quæ variis fit modis, perque adiectiones rerum opplentium,varias etiam appellationes accepit:quas ordine literario diſtinximus. Curationis author eſt Fuch.li.iij.de Morb.medendis,cap.lv.

Herpes ἕρπης,paſsio eſt quoties flaua bilis pura,nullóque humore alio admixto, excreta in aliqua parte conſiſtit:quòd ſi ſubſtantia craſsior fuerit,& acrior,totam cutem ad ſubiectam vſque carnem exulcerat. Si verò tenuis,& minùs acris fuerit calidáque,exiguas puſtulas milio ſimiles per ſummam cutem excitat,ob eámque ſimilitudinem κεγχρίας ἕρπης,Latinis miliaris herpes dicitur.

Heſperis ἑσπερὶς,viola lutea χρυσόκομον,ſeu χεῖρι Arabum, non eſt. heſperis autem flos eſt colore rubicundo, candido, & interdum mixto: cuius odor quia olfacientibus gratiſsimus,caryophylláque nidor ſentitur: garyophyllata nomen poſtea accepit. Sed quibuſdam,quia veſpere plus redolet,heſperis appellata.

Hiberis,ſeu agriocardamum ἰβηρὶς,καρδαμαντικὴ. Eſt denique hyberis,nomine Lepidium,hortis familiaris,quam ob acrem mordicationem, & guſtatu odorē haud in ſuauem referentem,piperatam magnam olitores appellant. Dioſc. li.ij. cap. clxvij. Quære dict. Lepidium.

Hieracium maius ἱεράκιον,Cichorea ſacra eſt,vel cichorium,quæ à cæteris flore luteo ſolùm differt:nam tres habentur in agris peregrinæ inter ſe ſpecie diſsimiles, Intybum ſylueſtre,roſtrum porcinum,& dens Leonis,vt cum Ruellio coniicit Geſnerus. Nomen ex eo inuenit,cōiectore Scholiaſte,quòd ἱέρακες,id eſt, Accipitres, vulgò Sacres,ſucco herbæ huius oculorum obſcuritatem diſcutiant. Pli.li.xx.cap.vij. Eſt & hieracium alterum,quod & minus,id eſt,Intubum ſylueſtre,roſtrum porcinum,dens Leonis,& Tarthaſſacon,vulgò,vt exiſtimandum eſt,dicitur. Dioſco.libro.iij. capit. ſexageſimoprimo.

Hippogloſſum ἱππόγλωσσον,Laurus Alexandrina Geſnero,Bonifacia Italorum Ruellio:Scholiaſte Lingua pagana:ad verbum interpretata dictio ſignificat magna, vel equina lingua. Itaque hæſitantium authorum varietas hucuſque fecit,vt hæc herba in manus poſteritatis incognita veniret. Dioſ.li.iiij.cap.cxvj. fruticem eſſe aculeatum ſcribit,& ruſci tenuis habere figuram,cum ſpinoſa coma: & in ſummo ſeu linguas è foliis exeuntes.

Hippocampus, piſcis magnitudine grandis, qui equus marinus reputatus eſt: Liguſticum, & Maſsilioticum mare incollentibus Caballus marinus nominatur. Sic enim dictus,quòd equino collo,& à fronte tanquam iuba quædam propendet. Huius quinetiam animantis caro dura atque inſipida edentibus depræhēditur:nullius quoque vſus,vel rariſsimi.

Hippolapathum ἱππολάπαθον,pagorum lingua,vel parella,vel patiētia eſt: herbariis magnū lapathū,quo foliis pro olere in eduliis olitores,& rura vtuntur, quibus

aluus non mediocriter ſinē moleſtia ſoluitur,exoneratúrque. Rhabarbarum mona- chorum hodie etiam noſtratibus appellatur, à radice, prægrandi, & craſſa, necnon intus colore buxeo: cuius facultas ad Rha-Seniticum,vulgò Barbarum,quodammo do accedit:atque ea interdum in Zulapiorum, & apozematum decoctis vtimur, & cedit ex ſententia. Seculi noſtri medici ſunt nonnulli, qui Rha-barbarum noſtrum vocent,neque ſanè incommodè propter eius facultates. Quære dict. Oxilapathum. Dioſcorides ex generibus Rumicis oxilapathon eſſe ſcribit libro ſecundo,capit. cen- teſimoſeptimo.

Hippomanes ἱππομανὲς,planta eſt fructu cucumeris erratici,folio autem nigrio- ri,tanquam papaueris,ſpinoſo hæc ex Crateïa Theocriti interpres.Huic enim inſunt folia vitis albæ ἀμπελόσλευ̃κη, & puſilli cucumeris ſimilitudine fructus: qui cùm maturuit totus colore croceus videtur. Balzamina aliquibus poma, aliis Hieroſoli- mitana,pleriſque autem mirabilia: ſed garantiam herbam vulgus,neque repugnat Geſnerus,ſi quis Hippomanes fruticem hunc,ſiue plantam hanc,eſſe dicat:cuius po- ma melenſana vulgò dicta, & amoris poma,producuntur.Sunt qui & Apocynon vo cent,hippomanes: Vergilius tamen vſurpat Georg. li. iij.pro materia infami, & no- uercarum proprium venenum.

Hippomarathrum ἱππομάραθρον, fœniculum agreſte, quod magnum appella- tur: producit ſemen cachryi ſimile, cuius radix iucundo eſt odoratu, & in potu ſtrangurioſis auxilio eſt: menſes impoſita ſiet. Dioſco. libro tertio,capit. ſexageſi- moſexto.

Hilum ἱλὸν,nigrum id eſt quod in ſumma faba viſitur:& vt ne quis dictionem ca lumnietur,non ſupremum plantæ fabæ,ſed fabæ ipſius grani nigrum quod velat in- tus germen eſt intelligendum.de his ſcribit Lucretius,verùm aliter.

Hippophaes ἱππόφαἑς,lappago videtur: Plinio Aſperugo. Etiā ex Tithimalo fie- ri optimū hippophaes apud Tegæam ſcribit Theophraſtus. Dioſ.li.iiij.cap.cxliij.

Hippophæſtum ἱπποφαιςὸν,quod,vt refert Dioſcorides, aliquibus hippophaes vocatur:naſcitúrque iiſdem locis planta vtraque ex genere Tithimalorum,quo exi- mitur ſuccus,qui hippophaës,& hippophæſtum,ex planta nomē,retinens,fullonibus deinde dictus.

Hippoſelinum ἱπποσέλινον,obuſatrum,ſiue,vt ex Theoph,Gazæ placet,Equapiū, non quòd equis conferat,appellatum, ſed à plantæ tantùm magnitudine.aliquibus Alexandrinum apium,aliis Macedonicum,ſicut repoſuimus in dict. Apium. Dioſco. li.iij.cap.lxxv. Pli.lib.xx.cap.xij.

Hippopotamus ἱπποποταμὸς,καὶ ἱππόκαμπος,marinus equus eſt,capite & col lo equino,roſtro quoque oblongo:& ſic ab eius fronte tanquam equi coma perpen- det:& eo loco quo equus iubam habet pilis diffluit:huius cauda draconis ſpeciē, ſimi- litudinémque gerit. Plinius li.viij.cap.xxxv. Gillius in lib.de piſcibus Gallicis, capit. viij. Dioſ.lib.ij.cap.xxj. Hippopotami teſtes exciccati,ac triti contra ſerpentum mor- ſus bibuntur.

Hippuris ἱππουρὶς, equiſetum,& cauda equina:quæ duplex oſtētatur, in riguis & ſcrobibus naſcens.cauliculi prodeunt inanes & vacui, geniculati,in ſe fracti,ſcabri, rubeſcentes,& iuncea circa eos folia,exilia,& crebra. Alterum eſt caule vnico recto, cubitali,& inani:per interualla couiis ornatur breuiſsimis & cādidis. Vtriq; vires aſ- ſignat ſimiles Dioſc.li.iiij.cap.xxxviij. Hanc etiam Caucū καύκον interpretatur Geſ nerus:culinariis mulierculis prela habet nomen,illis multùm expetita.

Hirci barbula τραγοπώγων,quæ ab aliis Come vocatur:breui eſt caule, foliis cro ci latioribus,radice longa,& dulci:magno ſuper caulem calyce,luteo flore adornato, & cùm ſenuit in pappos euaneſcente:ibíque ſemen nigrum inuenitur,herba eſui apta eſt. Quære dict. Tragopogon.

Hirundinaria, χελιδονιὸν, hirundinum auicularum herba, Eſt & humile che- lidonium,vulgò Scrophula appellatū: quorum remiſimus in dict. Chelidonium de- ſcriptionem.

Hirud

Hirudo,ſanguiſugæ,hoc eſt,hirudinis ſtagnantis verſicolore,ſerpens dictus eſt: cuius longitudine cubitus eſt,atque in aliquod animal veneno eiaculato repentinus incredibiliſque dolor ſentitur,non ſine cordis vegeta palpitatione, & corporis totius inflammatione,ſed extremis membrorum partibus frigidiſsimè ſtupentibus & ſomno letali ante duas horas,qui ictus fuerit,perit. Hirudinibus ſtagnantibus, præſertim verſicoloribus ad ſanguinis euacuationem vtimur:atque eas commendat Galenus in lib.de ſanguinis exuberantis in venis euacuatione.

Hirculus τράγος,frutex pumilus ingenti ſpica,à grauitate odoris nomen accepit, cum Gallica nardo ſemper naſcitur. Dioſ.li.j.cap.vj.& vij.

Hirundo χελιδών,piſcis,qui Maſsiliam colentibus, Lendola ſuo loquendi more, dicitur,& frequenti in vſu eſt,& editur variis culinarum,propter carnis inſipidæ neglectum,condimentis.

Hirundo χελιδών,auicula tranſmarina,quæ inter volandum per cœlum prædam venatur,garrula ſupramodũ,ædibúſque perſamiliaris, ſed ingrata, domino familias inſalutato,aliò ſe recipiens,abit. Eſt veris prænuncia,ſed medicinæ mirum-immodũ vtilis,quam homo tamen in cibis reſpuit:miros habet effectus eius cremata caro, vel tota ipſa auis,necnon per imbricem extillatio.

Hordeolum κριθὴ, abſceſſus exiguus, & oblongus iuxta palpebræ cilium marginivè ortus:πόσθια,quod præputio ſimilis ſit:alio nomine dictus eſt hic abſceſſus.

Hordeum cereale κριτὴ σπορίμη:legitur & trimeſtres,& diſticum ſiue Gallicum, ponderis & cãdoris eximij hordeum,vt in lib. Gal. de Alimẽt. vertit Greg. Martinus. Eſt deniq; ſylueſtre ſiue erraticũ,& lexaſticũ,id eſt,mundũ hordeum vt vocat Gallia,quia folliculo caſtratum vel ſpoliatum enaſcitur. Ex Ruell. hæc Geſnerus.

Holoſtium,vel holoſteum ὀλοστίον,καὶ ὀλόστεον,molle gramen, quòd ſine duritie ſit,dictum:vulgaris plebs dentem caninum vocat. Graminis autem genus varium,ac multiplex:cuius quære dict.

Homogeneas corporis partes eas eſſe,quas vnigenas ſuſpicamur,aut generis eiuſdẽ congenitas. Galenus ὁμογενῆ vocat febrem, quæ nomine alio dicitur συνεχής, cuius meminimus in dict. Febris continua.

Horminum ὅρμινον, Orualla, & Tota-bona olitoribus, & plebeiis nominatur: herba eſt foliis marrubio ſimilis:caule ſemicubitali quadrangulo, circa quem eminentiæ ſiliquis ſimiles prodeunt,in quibus ſemen diuerſum recluditur. In hormino ſiquidem erraticę rotundum ſemen,fuſcúmque inuenitur: in ſatiuo autem nigrum & oblongum,fuſcúmque inuenitur Dioſ. li.iij cap.cxxiij.

Humeri ὦμοι,vtrinque proniuent,pars ab ſummo humero ad cubitum vſq; pertingens, Græcis βραχίον,humerus,& brachiũ Latinis:os adiutorij recentioribus appellatur. Caput humeri veluti in duo diuidens tubercula prominens brachij eſt pars,quæ Græcis ἐπωμίς:proceſſus verò interior ſcapulæ,græcè ἀγκυροειδής,καὶ κορακοειδής, quòd ſcilicet ancoræ,vel roſtro coruino ſimilis ſit.

Humores quatuor numero exiſtunt,ſanguis nimirum, pituita, bilis flaua, & atra: quos Galenus li.ij. de Elementis animantiũ ſanguine præditorũ,elemẽta nominat. Sãguis ſanè calidus & humidus dulcíſque:pituita frigida & humida, qualitatíſque expers,vt aqua:bilis flaua calida & ſicca,ac amara. Atra verò frigida & ſicca,acerba, atque terrea. Porrò cùm humores hos calidos,frigidos,humidos,ſiccoſvè dicimus, tales eſſe non niſi poteſtate dicimus. Quippe diſsidet id quod actu,& ſecundum apparentiam tale eſt,ab eo quod potentia,ſeu facultate eſt. Poteſtate autem, quod adhuc futurum eſt:neque tamen ſubſiſtens. Actu enim eſt,quod iam præſens eſt. Gal. de Atra bile.

Humores qualitates ſuas ſeruant,cùm ſecundum naturam ſe habet animal: ipſiq; humores naturales,ac ſalubres à medicis appellantur. humor quoque vitreus pituitæ non naturalis prima ſpecies eſt à Praxagora.

Humorum ſiccitatis quatuorquidẽ differentiæ,ſeu abſumptæ hæcticæ fiũt: quippe quòd ſeniũ in ſanis eſt,id ſicca in ægris intemperies:itaque inſanabilis etiam eſt, ſi

prorſus

prorſus ſit conſummata,vbi ſolida ſimilarium partium ſubſtãtia reddita eſt ſiccior.

Humorum ſiccitas ſecunda,cum ea quorum ſubſtantia ex humore concreto conſtat, ſicut caro, & adeps, ſunt liquata. humorum tertia ſiccitas, cum propria humiditas vnde partes nutriuntur,omnino eſt abſumpta:cõtinetur ea in omnibus animalis partibus,ſeu ros quidam per eas ſparſus.humorum quarta ab iis ſiccitas eſt,quę in propriis cuiuſque exilibus arteriis,veníſque conſiſtit.Gal.lib.vij.Meth.

Humorum oculi primus vitreus,ſeu vitriformis,qui ὑαλοειδὴς dicitur:quòd ſcilicet vitro fuſo ſit ſimilis.Glacialis humor ſecundus, à præcedente nutritur, qui κρυϛαλλοειδὴς,quòd nimirum glaciei modo concretus ſit, nominatur. Tertius humor aqueus,qui ὑδατοειδὴς,ab aquæ ſimilitudine, appellationem habet: hic humor corneam tunicam ſuſtinet,ne in cryſtallinum humorem collabatur.

Humorum abundantia partitur in eam,quæ eſt omnium,vel vnius dũtaxat. Omnium humorum abundantia πλῆθος,καὶ πληθώρα,aut plenitudo, multitudóq; nominatur:cuius rei Gal.lib.xiij.Meth.& lib.ij.de compoſ.Medic.κατὰ τόπους, capit.j. author eſt.

Humoris à loco in locum tranſlatio ἀπόσκημμα, eſt quando humores qui priùs vnam partem infeſtantes,ea relicta ad alteram tranſferuntur.

Humores purgandi ſunt, qui duntaxat corpori moleſti appræhenduntur : nam ſi pituita redundat,corpúſque infeſtat,hanc omnino euacuare oportet:ſi verò bilis flaua,vel atra corpus moleſtat,abſtinendum à pituita, & bilis infeſtans euacuanda. Sic vbi ſeroſa humorum pars abundauerit,& hanc euacuare oportet. Vide Fuch. Compendij Medi.cap.xx.

Humerus ſeu brachium,adiutorij os eſt:nam brachium conſtat oſſe vnico, cuius ſupræmum collum omoplattæ caput brachij appellatur: voluitúrque intra concauũ oſsis omoplattæ,atque continetur.

Hyacinthus ὑάκινθος Græcis,vaccinium Latinis appellatur:creſcit enim vnà cum Satyrio in pratis,ſed odoratiſsimum florem gerit,prope-modum odore ſimilem violæ altili,ſed vehementiorem:& colore ac foliorum ordine,differt à Satyrio,éſtque radice bulboſa. Dioſc.lib.iiij.cap.liij.Ruell.libr.iij.cap.ciiij. Eſt denique hyacinthus alter,qui Græcis κόσμοσανδαλὸς Pauſania authore, & ex Ruell. interpretatione, flos hyacinthus dictus.

Hyacinthus,lapis precioſus,ruber viribus optimus:qui à fulgure, & peſte, omine quoque ſiniſtro geſtantes ſeruare creditur:miſcetur inter cardiaca, hoc eſt, cor roborantia,vt ex Serap.teſtatur Syluius.

Hymen ὑμὴν, virginale interceptum eſt, in medio vteri membrana retis formã habens:ex venis,& fibris cõtexta:quanquam inter rei Anatomicæ peritos ſatis cõſtat in virginum diſſectionibus pelliculam eiuſmodi nullam inueniri.

Hydrops ὕδρωψ,Latinis aqua inter cutem interpretatur:cuius ſpecies tres principales habentur:vna,ἀσκιτὴς, altera τυμπανίτης:tertia,ἀνασαρκὴ:de quibus ſuo ordine fit explicatio.Fit ſanè hydrops ob inſignem iecinoris frigiditatem, aut ob alias partes vehementer refrigeratas,quæ iecur in affectum eundem deducere valent.contingit etiam ex immodica hæmorrhoidum, & menſtruorum euacuatione, aut ex eorundem retentione,aut ab alia quadam magna veteri affectione,duritie nimirùm, aut ſimili.Curationem in integrum,& fideliter docet Fuchſius libro tertio de Medendis morbis : poſt Galenum in libro ſecundo, ad Glauconem, cum explanatione Acakiæ.

Hydrargyrum, ὑδράργυρον, metallorum omnium ſemen, ſiue germen, & pater: argentum quidem colore,liquida verò ſubſtantia aquam referens:vnde & nomẽ accepit.Huius duæ ſpecies ſunt, vna fodinarum,altera fictitia,quæ ex Minio eximitur coctura: Dioſco.cognitum vtrumque Gal.foſsile tantùm, neque expertum. Quære Arg.Viuum.

Hydnophylla ὑδνοφύλλα,herba quæ ſuper tubera creſcit : qua reperta præſertim ſubeſſe cognoſcuntur:vt aſſerit Geſnerus.Quære dict. Tuber.

Hydræ

Hydrelæum ὑδρέλαιον, oleum aquæ commiſtum: humectandi, molliendi, & penetrandi vim habens, vt eſt author Gal. lib. iij. Simpl.

Hydrocele ὑδροκήλη, hernia aquoſa, cum ſcilicet aqua in ſcroto colligitur. Quære dict. Hernia.

Hydrocephalos ὑδροκέφαλος, dolor capitis naſcens ex humore inter cutem, & pericranium, aut certè inter hoc & cranium collecto, vt ſcribit Celſus lib. iiij, cap. ij.

Hydrolapathum ὑδρολάπαθον, lapathi genus, quod in aqua naſcitur authore Plinio lib. xx. cap. xxj.

Hydromeli ὑδρομέλι, aquæ mulſæ genus, ex imbre puriſsimo & melle temperatum: & iam vetuſtate ſaporem vini referens. Nam quod recens eſt, & ad præſentem vſum confectum melicraton potiùs nominatur. Hydromeli quoque ex imbre puro cum melle temperabatur olim, quod daretur appetentibus vinum ægris. Marcellus in Dioſc. li. v. cap. ix. Pli. xxxj. cap. vj. Eſt inſuper liquoris genus, quod Græcis ὑδρόμελον, ex melimelitis portione vna, & duabus aquæ confectum, inſolatis ſimul per canis ortum: ex Dioſc. li. v. cap. xxj. Hydrophalos item, ὑδρόφαλος, torpidi humoris in vmbilico collectio.

Hydrophobia ὑδροφοβία, id eſt, aquæ fuga, morbi genus, cùm æger ſupramodum aquam expaueſcit, quod accidere ſolet iis, qui à rabido cane fuerint demorſi. Hinc hydrophobi, ὑδροφόβοι dicti ſunt ægri, qui aquã expaueſcunt, hoc eſt, quos canis rabidus momorderit. Pli. li. xxix. capit. quinto. De cura canis rabioſi. Dioſcor. libro vj. cap. xxxvj.

Hydropiper ὑδροπέπερι, herba eſt circa ſtagnãtes aquas, aut quæ pigro lapſu fluũt, naſcens, caule geniculato, robuſto, multis alis concauo: foliis menthæ maioribus, candidioribus, guſtu piperis amaro. Fructũ gerit acrem in ramulis, ſecundũ folia, continenti acinorũ ſerie congeſtũ, vuæ modo. Dictũ hydropiper authore Gal. à piperis ſapore, & locis aquoſis in quibus naſcitur, qũaſi piper aquatile. Ruel. eam eſſe exiſtimat herbam, quam officinæ falſo nomine Eupatoriũ appellant. Dioſ. li. ij. cap. cliij.

Hydrops, ὕδρωψ, id eſt, aqua intercus, quòd ſub cute aqua naſcatur, qua corpus turgeſcit: huius tria ſunt genera, tympanites, cùm corpus ſpiritu magis, quàm aqua diſtenditur, pulſatúmque tympani ſonum reddit. Aſcites, cùm alimenta in aquam conuertuntur quæ inter inteſtina, & tunicam, peritonæon vocatam, velut in vtrem colligitur. Tertium genus omnium periculoſiſsimũ, & incurabile, hypoſarca appellatũ, quùm ſolidæ corporis partes in aquam reſoluuntur, vt corpus reddatur pallidum, & cadaueri ſimile. Celſus lib. iij. cap. xxj.

Hydropiſis ὑδρωπίσις, aqua intercus dicitur: de qua copioſiùs in dict. Aqua inter cus. Eſt & ὑδρουντεροκήλη, herniæ genus, quùm & inteſtinum in ſcrotũ delabitur, & aqua ibidem colligitur.

Hypercathartica, id eſt, ſuperpurgantia, ſunt ex his valentiora viribus, aut quãtitate, & quæ vacuato humore ſibi familiari, eũ deinde trahũt, qui ob tenuitatẽ, calorẽ, liquiditatẽ, eſt ad ſequendũ paratior: poſtremo ſanguinẽ naturæ maximè familiarẽ. Morſu enim ſuo venarum ad ventrẽ pertinentium ora laxant & aperiunt, vaſáque ipſa reddũt imbecilla ob fatigationem & intemperiem: ex Galeno hæc Syluius.

Hypercatharſis, eſt à medicamento purgante vacuatio immodica, quę fit rationẽ ſumentis, medicamenti, accidentiũ vtrique ſuperuenientiũ: vt eſt author Galen. lib. iij. Simpl. cap. xxvj. & xxvij. Syluius ſuper Meſue Theoremate iij.

Hyoſcyamus ὑοσκύαμος, altercum, & Apollinaris: quæ quoque Suis faba interpretatur, quòd eius paſtu ſues conuellãtur, reſoluantúrque, niſi mox fluuiatiles cancros ederint, vt refert Helianus. His enim fabis apros Erymãthios in Arcadia ab Hercule occiſos ſcribit Phylo in ſua antidoto, Galeno referente lib. ix. Compo. pharmac. Triplex inuenitur, primus, purpuraſcente flore, ſemine nigro, veneno abundans: alter, flore, & ſemine luteo, mitior: tertius, flore, & ſemine candido, ad ſanationes aptiſſimus: frigidus ordine tertio, ſiccus primo. Gal. lib. iij. Meth. & viij. Simpl. Dioſcorid. lib. iiij. capit. lix.

Hypericon ὑπερικον, aliis androſemon ἀνδρωσεμον, eſt, quaſi ſanguis hominis diceres: vulgaribus Perforata, hæc trita digitis ſanguineum ſuccum remittit, qua ex cauſa Androſemon vocatur: vrinam cit, menſtrua pellit appoſitum, tertianis, & quar tanis cum vino potum, liberat. Semon quadraginta diebus hauſtum iſchiadicis medetur, & articularibus.

Hyphæar ὑφαιαρ, viſcum quercinum, cæterarúmque arborum: abietis autem, & laricis lachrimam, non viſcum, hyphæar eſſe dicunt Arcades: ſic quoque Ilicis fructus appellatur.

Hypociſtis ὑποκιστις, roſæ ſylueſtris ſuccus, quam caninam roſam quidam vocăt, referente Scrib. Largo. Hypociſtis ad Ciſti radices, punici flore ſimilis, naſcitur: ſiccat & aſtringit magis, quàm acacia. Gal. lib. vij. Compoſit. pharm. Dioſc. lib. j. cap. cix. Syluius lib j. de Simpl. med. natura.

Hypochondria ὑποχονδρια, præcordia, lumbi, & ilia dicuntur. Sunt enim partes laterales vtrinque nothis coſtis ſubiectæ, hepati & lieni ſuperiacentes, & ſub cartillagine ſitæ, repete dict. Præcordia.

Hypochima ὑποχιμα, ſuffuſio eſt, qua oculi infeſtantur, vnde oculorum ſuffuſio appellata, id eſt, effuſio humorum lentorum inter corneam membranam, ſiue tunicam, & cryſtalloidem congelatorum. plura in dict. Suffuſio.

Hypogloſsis ὑπογλοσσις, caruncula qua lingua inferiori parti oris cohęret: ſic dicta, quòd ſub lingua ſita ſit: aliquibus Ramula eſt, de qua in ſua dict. plura.

Hyſſopus ὑσσωπὸς, aromatica herba eſt, & hortis perfamiliaris. Eſt etiam hyſſopus montana ſuper Regio lectulo abundans, non procul Bellicio ciuitate antiquiſs. in Seguſia prouinciæ Galliæ Narb. Quædam à Dioſcoride hyſſopo tribuuntur, quæ in Gallico noſtro deſyderari videntur. Cùm florum ſpica legendum eſt, aut cum turget ſemine. Gal. lib. viij. Simpl. Dioſco. lib. iij. cap. xxvj.

Hypopheum ὑποφεὸν, herba eſt in aruis, ſegetibúſque naſcens, cutæ foliis, ramis exilibus, ſuccum emittens papaueris viribus proximum. Nomine alio hypecoon Plinio dicitur.

Hypopium ὑποπυον, oculi morbus, cum pus ſub cornea tunica colligitur. Eſt hypopion item liuor ſub oculis contingens, à ſanguine compreſsis venulis exeunte, & ſub cute permanente: cuiuſmodi Latini medici Sugillata appellant.

Hypoſphagma ὑποσφαγμα, ſanguinis ſubter cutem diffuſio eſt, contingens ex venarum ruptura, ictu fuſtis, durivè iaculi alterius illati, ὑποσφαγμα Galeno ſanguineæ ſuffuſiones dicuntur.

Hyſginum ὑσγινον, plantæ genus inter herbas, quo color tingitur coccineo ſimilis, vt eſt author Plinius lib. xxviij. cap. vij.

Hyſtera ὑστέρα, ſunt folliculi, quibus infans volutus prodit in lucem, & quicquid infantem ex vtero ſequitur: hyſtericæ quinetiam mulieres dicuntur, quæ vteri ſuffocatione laborant: in quibus ſenſum, pulſúmque per interualla nullum, aut certe perexiguum percipere poſſumus: quam paſsionem hyſtericam appellamus, hoc eſt, matricis, vel vteri ſuffocationem.

De hit

De litera I.

IAculus ſerpẽs ab effectu dictus, velociſsimi, funeſtiſsimíque ictus. Is ſubit arbores, & vt iaculum obuiantibus ſe obiicit, & ferit, mórſque repentina ſubſequitur. hæc Galenus in Theriacis. Solinus de Iaculis ſerpentibus hæc quoque refert inquiens: Iaculi arbores ſubeũt, quibus vi maxima turbinati penetrant animal quodcunque obuiũ fortuna fecerit. Lucanus quoque:

Ecce procul ſæuus ſterili ſe robore transfert:
Torxit, & immiſit: iaculum vocat Aphrica ſerpens.
Perque caput Pauli tranſactaque tempora fugit:
Nil ibi virus agit, rapuit cum vulnere fatum.

Ianitor πύλωρος, meatus inferior ventriculi eſt, qui ex fundo eius explantatur: & inteſtinorum principium à quo primum Duodenum inteſtinum eſt cibum poſt ventriculum recipiens: ſecundum Ieiunum eſt, quòd nihil retineat, appellatum: tertiũ Ileon quòd ſubtile ſit dictum: in orbes varios implicatum: nam cum Ieiuno ſibi adhærente, regionem ventris inferioris elatiorem occupat. Inibi ferè Cæcũ anfractuoſum ſuccedit, medio inteſtinorum, quod meſenterium dicitur, modicè innitens. Hoc ſequitur Colon, craſſum inteſtinum, aliis carnoſius: quod à ſiniſtro rene ad dextrũ ſuper ventriculi fundum fertur, donec ſæpe-numero & lienem & iecur attingat. Vltimum ab ano inteſtinum eſt rectum, ſpinæ è directo incumbens ſpacioſum, excrementi receptaculum. Quoniam vltimum inteſtinorum eſt, aliquibus medicis poſterioribus rectum, ſiue fundum, anumvè nuncupatum: in quo ſecundum finem muſculi ſunt, qui quùm opus eſt, conſtringunt, materiámque retinent, deiiciúntque dilatando cum opus eſt ſtercus. Gal. li. v. de Vſu partium.

Iaſminum, & iaſſeminum ἴασμη, id eſt, viola odoraria: frutex topiarius eſt qui in hortis colitur: veteribus medicinæ ſcriptoribus, Geſnero coniectore, ignotus: ſed ab Actuario inter poſteriores Græcos Zambacus dicitur: Plinio Leucanthemon, ſi quidem cũ Car. Stephano nobis diuinare liceat, eã herbã fruticoſam appellabimus, quæ hodie apud nos multis in locis, pergulis rectis admoueri ſolet: vocat autem vulgus Iaſminum, ſi ſequi Plinij deſcriptionem volumus li. xxxvj. cap. xij. inquiẽtis, ramulos ei eſſe nunquam pauciores duobus in diuerſa tendentes, florem candidum, lilio rubro ſimilem, ſemine nigro, lato, ad lenticulæ dimidiæ figurã, multo tenuiore, radice herbacei coloris: quæ omnia Iaſmino noſtro conueniunt. Eadem, vt opinio eſt, videtur, quæ phalangites, & phalangion à Galeno vocatur: quòd à phalangiis morſis, auxilietur: quod idem nomẽ huic herbę adſcribit Plinius. Leucanthemi meminit Dioſ. in capite deſignato Anthemidi li. iij. & cap. cxxxj. cuius deſcriptionem fecit nullam.

Iaſpis: lapis virens ſtomachum & ventriculum attactu ſuo iuuat. Omnes quippe iaſpidum ſpecies appenſæ fœmoribus, partum accelerare tradit Dioſc. li. v. cap. xciij. Gal. li. ix. Simpl. & x. de Compoſ. phar.

Ibiſcus ἀλθαία, biſmalua eſt, quæ à vulgari malua differt: & ſpecies tertia, Alcæa, folia habens maluæ, ſed inciſa magis, ad verbenacam accedentia, caules tres, aut quatuor habet corticee canabino veſtitos. communis verò malua tota ſupina colligitur: atqui quæ Ibiſcus, in altitudinem tantam arboreſcit, vt pinnulas arbores pleriſque in regionibus æmuletur. Quædam eſt etiam, quæ flores veluti roſæ ſimiles autũno gerit, quos vulgus vocat, *roſes d'autre-mer*, vt alibi à nobis dictũ eſt. Videto Dioſ. li. iij. cap. cxxxix.

Iberis, ſiue cardamantica herba eſt, folia habens naſturtij, vere virentiora: caulem cubitalem, aut minorem, in incultis naſcitur, æſtate lacteum florem promit: quo tem-

M

pore efficacior eſt.tota herba cum ſemine cauſtica eſt ſinapi.Dioſ.li.j.cap.vlt. Quære dict.Lepidium.

Icterus ἴκτερος,bilis flauæ modò,& atræ quoque,per corpus vniuerſum effuſio: quæ regia,ſeu arquata paſsio,& aurigo appellatur.Fit interdum iecinore nihil patiẽte bilis effuſio ad cutem in morborum indicationibus: nonnunquam vbi citra febrẽ ſanguis ab extraneo aliqua occaſione corrumpitur,ac bilioſus efficitur, ſicut à venenatarum beſtiarum morſibus contingere conſueuit: aut propter inflammationem, aut naturalis temperiei iecinoris aut lienis permutationem, aut etiam ob imbecillitatem veſicæ bilis,atque aliis diuerſis cauſis. Vide eius ſpecies in dict.Bilis.Curationis author eſt Fuch.li.iij.de Meden.morbis,cap.xxj.

Icthicocolla,piſcis cuius corium glutinoſum eſt,quod ipſa nominis ratio oſtendit, vt coniicit Scholiaſtes:& vulgari quoque appellatione in occiduo mari Molüa dicta. Ego profecto piſcem referrem inter Aſellos marinos,hoc eſt,Merulos, ex eorum genere quoniam eſſe videtur,verùm carnis mollioris.Dioſc.li.iij.cap.lxxxiiij.

Idæa radix ἴδαια ῥίζα,herba idæa eſt,foliis ruſci, adhærent ei clauiculæ, velut pampini,è quibus flos.Ad omnia conuenit quibus adſtrictione ſit opus. hæc Geſnerus Dioſc.li.iiij.cap.xxxvj.

Iecur ἧπαρ,viſcus eſt,& venarum omnium principium,& in dextra hypocõdrio tũ parte ſitum.Hoc in quinas magna ex parte diductum eſt fibras,quas λοβοὺς, Græci appellant:in quibuſdã tamen ne fibras quidem habent,ſed ex toto rotundum, minúſque rectum:quibuſdam duas,aliis plures,multis & quatuor obtinent. Ex maiore iecinoris fibra parte caua,canalis vnus exiguus ibidem bilem in veſicam ſibi appendulam deriuat,quam Græci κύστιν χοληδόχον, Latini veſicam bilis ſuſceptricem, bilis folliculum,& veſicam fellis nominant.Iecinoris imbecillitas ab intẽperie ipſa producitur calida,frigida,humida,vel ſicca:cuius curationem petes ex Fuch.li.iij. de Meden.morbis,cap.xviij.explanationem autem affectuum Locorũ affect. libro quinto,cap.vj.

Iecinoris obſtructio,eſt quæ fit à flatibus vaporoſis,concoctúque difficilibus: interdum autem & à craſsis viſcoſiſque humoribus,in finibus venarum ex cima Iecinoris parte enatarum,per quas ex ventre & inteſtinis alimenti digeſtio ad iecur cõtingit.Cætera petes cum curatione ex Fuch.de Meden.morbis li.iij.cap.xix. Iecinoris ſcirrhoſi curationem habes ex Gal.& Acakia li.ij.ad Glauconem. In iecinore perinde atque in aliis viſceribus,ob eaſdémque cauſas,fit inflammatio: inflammatio autẽ iecinore omnibus quidem ex æquo in dextro hypocondrio dolor & grauitas eſt, qui ſupra ad iugulum vſque,infra autem ad ſpurias coſtas peruenit:tumor quoque dextri hypocondrij conſequitur.Curationis author eſt Fuch.lib.iij.de Med.morbis.

Iecorarius piſcis ἥπατος,quem Galenus inter molli carne piſces repoſuit: creditur is eſſe piſcis,qui alioqui Omphacinus appellatur.

Igne ἴγνη,apud Hippocr.Iſatis,id eſt,gueſda ſiue paſtellus,quo lanæ in Gallia Aquitanica inficiuntur,vt ſuſpicatur Ruell.Dioſc.li.ij.cap. clxxvij. Egnem nominat. Quęre dict.Glaſtum.

Ignis ſacer,inter vlcera maligna numeratur, vt author eſt Celſus libro quinto: eius ſpecies duæ ſunt,altera ſubrubicunda,aut miſta rubore,atque pallore, exaſperatáque per puſtulas continuas, quarum nulla altera maior eſt.Fit maximè in pectore, aut lateribus,aut eminentibus partibus,præcipuéque in plantis.Altera autem eſt in ſummę cutis exulceratione,ſed ſine altitudine,latum,ſubliuidum,& exedens.Quære dict.Eryſipelas.

Ilex glandifera ὁ πρῖνος,gerit glandem vulgari ſimilem : verùm multò efficaciorem glande quercus. Ea autem ilex noſtris in Gallicis regionibus rara eſt. Eſt deníque aquifolia ilex,Quiſquilia quæ appellata eſt,coccum tinctorium,Baphicum dictum,ferens paruo frutice,Geſnerus Vermillionũ interpretatur:& altera, quæ aquifolia magna eſt, Scholiaſtes Eſcarlatam,in gallia Narbonenſi frequentem, eſſe vult: fructu hyeme copioſo,ſed inutili.Ruſticorum vulgus Egreſſum vocat, ſed non de-

ſunt qui referant φελλόδρυν,id eſt,ſubiferàm arborem,ad ilicem.

Illecebra ἀνδράχνη ἀγρία,quibuſdam Soldanella,hoc eſt,braſsica marina, & tertia ſpecies Sedi.ſylueſtris eſt portulacæ genus,maiori ſemperuiuo ſimile,niſi quòd folia habet puſilla,ſed latiora,maculoſáque.naſcitur in petris,& ſterquiliniis.Ruel.lib. ij.cap.cxl.

Ilia,barbarè inuolucrum:in his εἰλεὸς, id eſt, voluulus, crudeliſsimus & exitialis dolor conſiſtit.Ilia autem ſunt partes imi ventris,inter coſtas ſpurias,& pubem poſitæ:à quibus iliaca paſsio,& voluulus:cuius petes dictionem.

Ilium εἰλίον,hoc eſt,os anchæ & coxæ ampliſsimum & valentiſsimum, atque ab regione illa ſic nominatum.ad iſchion quá recipit fœmoris caput,os iſchij,ante ad pudenda,os pubis & pectinis.

Imbecillitas,eſt quæ potentiam à ſuo ſcopo aberrare facit, quod accidit ſua ipſius ſubſtantia læſa,aut inſtrumentali morbo parte obſceſſa,aut vnitatis ſolutione. Potẽtiæ ſubſtantia offenditur intemperie,interdum quidem nuda,interdum verò cum humore.Quęre dict.Subſtantiæ reſolutio.

Impia herba,Græcis authoribus incognita:aliquibus Latinis poſterioribus, ob radicis ſuæ odorem reſpondentem caryophyllo, Caryophyllata dicta eſt:quanquam aliæ habentur quæ caryophyllũ folio & radice redolent.Impia Plin.li.xxiiij. cap. xix. vocatur Incana,roriſmarini aſpectu,thyrſi modo veſtita,inde alij ramuli aſſurgũt ſua capitella gerentes:ob id impiam appellauere,quoniam liberi ſupra parentem excellant:vel quòd nullum animal eam attingat, impiam appellare exiſtimarunt. Ruel. li.ij.cap.cxl.

Imminutio oculi,ſeu profunditas ipſius ἀτροφία videtur, quæ totum videlicet oculum minorem,depreſsiorémque reddit,vt docet Celſus li.vij.Manardus li.vij. Epiſtola decimaquarta.

Imus,ſiue inferior venter ἦτρον,καὶ ὑπογάστριον,pars ſub vmbilico incipiens ad pubem vſque protenſa,depræhenditur:quoniam venter ſuperior ſtomachus eſt, inferior verò venter inteſtina dicuntur.

Imperatoria,herba nonnullis eſt,quæ tribus veſtitur foliis,quorum mediũ in tres diſtinctum eſt partes:quæ è lateribus ſunt in duas,vt medium folium coronam ferè imitari videatur:quam nuſquam apud veteres,medici poſteriores legerunt. Imperatoriam Leonicenus eſſe Liguſticum opinatus eſt,ſed neq; ignorandũ plurimas herbas hoc nomine apud varias gentes circunferri.Quære dict.Silphium,& Laſerpitium.

Inguina βουβῶνες,dicuntur partes illæ corporis concauæ, pubi vtrinque vicinæ, tumoribus quibuſdam contra naturam,qui etiam Bubones Græco nomine appellantur,maximè obnoxiæ.plura in dict.Bubones.

Inguinaria,Inguinalis,Bubonium,& Aſter-atticus,ſub nomine diuerſo vna eadémque plãta eſt.vt ad dict.Aſter-atticus recurrendum.Plinius li.xxvj.cap.ix. Dioſ. li.iiij.cap.cv.

Impetigo λειχὴν,cutis vitium eſt,quod AEgyneta authore,celeriter in pſoram,& lepram tranſit.Neque is morbus eſt,qui aliquibus Hiſpana lues putatur,authore Calanio in li.de Inęquali intemperie.Fuch.li.ij.Parad.cap.xvij.

Incubus,ſiue Incubo ἐφιάλτης, καὶ πνιγαλίων à Themiſone eſt: malum vbi aliquis noctu grandi mole opprimi, inuadíque ab alio ſe credit,ſiue à ſuffocando, nuncupatur.ſiquidem præfocari in ea ęgrotantes videntur. Curationis Fuſch. author li.j. de Med.morb.cap.xix.

Inedia ſiue abſtinentia,eſt qua corpus tam ſanum,quàm ægrum vacuamus: euacuat non quidem per ſe,ſed ex accidenti,nullo ſcilicet accedente alimento in locum eius quod fuit vacuatum.Primùm quidem,vbi nihil prorſus vel cibi, vel potionis aſſumitur:deinde vbi non niſi quod oportet, & ad virtutis conſeruationem ſatis eſt. Verùm qui habent anguſtas venas,exigui ſunt ſanguinis,ideóque nec longam inediã ferunt,ſed quibus ſanguinis copia eſt.Gal.li.ij.de Temperamentis.Hippoc.lib.Epidemiarum vj.part.iiij.Aphor.xx.Plin.li.xviij.cap.v.

Inappetentia ſeu appetitus proſtratus ἀνορεξία, eſt cibi, potúſque omnimoda auerſio: quam ἀποσιτίην, Hippocrates appellauit: & appetitui prolapſo contraria.

Inæqualis intemperies duplex, vna quidem, in qua alteratio ſolius qualitatis, vt vſtio Solis: altera, in qua cum qualitatibus materiæ affluxus exiſtit, vt accidit in phlegmone: & hæc cum materia eſt, ſuperior verò intemperies ſine materia, vt medicis ſeculi noſtri appellare placuit. Quære dict. Intemperies.

Inflatio palpebræ ἐμφύσημα, palpebræ tumor œdematoides, hoc eſt, laxus & dolore vacans. Eſt præterea inflatio, ſiue apoſtema vento plenum, ſecundum barbarorũ locutionem, cùm ſpiritus flatuoſus nunc ſub cute, nunc ſub membranis quæ oſsibus circunfunduntur, aut muſculos ambientibus, coaceruatur. Porrò is colligitur interdum in ventre, & inteſtinis: itémque in medio horum ſpatio, & peritonei.

Inflammatio, eſt quando purioris ſanguinis, & mediocris defluxio, eam inflammationis ſpeciem, quæ totius generis nomen adoptans, parit: nam tumorum inflammatio petenda eſt in dict. Plegmone.

Infinitum, eſt quod fini nulli obnoxium apparet, vt ſummum Ens tẽporis præſcriptione non eget, quoniam Deus ſolus & æternus ipſe eſt: ſed quicquid fini alicui obnoxium ſemper eſt. Ariſtoteles infinitum multipliciter in libris phyſicorum ſumit, & accipit.

Infuſio ſeu dilutum, eſt liquor, in quo aliquid certo tẽpore citra elixationem maceratur. Diluta itaq; purgatoria, ſunt liquores in quibus medicamenta purgantia cõciſa, trita, vel in puluerẽ redacta, vel ſolida etiam, integráque macerantur: & tenerioribus, & delicatioribus varij roboris hominibus exhibentur, quòd eorum vſus tutior putatur. Fuch. comp. medic. li. ij cap. viij.

Infuſio altera præterea eſt, qua medicamentum fit melius: facultatem eius nunc maleficam auferendo, nunc bonam augendo, nunc in liquorem cui infunditur, tranſferendo, nunc nouam vt lubricam impartiendo: nec tamen omnis medicamenti virtus ſola in eum cui infunditur liquorem, tranſit: ſed cuiuſdam, vt caſsiæ fiſtularis, Tamaris Indici, & ſimilium aliqua quoque ſubſtantia.

Inſania μανία, fit vbi flaua bilis ſupramodum exuſta in nigram conuertitur. Hac correpti ferarum modo redduntur effrenes: vt etiam eos qui imprudentiùs illis occurrunt, malè tractent. Differt à phrenitide, quòd hæc enim citra febrem accidit: illa verò cum febre. Quære dict. Phrenitis.

Inſeſſus ſiue inſeſsio ἐγκάθισμα, eſt qui ex herbis, floribus, radicibus, ſeminibus, aliíſque eius generis medicamentis ex aqua & vino decoctis, factitatur: cui æger inſidet propter balnearum defectum, aut ægrotantis imbecillitatem. Vtimur his quinetiam in renum, & veſicę, coli, ſphynteris, & vteri malis. Compoſitionis eſt author Fuch. li. iij. Compoſ. medic. cap. xij.

Inſtitæ κειρίαι, alterius generis lombricorum ſunt, qui lati videntur: vocãtúrque à ſimilitudine quam obtinent. Ταινίαι etiam, hoc eſt, faſciæ, à latitudine ſua, & longitudine vocantur. Tricenum pedum aut ampliùs deiectæ ſunt ab aluo viſæ. Plin. li. xj. cap. xxxiij.

Inſtrumentaria corporis pars ab inſtrumento differt, quòd partes etiã nonnullæ ſimilares inſtrumẽta ſint. Inſtrumentum enim vocatur quælibet animalis pars, quæ perfectam edere actionem poteſt. Sic arteria, vena, & neruus ſunt inſtrumenta, non verò inſtrumentariæ partes.

Inſtrumentariarum partium tres principes ſunt vocatæ, cerebrum, cor, iecur: & quarta, teſtes, eò quòd ad ſpeciei conſeruationem faciant. Prędictis quatuor, aliæ quatuor ſubminiſtrant, vt pote nerui cerebro, venæ iecinori, vaſa ſeminaria teſtibus. Gal. li. j. Meth. Fuch. Compend. medic. li. j. cap. xj. Alex. Benedict. li. j. Anat.

Intemperies morboſa νοσῶδης, δυσκρασία, quòd in ſimilaribus fit partibus, dicitur: euenítque vbi qualitates primæ, ſeu elementa ipſa, à naturali ſymmetria commoderatione vè deflectunt.

Intemperies morboſa alia, eſt cùm animal intemperamenti vitio ægrotat: & hæc quidem

quidem duplex,æqualis ſcilicet,& inæqualis. AEqualis eſt quæ in omnibus intemperanter affecti corporis partibus æqualiter ineſt. Talis quidem intemperies Hectica febris eſt: omnes enim ſolidæ corporis partes æquè excalfactæ ſunt: itaque doloris expers eſt. Inæqualis eſt,quæ non in omnibus intemperanter affecti corporis partibus æqualiter ineſt: hæc aliàs in toto animalis corpore fit, veluti in ea hydropiſis ſpecie, quæ ἀνασάρκη, vocatur: & febribus iis quas Epialas appellant, feréque reliquis omnibus,exceptis Hecticis.

Intemperies duplex eſt,vna enim ſanitatis ſeu naturalis,quæ à media tēperie paululùm abeſt: vel in qua nulla functio animalis adhuc manifeſtè læditur: hinc perſpicuum fit,ſanitatis eſſe latitudinem quandā. Si enim ſanus quiſpiā imbecillius quàm alius ſecunda valetudine præditus functiones obeat, nondum verò læſas obtineat, intemperantior ſanè eſt,ſed nondum ægrotat. Quòd ſi verò ex ſanis alios temperatos,alios intemperatos ſtatuere cuipiam non placet,is alterum duorum cogetur fateri vel omnes ſemper ægrotare,vel vnam omnium eſſe intemperiem; quòd credere abſurdum eſt. Vide Gal.li.ij.de Temper.li.j.Sani.tuen.& cap.viij.libri de Cōſtit. artis.

Intemperierum vna quidem ſimplex,quæ vbi vna qualitas duntaxat à modo naturæ receſsit: altera compoſita,vbi complures qualitates à naturali habitu,& ſymmetria aberrant,vt ſi totum corpus,aut particula aliqua ſimul calefit & refrigeratur. Gal.lib.de Inæquali intemp.eiúſque interpres Calanius.

Intertrigines ſeu attritus παρατρίμματα,fiunt atterētibus & vrētibus in itinere pedes anguſtis calceis,confricatiſq; longa equi vectione fœminibus, & in ſumma ex mutuo partium inter ſe affrictu nata,atque inter vlcera adnumerantur.

Inteſtina ſex numero ſunt: primum & inferius rectum & longo ἀπευθυσμένον, vocatur,porrigitur ad ſedem vſque,quæ anus & podex,ex Græcis ἕδρα dicitur. Hoc ſequitur colon,craſſum inteſtinum,& aliis carnoſius: atque huic Cœcum coniūgitur inteſtinum τυφλὸν dictum: aliis monoculum. Poſt tria craſſa inteſtina hæc,ſequuntur tenuia: quorum tenue,aut gracile λεπτὸν Græcis,appellatur. Sequitur hoc ieiunum, aut νῆστιν nomine: atque vltimum occurrit duodenum inteſtinum,à lōgitudine duodecim digitorum dictum. Græci etiā δωδεκαδάκτυλον,& ἔκφυσιν appellarūt. poteſt quoq; dici exortus: quorū principiū eſt à pyloro,hoc eſt portonario,ſeu vētriculi fundi exortus. De quibus ſupra paulò aliter diximus in dict. Ieiunum.

Inteſtinorum leuor λειεντερία,paſsio eſt,per quam cibi donec coquantur non retinentur,ſed celerrimè prius,quàm mutationem faciant,dilabuntur. Inteſtinorū difficultas,& tormen,quòd in hoc malo vehementiſsimo torqueantur dolore,appellari poteſt. Gal. author eſt li.iij.de Sympt. cauſis. Repetenda eſt dict. Leienteria ſuo loco deſcripta.

Intermittens,ſiue interpolata deficiensvè, eſt quæ ſi extra vaſa putreſcit humor, ſuſcitatur: quòd eius acceſsio non perpetuò duret,ſed remiſsionem habeat, & ad infebricitationem deſinat. Ex ſe autem gignit alias tres,inter ſe differentes: Tertianam ſcilicet,quotidianam & quartanam. harum febrium eſt explanator ſuper Gal.ad Glauconem li.j. Acakia: & de Diff.febr.li.ij.cap.ij. Quære dict. febris: & Tertiana exquiſita.

Intybus,& Intubum ſatiuum κιχώριον κυπευτὸν,καὶ ἡ σέρις, vulgare cichoriū. Eſt intubus quoque erraticus ſubamarus: cui nomen commune,quo Schariolas, Ambubeïas,cichorias,voce ruſtica, Endiuiam intelligimus: de qua ſuprà in dictione ſua rationem reddidimus: & in dict. Cichorium.

Inturis κάππαρις, Græca imitatione olitoribus quoque vulgare nomen eſt, & plebeiis,aculeatus frutex eſt,qui in terra ſtratus magis in orbem euagatur: ſpinas vt rubus habet,in hami modum aduncas: folia mali cotoneæ,rotunda,fructum oleæ ſimilem. Plura lecturus in dict. Capparis. Dioſ.lib.ij.cap.clxvj.

Inula ἑλένιον, enula campana officinis dicitur,& primum lenij genus: cuius repetes dict. & Dioſc.lib.j.cap.xxvj.

Inuſtio, ſiue vlcus oculi ἔγκαυμα,ſordidum vlcus eſt, impurum, & cruſtoſum. In his autem oculorum vlceribus quatuor Galeni authoritate ſunt genera: quę in ſu-

perficie dicit contingere:cùm tamen primum,& ſecundum non inter vlcera reponã- tur,ſed ex humiditate corneæ fieri ſcribat Gal.lib.ij.de Sympto.cauſis : vt veluti per nebulam,vel caliginem,vel vaporem,vel fumum fiat viſio: tertium, & quartum ad ea quæ profunda vocat,pertineant. Vide Manardum Epiſt.lib.vij.Epiſtola ſecunda.

Ion,id eſt,viola omnis,& præcipuè nigra ſeu purpurea : quanquam in eodem genere eſt etiam alba,vulgò Martia,quod Martio menſe floreat,dicitur. Eſt & multifolium,ob id δυσώποδιόν Grçcis dictum,concolor priore, ſed plenior. Eſt quoque eius generis ſylueſtrior toto habitu ſtrigoſiore,magis ſerpens,flore purpureo in albũ languеſcente,inodoro. Has omnes ſequitur viola lutea odoratiſsima, quæ officinis Keiri barbaro vocabulo appellatur,in medicina vſus frequens. Quære dict. Viola. Dioſc. libro tertio,capit.centeſimodecimooctauo,& lib.iiij.cap.centeſimoſeptimo. Syluius lib.j.de Simpl.medic.natura.

Iouis flos διὸς ἀνθὸς,coccolourda,vel paſſa-roſa pleriſque herbariis ſuſpicatur:aliquibus carduus non aculeatus Plinij deſcriptione: ſed Phanorini Camertis aculeis armata ſic legitur:διὸς ἄνθος φυτὸν ἀκανθῶδες,coniectore Geſnero.

Iouis glans,& Iuglans Caſtanea vulgaris putatur, quæ à Galeno τὸ καςανὸν nominatur:Dioſcorides tamen Sardianas glandes Caſtaneas appellat : quas pleriq; alij Lopima,& Iouis glandes,eſſe voluerunt:lib.j.cap.cxxij.

Iouis flamma διὸς πυρὸς,Iouis flamma Plinij,vt quibuſdam placet,non eſt. Hæc in arborem altam,proſeramvè,& frondibus elatam expanditur perpetuis, ſempérq; virentibus,vt in ruſco maiore,non aculeatis:& hyeme media fructu rotundo in rubedinem verſante turget. Ruell.lib.j.cap.xcj.

Iouis faba διόσκυαμὸς, à quibuſdam hæc dictio pro hyoſciamo vſurpatur : quanquam res diuerſas eſſe poſtea viderit lector in Ruell.lib.ij.cap.xxxix.

Ips ſiue ipes,vermiculus eſt vitium oculos, vel botros erodens : Rhomanenſibus Allobrogum Serpillerius vocatus. vt Cis frumenta, Trips ligna, Sis veſtes, Midas fabam, Ips vites abſumit.

Ira,eſt quæ ſpiritum,& ſanguinem intendit,fundit, & calefacit : quinetiam cordis,& arteriarum pulſationes apparent maximæ,& validiſsimæ in iratis. Siquidem ira neminem hominem mortuum apud grauiſsimos authores legitur. Quære ſuo loco dict. Verecundia.

Irio ἐρυσιμὸν,herba eſt, quæ iuxta vrbes, ruitera, hortóſque naſcitur, & familiaris Parrhiſiorum pomeriis:foliis Erucæ ſylueſtris, cauliculis in lori modum lentis & obſequioſis,floribus luteis,ſiliquis in cacumine gracilibus,corniculatis,ſemine naſturtij,exiguo,vrentis guſtus. Eſt præterea Irio ſerealis ἐρυσιμὸν,cuius in dict. Frumentum explicatio eſt. Dioſc.li.ij.cap.cl.

Iris ἶρις,cum radice vulgaris notitiæ herba omnibus eſt:gladiolus à foliorũ figura plebeiis appellata. Eius flos nũc albus, nũc cœruleus : ſed qui cœleſtis in purpureũ tendens color quia cernũtur varius,quemadmodum in Iri cœleſti,à flore ſumpſit ſibi herba cum radice,poſtquam arida facta eſt, nomen Inter Irydes prẹfertur Illyrica, quam Illyridem vocare conſueuit Andromachus. Gallica quæ alba eſt, præfertur Lybicæ,vſurpatúrque à Gal.lib.viij.Comp.pharmac.ſed paſsim nobis hodie Florẽtina pro Illyrica obiicitur. Dioſc.lib.j.cap.j.

Iris agreſtis ξύρις,officinis Iris ſylueſtris,& ſegetalis eſt:copioſa in Rhomaneſiũ aruis,altera gladioli montani ſpecies. Præterea Iris ſylueſtris radix Gal.li. ij.Compoſ. pharmac.pro Ephemeri radicẹ videtur vſurpanda:de qua in dict. Hermodactilus, & Gladiolus.

Iſatis ſatiua ἰσάτις ἥμερὸς,fullones ea lanam tingentes gueſdum herbam eſſe aſſerunt. Eſt inſuper erratica ſiue ſylueſtris Iſatis,ſuperiore multò inferior. De vtraque meminimus in dict. Glaſtum.

Iſchia,oſſa duo dicũtur in poſteriore hominis parte oſsi ſacro,in anteriori mutuò κατὰ σύμφυσιν cohærẽtia: Latini medici coxẽdices appellãt. Horũ oſsiũ vtrũq; grãdi concauatum acetabulo eſt, in quo inſertum fœmoris caput circunuoluitur.

Iſchia

Iſcaidicus dolor grauiſsimus ἰσχίας, eſt circa iunčturam ἰσχίον, id eſt, ancham, accidit. Interdum & locus,& dolor coxendix dicitur. Contingit ob craſſum, pituitoſúmque humorem, qui in coxarum articulo concretus inſidet: ideoque malum hoc aſsiduæ cruditates,& immodicus rei venereæ vſus, aliquando etiam deambulationes concitatiores,& hæmorrhoides ſuppreſſæ,& vomendi conſuetudo intermiſſa,& purgationes menſtruæ,& excretiones impeditæ, & exercitiorum neglectus, conciliant. Ægyneta li.vj.cap.lxxvj. Fuch.li.iij.de Med.morb.cap.liij.

Iſchas ἰσχάς, Apios, id eſt, raphanus agreſtis, quod apium nonnulli ſylueſtre eſſe opinantur Plinio authore. Radix hæc iuncos duos ſiue tres ſpargit, rubros, tenues, qui à terra parum attolluntur: foliis rutæ, oblongioribus tamen,& anguſtioribus, herbaceis: ſemine paruo, radice haſtulæ regiæ, in formam pyri turbinata, rotundiore tamen, ſucci fœcunda, intus habet corpus candidum, extra cortices nigros. Iſto ſeculo medici ad emouendos ſudores & vomitum tempore inediæ vtuntur. Tetigimus de ea in dict. Apios. Dioſc.li.iiij.cap.clvij. Ruel.li.iij.cap.cl.

Iſchias ἰσχιάς, herba eſt radice cyperi, niſi quia colore nigro eſt, huius verò candido: quæ commanducata dentium dolores cedat. Atque hæc aliquibus Leuca cantha, aliis autem polígonatum deſcribitur. Plin.li.xxij.cap.xvj.

Iſocinnamum, frutex eſt præſtantiſsimi odoris, in iiſdem regionibus proueniens, in quibus cinnamomum,& caſia: quæ, Galeno referente, in verum cinnamomum migrat. Pl.li.xij.cap.xx.

Iſchuria ſeu vrinæ ſuppreſsio ἰσχουρία, eſt malũ, in quo ægris in totum vrina ſupprimitur,& cohibetur. Accidit interdum ob imbecillitatem, veſica ea quæ in ipſa continetur, arctè complecti ac exprimere non potente: aut eius ceruicis meatu à craſsis humoribus, aut lapide obturato: aut proter inflãmationem, ſchirrhum, tumorem, carũculam, callum, pus craſſum à renibus aut iecore in veſica concretum, fieri ſolet. Cu rationem docet Fuch.lib.iij.de Med.morb.cap.xxxix.

Iſopyrum ἰσόπυρον, phaſiolus Geſn. ſuſpicatur: ſed vt docet Scholiaſtes, Iſopyrũ eſt folio aniſo ſimili, ſemine guſtu referente Melanthium. Dioſc.li.iiij.cap.cvj.

Iua arthetica χαμαιπίτυς, Latinis Ainga, & Abiga appellata eſt. Retulimus de ea quæ opportet in dict. Chamæpitys,& Ainga.

Iuba φόβη, florum milij noſtri forma, ab equorum iubæ ſimilitudine nominatur: & quæcunque comam miliaceam gerunt, pro Iuba nomine habentur. Geſnerus.

Iuglans κάρυον βασιλικόν, nux regia eſt: nam quæ καρυὸν Græcis eſt, Latinis nux vulgaris: ab Actuario nux Indica dicitur. Nux iuglans dicit Dioſc. li.j.cap.cxlj. Quære dict. Nux.

Iuiubæ Zizipha,& Serica Græcis vt Actua. placet: fructus affinis Myxariis facultate: duplex quoque occurrit, Sericũ ſcilicet, quod eſt rufum, nobis frequens: & candidum adhuc regionibus noſtris ignotum. pro alimento à Gal.li.ij. Alimentorum, damnatur fructus: noſtra tamen ætas in zulapiorum vſum recepit frequentiſsimum.

Iülus ἴουλος, nucamentum floris loco depẽdens in Corylo & regia nuce, necnon in Alno arbore alioqui ſterili, qui dependet in vulgari nuce noſtra Iülus, in maximo vſu eſt ad promouenda mulierum menſtrua.

Iudicium κρίσις, in prǫſentia non eſt niſi ſubita,& præceps in morbo mutatio. Porrò mutatio hæc repentina modis quatuor fieri ſolet, aut enim confeſtim liberantur à morbis ægri, aut magnam in melius mutationem obtinent, aut ſtatim moriũtur, aut multò deteriores euadunt. Gal.de Criſibus: & li.ij. Aphoriſ. Hippocr. Commentario xiij.& xxiij.& li.j. Epidimiarum, comment.iij. Quære dict. Criſis.

Iuncus σχοῖνος, quòd ex eo, inquit Scholiaſtes, funes fiãt, Græcis dictus eſt. Multiplex autem reperitur, vnus craſsitudine & magnitudine inſigni, fungoſáque medulla in aquis viuens, Pli. Mariſcus dictus. alius eſt de quo fiunt lychnia pro lãpadibus, atq; hunc Scirpum appellamus: is verò de quo texũtur fiſcellæ, Oloſchœnos dicitur. alius item Melancranis, id eſt nigrum capitulum habens, fructum ramorum cohǫrentium modo gerens. atque alius Iuncus paluſtris σχοῖνος ἑλεῖος dictus.

Iuncus odoratus,qui & rotundus σχοῖνος,officinarum ſquinanthum eſt, σχοίνου ἄνθος,id eſt,iunci flos,quo Cameli animãtes quia veſcuntur,palea Camelorum Myropolis poſtea dictus eſt:ſed ab eo differt Iuncus mariſcus, Græcis ὁλοσχοῖνος appellatus. Dioſc.li.iiij.cap.xlij.

Iuncus triangularis κύπειρος,Cyperus,& vulgari appellatione Parrhiſiorum Sochetum effertur. Verùm Cyperus Babylonicus, vt doctis pleriſque placet medicis, Galanga ſuſpicatur. Cyperus Indicus Pharmacopolarum Terra merida vocatur. Quære dict.Cyperus.

Iuncus marinus, Gallis Iomarinus appellatur, cui paliuro frutici, vt ſuſpicatur Geſnerus, declinatio fauere aliquantulum videtur: an tamen paliurus ſit,non audet affirmare, quoniam in eo pro folio ſpina depræhenditur. Hanc plantam, Geſnero prorſus incognitam,tertiam Iuniperi ſpeciem eſſe,ſed infrugiferam,humiliorémque eſt coniiciendum.Ruel.li.iii.cap.xcix.

Iuniperus grãdior ἄρκευθος,alter humilior, quòd duûm ſit generum,putat Geſnerus. Baccas ſiue arboreſcat,ſiue humi ſerpat, Iuniperus profert ἀρκευθοῖδες dictas,ex quibus oleum exprimitur:ex viridi ligno per ſcrobes in fornaces actas de vrendo manat copioſa lachrima, quæ veriùs gummi, quàm liquor oleagineus, repræſentatur. Gummi iuniperi ab Hermolao vernigo,& plebeiis vernix dicitur.

Ixias ἰξίας,venenum, quod vlophonum etiam profertur: quidam vt author eſt Largus, Chamæleonthæ laticem exiſtimant.Ixine verò ἡ ἰξίνη ἄκανθα,achanthus ſeminalis eſt.Dioſc. libro tertio,capite octauo,& libro ſexto, capite vigeſimo primo.

De li

De litera L.

Labeo γαλί'οψις, vulgò vrtica mortua: quibuſdam Lamium videtur: frutex in totum caulem & folia habet vrticæ, leuiora, & quæ grauem odorem trita reddant:purpureo flore, tenui. naſcitur circa ſepes,ædificiorum areas,ac ſemitas vbique. Eius etiam meminimus ſub vocabulo Galiopſis.Dioſc.lib.iiij.cap.lxxx.

Labdoides,eſt os poſterioris capitis,id eſt,occipitis,ſimile Λ,literæ græcæ. Quod ſecundum naturā in capite habetur,priorem & poſteriorem partem prominentiorem oſtendit,in eo tres ſuturæ ſunt,ac duæ quidem tranſuerſæ:quarum altera in occipitio eſt, in ſyncipite altera, tertia à medio poſterioris, per capitis longitudinem, ad mediam vſque anteriorem extenditur. Anteriorem coronalem vocant,quandoquidem in ea coronæ potiſsimùm capitis parte collocantur. Poſteriorem à literæ, Λ, ſimilitudine lambdoeidæ nominant.harum futurarum figura,H, literæ præcipuè ſimilis eſt. Galenus libro de Oſsibus, capite j.Cætera in dictione Caput petes.

Labrum veneris δίψακος,vulgò carduus cardarius,& virga paſtoris officinis vocatur. Videtur & alterum eſſe genus,quod carduo fullonum ex Dioſcori.ſcriptis minimè reſpōdeat,li. iij. cap.xj. Aculeatarum generis eſt,caulem habet altum,ſpinis horridum,foliis lactucæ,ſpinoſis,binis,genicula ſingula complectentibus,prælongis,ſeu quaſdam bullas intus & extra aculeatas,in dorſi medio habentibus,concauo alarum ſinu,in quo imber,aut ros aſſeruetur.in cacumine caulis capitula inſunt echinata ſpinis.Cætera ex ipſo Dioſcoride elicies.

Labruſca ἄμπελος ἀγρία,vitis ſylueſtris dicitur. Eſt & alia exulceratoria labruſca,quæ οἰνάνθη Græcis quoque vocatur. Vitis ſylueſtris cùm floret, œnante vocatur fructus: hinc racemi ſuo tempore prodeunt, in quibus vis eſt aſtrictoria,& refrigerans. Dioſc.li.iiij.cap.iij. Quæ labruſca exulceratoria eſt,fert racemum,& corymbos hederæ:vocátq; eam vulgus Solanum lignoſum,quòd fructum, & folia hortenſi ſolano ſimilia habeat:præterea ſarmenta prælonga oſtentat inſtar vitis vuam ferentis,lignoſa tamen,aſpera,& corticem rimoſum habentia. Quære dict. Vitis.

Laburnum arbor olim doctoribus medicis incognita, niſi vni Plinio, qui ipſam alpinam arborem vocat,materia dura & candida: cuius florem cubitalem longitudine apes non attingunt. hoc in ſiccis montium rupibus Seguſiæ prouenit familiariſsima dependente flore luteo pedem longiore,forma qua geniſtarum flores ſubnaſcentibus ſiliquis:cui folia terna ſicut in Loto pratenſi,ſed maiora & albeſcentia. Vulgus Seguſiæ,& Allobrogum Mayum,& Leuitum,appellat.

Lacaphthum λάκαφθον,memoratur inter ea ab AEgyneta,quæ in heliaco vel magno cyphy adiiciuntur:& cortex piceæ,vel alterius arboris exiſtimatur. Ruel. lacaphthum cum naſcaphtho confundit. Vide in dict. Naſcaphthum.

Lac omne in vniuerſum boni ſucci eſt.corpus alit,aluū emollit,ſtomachū & inteſtina inflatione vexat. vernū tamen dilutius æſtiuo habetur, & è viridi pabulo aluū magis emollit. Probatur autē candidū æquali craſsitudine,quod vngui inſtillatū cogitur. Aluū minus tētat caprinū, quoniā hoc pecus aſtringentibus pabulis magna ex parte veſcitur. Ouillū autē dulce,craſſum,pingue,& ſtomacho parū vtile:bubulum tamen,equinū,aſininū vētri magis idoneū:ſed ipſum turbat. Cætera Dioſ.li.ij.cap.lxij.

Lacca gūmi gen⁹ inter recētes medicinas pleriſq; reputatur,atq; inter eas præcipuè Arab.inuētas. Verūtamen collatis Dioſ.& Serap. vnà ſentētiis, Cāchamon Arab. Lacca coniectore Io. Agric. deprætendetur. Vterq; enim lachrimā eſſe in Arabia naſcētis arboris inſinuat,quæ habeat aliquā myrrhę ſimilitudinē, & quòd viroſo odore in guſtu ſentiatur,ad odorem incendi. Repete Dioſco.lib.j.cap.xxiij.& dict. Canchamon.

Lactis ſerum, aquoſum quod intra ſe continet quodcunque implicitum eſt: quod vbi ſeroſa aqua à lacte diſceſsit, multò potentiſsima ad purgationes redditur. Datur

quibus

quibus ſine acrimonia volumus deiectionem moliri,vt melancholicis, comitialibus, leproſis,elephantiis,& erumpentibus toto corpore papulis. Lac recens ac emulctum nuper efficax eſt cõtra eroſiones malorum medicamentorum exhibitorum potum, & per clyſterem iniectum. Humanum lac dulciſsimum eſt,& maximè alit. Lac omne reſpuendum eſt ſplenicis,hepaticis,comitialibus,vertiginoſis, & neruorum vitio laborantibus,febriculoſis,& capite dolentibus:niſi ſi quis purgationis gratia interdum ſchiſtum ex lacte paratum præbeat,vt docet Dioſcori.li.ij.cap.lxiij.

Lactis defectus,eſt propter ſiccam mamilarum,aut totius corporis intẽperiem,aut propter ſanguinis boni paucitatem,& quia infans imbecillis non probè ex mãmis ſugit,quantò enim plus ſugendo ex illis adimit, tantò magis extrahitur. Curationem petes ex Fuch.li.ij.de med.mor.cap.xij.

Lactis redundantia σπάργανώσις,eſt quæ fit boni ſanguinis copia. Accidit interdũ ob lactis redundantiam vt mamillæ tumefactæ repleantur, & ſic extendantur, vt copiã eius vix ferre queãt:qui ſanè affectus grauis quidem periculoſúſq; eſt, ſi in inflãmationem pergat negligentia. Curatio eſt apud Fuch.li.ij.de med.mor.cap.xiij.

Lactis grumeſcentia θροϐώσις,eſt quum lac interdum in caſei formam trãſit:quæ nimirum fit ob lactis abundantiam,quando è mãmis minùs ſugitur:& deinceps à nimia caliditate, quod in eo tenuium erat partium digeſto, quod reliquum eſt,concreſcit. Idem etiam à frigiditate,vel à ſuapte natura glutinoſum lac,accidere ſolet. Fuch. curationis eſt author li.ij.de med.mor.cap.xiiij.

Lachryma oculi ſeu influxus,& pituitæ curſus,ἐπιφορά,eſt humorum omniũ ad oculos impetuoſus fluxus:ad hos quoque oculorũ angulos ſpectare delationes rheumatum videntur,quæ pituitæ curſum Celſus, Plinius delachrimationes, aliam rem putaſſe videtur ab Epiphoris:& certè latiùs patet ἐπιφορᾶς nomen apud Græcos:cõpræhendit enim quãcunq; humiditatum ad oculos delationem,ſiue per angulos,ſiue per totum oculum fiat. Eſt & vbi Plin. lachrimoſos oculos nominat, & lachrimãtes. Latini tantùm lachrimas vocant. Si quidem videntur aliquãdo oculorum anguli veluti eroſi περιϐεϐρωμένους vocant Græci medici. Manard.li.vij.Epiſt.ij.

Lachrymæ arborum δάκρυον κόμμι, dicuntur,quæ vbi deſtillarunt,in gũmi concreſcunt:ſed lachrymationum ſaliuæ,humores ex arboribus & herbis deſtillantes.

Lactea vrina,eſt quæ lacti ſimilis eſt, meliórque aquoſa & cryſtallina exiſtit:quæ autem intenſæ albedinis habentur, ſummæ cruditatis indices ſunt. A ſumma ſiquidem albedine parum recedunt lactea, glauca, & charopa vocatæ vrinæ. De ſingulis vrinæ coloribus ſuo loco tranſtulimus diuerſitatem.

Lactariæ τιθύμαλλοι,quoniam lacteo ſucco manant,Latinis tithymalli omnes dicuntur:de quibus ſuo ordine.

Lactoris plena lactis. hæc & lactaria, & anabula nunc dicitur. Huic eſt congener, inquit Geſnerus,ἔρινος πόα:oleæ folio,ſed minore,flore luteo. Sunt qui Dioſcoridis erinon faciant:ſed congeneres non eædem videntur ipſi Geſne. Vide Pli.li. xxix.cap. xviij. Dioſc.li.iiij.cap.xxv.

Lactes,ſunt inteſtina tenuiora ſiue graciliora,per quæ cibus labitur,quæ tria ſunt, atque iter ſe diſtinguntur,tenue, ieiunum, & pylorus:inuoluuntúrq; meſenterio,vt à ſpinæ cõtactu duro,munitiora,tutioráq; reddãtur. Pl.exiſtimat Lactes tantùm in hominibus,& ouibus dici, in cæteris autẽ animalibus Ile appellari. Vide dict. Inteſtina.

Lactuca θρίδαξ. Eſt præterea laticaulis lactuca, & ſeſsilis, tum denique ex caulis: & hæc aſtylis mulieribus appellatur. Quæ Laconica lactuca, vulgò capitata dicitur. Eſt etiam lactuca criſpi folij, inquit Columel. cap. iij. li. xj. quæ Cecilliana, & Betica à regionibus in quibus prouenit,appellata eſt.

Lactuca ſylueſtris θρίδαξ ἄγριος,plures habet differentias: ſed omnes lacteo ſucco,acri,medicato,caule candido,interdum cubitali,foliis ſcabris. Earum caprina vna: ſecunda eſopos,& in aruis naſcitur:alia meconis,ſed amara.

Lactuca ſylueſtris,coniectore Scholiaſte ſimpl.ſponte naſcẽs, vulgi appellatione Tarraſacon videtur:alij pro erratica Lactuca eam ſumunt herbam, quæ Endimia ve-

ra dicitur.alii Chondrillam,Lactucæ ſyluaticæ etiam ſpeciem volunt eſſe, quam populari voce apud Gallos Celtas, & Sequanos, Lacteronam, ſiue etiam Lanceronam nominant.Quòd autem lacte abundat Lactuca, ideo ſic dicta eſt itaque ſomnifera.

Lacerta terreſtre animal quidem eſt, quatuor inſiſtit pedibus, licet inter reptilia reponatur. Duum generum eſſe videtur,alterum cinericij, atque alterum viridis coloris,ſed vtrunque in dentibus habet venenum mortiferum. Dioſcorides tamen lib. ſecundo,capite quinquageſimoſexto,de eo ſic ſcribit: Lacertæ caput intritum & impoſitum aculeos,& omnia corpori infixa extrahit:ſi diuulſa admoueatur, ictis à ſcorpio leuamentum præſtat.

Lada vel ledon λῆδον,ciſtus ladanifera,ex qua ladanum colligitur:quod officinis priſcum ſeruat nomen.Quidam Ciſtum roſam caninam eſſe volunt.

Ladanon Gal.li. j. c. ij. κατατόπους, barbæ hircinæ ſordes appellatum fuiſſe teſtatur. Etenim generatio ipſius ex hircorũ barbis in quibuſdã regionibus accidit. Duo Ciſti occurrunt genera,vnum nomine Citharon,aut ciſſarõ: ramoſus frutex eſt, ſed improcerus,folioſus,ſaxoſis locis naſcens:foliis rotundis, acerbis, hirſutis. Flos maſculo,vt mali punicæ,fœminæ albet,& vtrique vis aſtringẽs.A ciſto hypociſtis, quòd in ipſius radicibus naſcitur,floris punici ſimilitudine:at hypociſtis quædam flaua,altera virens,tertia candida.Secundum ciſti genus eſt, Ledon à nonnullis appellatum, frutex ſimili modo naſcens vt ſuperior,longioribus tamen foliis,& nigrioribus:quę verno tẽpore quædam cõtrahunt pingue:fitque ex eo quod Ladanum dicitur. Maximè probatur odoratum,ſubuiride, facile moleſcens, pingue,reſinoſum: ſed quòd arenas non collegerit.Quære Dioſc.li.j.cap.cx.

Lanaria herba ϛρουθιὸν & radicula Dioſc.vulgaribus infectoribus lanarum Fullonum herba,& officinis Saponaria. Vide in dict.Struthion.

Lagopus, λαγώπους,καὶ λαγώπορος Hippocrati, leporinus pes eſt. vulgò herba trinitatis: quanquam diſſentiunt eruditi inter ſe, dicentes Chariophylatam eſſe, alij Dentem leonis:Dioſcorides non depinxit herbam, ſed vires tantùm libro quarto,capite decimoquinto.Ruellius libro tertio,capite lxxxv.leporis cuminum, & naſci in ſegetibus ſcribunt:& trifolij humilis genus. differtque multum à Caryophillata herba vulgò dicta,& à Sanamunda officinis nominata.

Lagopus item, auis Alpinas, de qua ſcriptum reperies apud Plin. li. x. cap. xlviij. Aliquibus tametſi hæc auis Lagois putatur.

Lagophthalmos oculorum vitiũ,cum ſuperior palpebra non deſcendit. Cui vitio cõtrarium eſt Ectropium, cùm inferior palpebra parum ſurſum attollitur,nec cum ſuperiore cõmittitur. Accidit etiã aliquo caſu vt palpebra ſuperior,aut tarſo inferiori,aut oculi albo,aut corneæ tunicæ ita agglutinetur,vt aperiri oculus nõ poſſit:συμφιῶντας AEgyneta:αὐκυλοβλέφαρον,Celus vocat,hoc eſt,inuiſcationem. Cætera in dict.Oculus.

Lamia ex genere vrticarum mortuarum eſt: Lamium,& auonium, & vulgò archangelica:Græcis γαλίοψις dicitur. Dioſc.li.iiij.cap.lxxx.Sub dict. Gatiopſis:quam repetes.Ruel.li.iij.cap.cxviij.Quære dict. Ακαλήφη,& vrtica.

Laminæ ſubſidẽtia πεταλώδης,ſquamis ſimilis apparet:atq; ea eſt.quæ foliorum plãtarum, aut ſquamarum,aut laminarũ inſtar lata & tenuis exiſtit. Hæc fit vbi ſolidæ corporis partes tabeſcere incipiunt: & quum quis ſanguinem, aut pus minxerit, aut ſquamulas, & grauis odor adſit, veſicæ vlcerationem ſignificat. Quære Hippo. Aph.lib.iiij.Vide etiam in dict.Similacea ſubſidentia.

Lampetra,non niſi carne differt à Muſtella piſce, qui Græcè γαλῆ dicitur. Eſt autem,vt refert Scholiaſtes,piſcis longus,tenuis, & lubricus,ſine pinnis, Murenæ ſimilis,colore nigricans,brãchiis detectis inſtar foraminum, quæ ſeptem vtrinque habet.

Lamproia noſtras vulgaris eſt.Plura de ea Auſonius in Moſella.

Lampyris,vermiculus noctu lucens:nonnulli Noctilucam, alij Nitedulam appellarunt,Cicindelam Larini.Vide Plin.lib.xj.cap.xxviij.

Lapathum vel lapathus λάπαθος, latinis rumex:generale nomẽ ad multas herbas. Eſt hortẽſe,folio lõgo & lato,herbaceo colore,& guſtatu acido:itaq; eduliis miſcetur,

eſtúr

eſtúrque præſertim in Segufiæ regionibus. Radix huius quia in altum terræ longitudine & craſsitudine ſua ſponte naſcendo porrigitur,atque caulſa foris ſubrufa,intus verò crocea vel fulua in rubedinem tendens apparet, plerique noſtri ſeculi medici etiam docti alterum Rhabarbarum, ac pro vero vtentes ſuſpicati ſunt. Cæterum quòd genuini rhabarbari facultas abeſſet,nec ex ſententia porrigentibus cederet, olitoribus remiſſus hortis irerum deſidet. Omnium ſiquidem generum Lapathi foliis decoctis aluus mollitur & inanitur:Rumex Latinis dicitur, cuius petes dictioné. Dioſcorid.li.ij.cap.cvij.

Lapathum agreſte λάπαθον ἄγριον: eſt & acutum guſtatu,non aculeis, quod ὀξυλάπαθον dicitur:equinum ἱππολάπαθον à magnitudine, irrigua colit, & ὑδρολάπαθον dictum. Sed oxalis grandior ὀξαλὶς, inter lapathorum ſpecies numeratur. Vltimum βουλάπαθος,id eſt bouis rumex,appellatur. Poſt Dioſcoridem,quære Galenum libro ſeptimo,ſimpl.& Syluium libro primo de Simpli.medic.natura: & Pli. li.xx.cap.xxj.

Lapidoſa ſeu petroſa oſſa duo ſunt,Græcis λιθοειδῆ dicta:& κροταφίαι,id eſt,temporales:vel lapidoides,id eſt,ſquamoſæ & mendoſæ temporum tabulæ. Gal. in libro de Oſsibus,cap.iij.

Lapidatio palpepræ λιθίασις,eſt cum in palpebris gignuntur candicantia quædam & aſpera lapidis inſtar oculum prementia: cuius contraria paſsio eſt ἵππος ab ortu oculi naſcens,ob quam inſtabiles ſemper ſunt palpebræ.

Lapis Armenius, quo finguntur catapotia laborantibus bile atra, præfertur læuis,colore cæruleo,per quam æquabilis,calculo carens,& friabilis.Eadem quæ Chryſocolla præſtat:ſed inefficacius.quinetiam vſum habet ad pilos in palpebris alendos. Cyaneus lapis,vulgò Lazuli,ad eadem præſtat, quæ, ſed inefficacius multò, Armenius lapis,congeſtus in catapotiis Arabum inuentione.Manardus libro tertio,Epiſto la quarta.

Lapis ſpongiæ tritus, ex vino potus, lapides renium rumpit, non autem veſicæ, quia tenuioris eſt eſſentiæ ſiue inſigni calore. Veſicæ autem calculos rumpere ſcribit Dioſcorides,ſi ex vino bibatur. Quære Galenum libro nono Simpl. & libro decimo comp.pharmac.

Lapidum quinque precioſorum,ſapphiri,hyacinthi, ſardinis, granati, ſmaragdi genera,cor multum iuuare creduntur:ob id cardiacis miſcentur. Vires autem roborandi ſtomachi in iaſpide viridi,ſi probauit Gal. potuerunt Arabes horum quinque Lapidum vires in cordis affectibus probaſſe, quos ob id poſteritas eſt ſequuta, hæc Syluius. Quære vnunquenque in ſuo ordine.

Lapis Iudaicus,quia in Iudea naſcitur,leuiſsimè tritus,potus renium lapides frangit,addunt quidam & veſicæ.Eſt nobis multus, Dioſc.elegantem picturam explens. Gal.lib.ix.ſimpl.

Lappa maior προσώπιον,alioqui Perſonata, quòd ex ea laruate perſonæ fingerentur. Vide in dict.Bardana, & Arction. Dioſcorides diſtinxit Arction à Lappa ſiue Perſonata,& Petaſite, id eſt, vulgò Bardana, propriis capitibus, li. iiij. de quibus ſuo loco tractamus.

Lappa ξάνθιον lappa minor eſt:cui aparine etiam venit eodem nomine. Eſt & Lappago, ἱπποφαὲς Græcis. Dioſc.lib.iiij cap.cxxii.ſub dict. Zanthium.

Lappago herba eſt ſimilis Anagallidi,niſi eſſet ramoſior,ac pluribus foliis,aſpera, rugoſa,aſperioris ſucci,grauis odoris:ſed quæ talis eſt Mollugo appellatur :ſimilis, ſed non aſperioribus foliis eſt Aſperugo.

Lampſana λαμψάνη olus ſylueſtre,ruſticis rauonella,& napus erraticus,trium foliorum tantûm vt vult Plin.lib.xx.cap.xj. Dioſcor. li. ij. cap. cviij. Lampſanam olus ſylueſtre facit:& tãquam vulgare & cognitum omnibus hoc olus eſt, deſcriptionem nullã tradidit. Radix, vt rapi, rotunda turbinatáque, cum tribus ad ſummum foliis eruitur,& vt napus coquitur,& editur.plus alit, quàm rumex, aut napus, rapumvè: & ſtomacho vtilius:cuius folia,cauléſque coquuntur in eduliis. Copioſa in cauarum

conua

conuallibus inuenitur.

Larix λαρὶξ, καὶ πίτυς, hoc eſt, picearum arborum ſpecies: cuius à radice prorumpit agaricus in Alpinatum montibus. Vide Pli.xvj. cap. x. Ex Theophraſtro arboris genus eſt cognatum Abieti & pino, nullam quantumuis longa ſenecta cariem ſentiens, neque ignem per ſe cõcipiens, neque vlla ratione ardens, eo quòd plurimum terreſtris & aqueæ habeat ſubſtantiæ, minimum autem igneæ aut aëriæ. Abũdat circa Eridani ripas, & maris Adriatici littora: vix alibi nota.

Laſer σίλφιον, laſerpitium eſt: neque verò herba, neque ſuccus.

Laſeris liquor duplex: prior quidem aſſa odorata, Gale. liquor ſirenaicus dictus, & Beniuinum vulgaribus medicis: alter aſſa fœtida ab odore officinis etiam cognominatus. Ergo ex arbore, aut ferulaceo frutice, non ex herba erumpit vtraque lachrima, ſiue liquor: cùm plerunque cortex adhærens viſatur: quòd nuſquam appræhenditur in herbarum ſuccis, niſi adulteratis impoſtorum malicia. Vide Pli. lib. xix. cap.iij. Dioſc.li. iij.cap.lxxvj.

Laſerpitium gallicum λάσαρον γαλατικόν, καὶ σιλφιόν, herba in Gallia cognita: cuius vulgaris appellatio apud herbarios Angelica, Imperatoria, & eius ſpecies Auſtrichea herba Allobrogibus nuncupata. Ex huius culmo exudat ſuccus roſcidus, quem vocãt Laſer, excellens in medicamentis, & in Cirenaïca prouincia laudatiſsimum. Caulem Laſerpitij Magudarim vocari author eſt Gale. quãquam non deſunt, qui ipſum etiam ſemen eodem nomine appellent. Plin.li.xviij.cap.xxx. Quære dict. Magudaris.

Lathyris ſiue eſpurgia λαθυρὶς, vulgaris cataputia minor eſt: aliquibus Tithymalus appellatur: eaque inter tithymalorum genera numeratur: Lathyris caulem emittit cubiti altitudine, & digitali craſsitudine, inanem. huius radix nullius vſus. totus frutex lacteo ſucco turget, vti tithymalus. Dioſc.li.iiij.cap.cl.

Lathyrum λάθυρος, cicerculam doctioribus interpretari placuit: folio non rotundo, vt plurima leguminum, ſed oblongo: caulis humi repens, vt piſo, quaterni, & inæquales grano ſunt anguli vt ſcribit Plin. Gale. ochris, & phaſelis non longè diſsimili natura lathyron conſtare prodidit. Ruel.li.ij.cap.xxxvij.

Latifolia πλατύφυλλος, arboris glandiferæ genus ex Theoph. quã nonnulli eandem putant cum Eſculo, à latitudine foliorum nomen habens. Plin.li.xvj.cap.vj.

Lauer ſiue ſium ζίον, berula quibuſdam creditur: quum ſium naſturcium aquaticum, id eſt, in fontium aquis naſcens creſsio videatur. Lauer itaque pro Berula, vt Sium pro Creſsione, vel naſturcio fontano, peritorum ſententia, comprobatur. Plin. li.xxvj.cap.viij. Dioſco.li.ij.cap.cxx.

Laurus δάφνη arbor mas & fœmina. Maris bacca δαφνὶς eſt Græcis. Eſt præterea Laurus latifolia, & Alexandrina, nomine alio Idæa dicta, pleriſque pagana lingua. Vide in dict. Idæa.

Laureola, id eſt Laurus ſylueſtris, frutex eſt ramoſus, craſsiore ac molliore, quàm laurus folio, & cuius guſtatu accendatur os, baccis è nigro rufis. Siquidem Laureola frutex naſcitur ramoſus, cubitalis, molliori anguſtiorique quàm Laurus folio, triſti aſpectu, flexilibus virgis, ſupramodum viſcoſis, verſus cacumen folioſis, flore candido, bacca atri coloris natura, fronde fractu cõtumaci, cuius guſtatu mordeatur os, incenſúmq; guttur vellicetur. Soluit aluum intollerabiliùs. Ruel.lib.iij.capite.cxxxvj. Quære dict. Daphnoides.

Lecithon ſiue aracum λέκιθος, piſi genus. Gal. autem apud Hipp. pro lente interpretatus eſt. Alij, inquit Geſnerus, genus ad piſum, & aracum faciunt. Athenæus edulium ex araco & phace ſic vocat. Ruel.li.ij cap.xxxvij.

Lens φακός, & lẽticula φακή, leguminis genus. Alba & ſubnigra offenditur: vtraque calido frigido temperata, ſicca ſecundo ordine, valenter aſtringit, ob id ventrem ſiſtit, abiecta priore aqua aluum mouente. hæc Syl. Dioſc. libro ſecundo, cap.xcix.

Lens paluſtris, & lenticula aquatica φακὸς ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων: inuenitur in aqua non fluente, muſcus lenticulæ ſimilis, refrigeratoriæ facultatis: propterea igni

ſacro,collectionibus,& podagris illinitur per ſe, & cũ polẽta glutinat & procidentia puerorum interanea. Dioſc.li.iiij.cap.lxxvj.

Lentiſcus σχῖνος: nam σχοῖνος diphtongo ſcripta vox iuncum ſignificat. Lentiſcus frutex arboreſcit cultura addita,à quo lẽtiſcina lachrima μαςίχη nomine,vt officinis hodie maſtiche,& maſtich. Vide in dict. Maſtiche. Dioſc.li j.cap.lxxv.

Lepra λέπρα καὶ ψῶρα,paſsio vtraque,& ſummæ cutis aſperitudo eſt,cum prurigitu & abſumptione corporis. Verùm differunt inter ſe, quòd lepra altiùs circularibúſque eroſionibus cutem depaſcit, & piſcium modo ſcamulas ex ſe remittit. Pſora verò,hoc eſt,ſcabies,ſummam corporis cutem exedit,& varias habet figuras,& furfurea magis ex ſe corpuſcula ædit. Vide in dict. Elephas.

Lenientia aſperatas cauitates, ſunt oua mollia recẽtia:item dulcia aſperã arteriam leuem faciunt,& cãcani herbæ radix,gummi,tragacantha, glycyrrhiſa, vina dulcia.

Leontice,vel cacalia κακαλία πόα, careum agreſte:in ſegetibus,& pratis ſiccioribus paſsim naſcens. Vide Pli.li.xxv.cap.xj.qui ſcribit ita: Leontice,ſiue cacalia ſemen eſt margaritis minutis ſimile, dependens inter folia grandia in montibus ferè. Officinis carui agreſte dicitur. Cacaliam caucamum Galenus vocauit. Ruel.li.ij.cap.cxlj. Quære dict. Careum,& Cacalia.

Leontopetalon λεοντοπέταλον,pata leonis quibuſdam:herba eſt emittens caulem dodrantalem plurimis alis concauum,& in cacumine ſemina parua duo aut tria,eaqueìn ſiliquis ciceris modo:flores punicei coloris,anemonæ ſimiles:folia braſsicæ nigræ,ſed papaueris diuiſura,radicibus nigris,ſed rapis ſimilibus. Lege Pl.li.xxvij.cap. xj. Dioſc.li.iij.cap.xcij.

Leontopodium λεοντοπόδιον,herbariis aliquibus cruciata:quæ tametſi Aliſſo Dioſco.reſpõdet:nonnulli autem medici ex recẽtioribus Garyophillatam, herbã trinitatis vulgò appellatã eſſe ſuſpicãtur. Scholiaſti ſimpl. Calẽdula videtur,frequẽs in hortis. Tritũ Leontopodiũ olet ſinapi,& illius ac piperis acrimoniam habet. Dioſco.lib. iiij.cap.cxv.

Lepidium ſatiuum λεπίδιον κηπαῖον,Iberis maior:nec eſt,vt placet quibuſdã,raphanus, folio rumicis acuti,niſi per ambitũ ſerratum aſperũq; eſſet totum,videtur: ſapore feruido,& mordicante,vt ſinapi eſt. At Lepidium ſiue Iberis, pſeudocoſtum folio in totum æmulatur,ſed ſemine tlaſpi in ſiliquis rotundis. Iterum Lepidij radix rara tota & lignoſa,nulliúſque vſus:quod in raphani videtur contrarium foliis & radice: Nullius enim eſt vſus folium, ſed radix: Brioniæ radicis in totum æmula: niſi quòd facultate feruidior,ingneam vim repræſentans,cõperitur. Allucinantur qui radiculam pro raphano ſumunt, quoniam raphanus in cibis, vt radicula condita ſale, oleo & aceto,non eſtur:& decepti ſimplicium ignorantia, alterum pro altero in medicamentis vſurpant. Dioſc.li.ij.cap.clxvij.

Lepidium ſyueſtre λεπίδιον ἄγριον, Iberis altera,ſed in totum minor: ſecundam verbenacæ ſpeciem,foliis tamen minoribus multò,& ſemine tlaſpi,referens. AEgyneta Lepidium,Iberidem,& ἀγριοκάρδαμον, cõiectore Scholiaſte, eandem plantam facit. Cæterùm vtrumque dictum eſt, quòd λεπίδας, hoc eſt in facie maculas abſtergeat. Ruel.li.ij.cap.cv.

Leucanthemis,herba eſt,quæ & anthemis, & leucanthemum à nonnullis vocatur: ab aliis chamæmellon,eo quòd mali odorem ſpiret. Officinis Chamomilla eſt. Vide Plin.li.xxij.cap.xxj. Dioſc.li.iij.cap.cxxxi. ſub dict. Anthemis: cuius locum repetes. Ruel.li.iij.cap.lxviij.

Leptocarya λεπτοκάρυα,nuces ponticæ,pondus antidotorum apud veteres græcos & latinos medicos repræſentantes. Vulgus auellanas vocat.

Leucacantha λευκάκανθα, alba ſpina:cuius radis cypero ſimilis amara ſolidáque eſt. Differt ab ea,quæ ἄκανθα λευκὴ diuiſis vocibus,id eſt, ſpina alba nominatur. Nã ſuperior ſpecies cardui eſt,lactucacea folia,ſed latiora lõgioráque, habens: in quibus maculæ albæ ſunt conſperſæ. Aliquibus perperam Rhannus appellatur. Vide Dioſc. li.iij.cap.xxj. Pl.li.xxij.cap.xvj.

Leuc

Leucoium Theophraſti Maſſario eſt, quod circa medium Decẽbrem, etiam ſummis frigoribus, floret paſsim in ſyluis, nunc etiam in hortis. Quære dictionem Maſſarion.

Leucoium λευκόϊον, viola alba: noſtris gyrophlea, ſed falſò, appellatur. Leucoium quamuis violam albam ſignificet, ad omnes tamen violas præſertim eas, quæ primo vere naſcuntur, ſiue albæ, ſiue luteæ, ſeu purpureæ fuerint, ſeu nigræ cum Hippoc. ſeu cœruleæ, vt quidam Dioſc. codices habent, extẽditur. In his efficaciſsimæ ſunt luteæ, Keiri Arabib. dictæ. Vide Syl. li. j. de ſimpl. med. natura.

Libadium λιβάδιον, centaurium minus, quoniam ſecundum fontes naſcitur, appellatum eſt: aliis Linueſion, quòd propter lacus in riguis vbertim profiliat, dictum. Latinis fel terræ propter amaritudinem ſummam, nonnullis febrifuga vocitatur. huius tres occurrunt ſpecies apud Ruel. li. iij. cap. vij. apud Dioſc. duæ tantùm. Quære dict. Centaurium.

Lethargus ſeu obliuio, vide in dict. phrenitis, & in dict. Obliuio. De ſtultitia, ſopore, lethargo, phrenitide, & inania li. iij. loc. affect. cap. v. tractat Gal. Quære dict. Obliuio, & Phrenitis.

Leuce λεύκη, populus alba Latinis eſt: Gallis à frondium mobilitate Tremula appellatur. Vide plura infra in dict. Populus.

Leuce, herba eſt mercuriali ſimillima, niſi quod per medium folium linea alba tranſcurrat, vnde Meſoleucon nominata authore Pli. li. xxvij. cap. xj.

Leuce morbi genus eſt, quod Latini medici vitiliginem albam appellarunt. Celſus vim vocis ſequutus, albam, λεῦκαν ἄλφον: nigram μέλαν nominauit: Eſt & altera, Leuce Celſo appellata, medicis popularibus Albaras dicta. Manardus li. vij. Epiſtola ſecunda.

Leucographis, herba eſt quam memorat Plin. li. xxxvij. cap. ix. ad ſanguinem excreantibus valde vtilis.

Libanus λιβανὸς, arbor thurifera, & ipſius lachrimæ nomine: quam Gale. mannam, id eſt, ſynceram thuris lachrimam vocauit: officinæ olibanum, quòd à craſsiore thure differret, hactenus appellarunt. Effinxit quidam lachrimæ thuris hoc nomen Libanotus λιβανωτός. Dioſc. li. j. cap. lxx. ſub dict. Thus.

Leucophlegmatia hydropis ſpecies. Cùm igitur vniuerſum corporis habitum occupat, eam hydropis ſpeciem generat, quæ hypoſarcidios, vel anarſaca dicitur: cùm verò intra pentonæum, & ſubiectas partes collectus eſt humor, ab vtris ſimilitudine aſcites dictus, procreat. Si verò humor paucus, flatus autem multus contineatur, à tympani ſonitu, tympanites appellatus. Quære dict. Hydrops.

Libra, quæ & pondo dicitur, in duodecim vncias, recta vtendi apud medicos forma, neque in ſedecim, diuiditur. Libræ quadrans, hoc eſt pars libræ quarta, trium cõſtat vnciarũ: triens, quatuor vnciarum, hoc eſt, libræ medicinalis tertia pars: Sextans, duarum vnciarum. Vide in dict. Vncia.

Libra Romana, duodecim vnciis conſtat: Attica, decem duntaxat vncias cõtinet.

Libra liquidorum Romæ ex cornu conſtabat, quod lineas duodecim orbiculatim ipſum ſecantes habebat, ſingulas vncias ſignificantes, vnde dicta eſt libra menſuralis: nam alia eſt ponderalis. Porrò variant pondera & mẽſuræ pro diuerſitate nationum. Sed Græci & Romani, illo modo quem in his noſtris exercitamentis inſerui, ſeruarunt perpetuò, vti apud AEgynetam ſcriptum fuſiùs reperies.

Libanotis λιβανῶτις, frutex ſcilicet noſtras roſmarinus: ſed enſenſariam herbam, quòd radix thus, id eſt, incenſum vulgò redoleat, eſſe ſcribit Geſnerus: differríque à vulgari roremarino affirmat.

Libanotis ſemen cachrys κάχρυς, eſt. Eius tres ſunt ſpecies, quas deſcribit Dioſcorides li. iij. cap. lij. ſub dict. Roſmarinus.

Lichen λειχὴν πόα, herba in roſcidis petris naſcens, vulgò dicta hepatica, aliquibus Brion appellata: ſaxis familiaris, & aſperiginoſis adhærens. Quoniam autem contra Lichenas, hoc eſt impetigines, remediis omnibus anteponitur, ſic dicta eſt: quòd ite-

rum Iecoris inflammationi ſuccurrit, ſimiliſque fibris ipſius iecoris aſpicitur, Iecoraria & hepatica denominata venit. Neque morbus omnibus hepatis conuenit contra non paucorum medicorum ſententiam: & ſi Serapio Ictericis, quæ vera res eſt, prodeſſe tradit, propterea quòd morbus regius plerumque ab hepate,nonnunquam & à Liene,fieri ſolet:hinc arbitratum eſt ſortitam hoc nomen Hepatica.

Lien ſeu ſplen σπλὴν,viſcus eſt,in ſiniſtra animantis parte conſiſtens. Inflammatur lien vt reliquæ corporis partes, quoties ſanguis præter naturam ad eum confluit: quod cognoſcitur grauitate & tumore hypocundrij, qui ad tactum non cedit, dolore & diſtentione loci, febre & æſtu:irruentis denique humoris copia, ex magnitudine, & velocitate generationis ipſius inflammationis. Fuch. docet curationem li. iij. de Medendis morbis cap.xxvij.xxviij.Lienis affectus deſcribuntur à Gale.loc. affect. li.vj.cap.j.

Lienoſi σπληνικοὶ, quibus lien obſtruſo obſeptóque in eo atræ bilis excremento, aut ab inflammatione induruit:aut qui induratam lienis paſsionem obtinent. Quemadmodum reliquæ corporis partes octo intemperierum generibus affliguntur, ita & lien, verùm ſæpenumero frigidam & humidam ſubſtinet intemperiem. Pete Gale. li.de morb.cauſis:cap.j.ij.& iij.Curatio eſt apud Fuch.li.iij.de med.mor.cap.xxvj.Lienis ſcirrhoſi ex Gal.li.ij.ad Glau.& Acakiæ comment.curat.petes.

Lignum aloes ἀγάλλοχον, ταρον, καὶ ξυλαλον,agalochum lignum hoc Græcorũ primus Aëtius appellauit.Coëtaneus Aëtij AEgyneta odorum indicum lignum eſſe demonſtrationibus affirmauit. In quatuor ſecernitur faſtigia, Indicum, Sapphicum,Speon,& Hygron: quod rurſum in ſpecies conciditur. Illud tantùm in vſu eſt, quod cariei nulli obnoxium depræhenditur.Dioſco.li.j.cap.xxj.

Liguſticum λιγυϛικὸν,καὶ λιβυϛικὸν,Galenus libyſticum dixit: quod à Leuiſtico officinarum differri contendit Geſnerus. Liguſticum à Liguſticis alpibus, in quibus frequens naſcitur,Gal.& Actuario vnius literæ mutatione Lybiſticum,vſurpauit ſibi ſemen & nomen Manardus:cuius etiam radix Imperatoria vocatur.

Leoniceno,& Muſæ. Vulgatum autem Leuiſticum aut Smyrnium cum Ruell. aut apij aut dauci genus: cum Manardo Smyrnium, putante Petroſelinum Alexandrinum vel Mecedonicum. Sylu. quem videbis li. j. de medicam. Simpl. natura. Quinetiam verum Liguſticũ ignorari,rectiùs fatebimur:& noſtræ Leueſchiæ Smyrnium conuenire affirmabimus.

Liguſtrum φιλλυρέα,non eſt Cyprus frutex,vt quibuſdam placuit, ſed qui perperam apud Allobrogas Capriſolium dicitur: nam caprifolium eſſe aliud ſuo loco docuimus.Cæterùm φιλλύρα Græcis,tilia latinis, neque liguſtrum interpretanda eſt. hæc ex Maſſario Geſnerus. Eſt præterea liguſtrum Scribonio oleaſtrum cum vulgò appellatum,bene faciens ad cancrum in ore,ſui li. cap.lxij. Seguſiani Belliciorum variatis literis Friſillion communiter vocant:cuius flores ſtudioſè legunt deſtillationi aduerſus omnia oris viciati vlcera etiam maligna. Nam & hic frutex Oleaſter eſt: cuius vide dict.

Lilium κρίνον,vnum genus eſt,quod Verecum Narciſſo emicat: alterum, æſtate: cerinthúmque eſſe ſuſpicatur. Eſt aliud λείριον Græcis dictum,autũno flore emicans. Fit hominum etiã arte vel induſtria rubẽs, & purpureũ lilium:ſed omniũ primum quia hortẽſe,cõmune hominibus eſt. Pete,poſt Dioſc. Galenum li.vij.ſimplic.& in fine li.com. phar.& Syl.li.j.de med.ſimpl.natura.

Lingua γλωττα, ad radicem oſsi hyoïdi affixa eſt. Sic autem dictum eſt hoc os, quòd inſtar υ aut λ literarum ſit bifurcatum: hinc etiam à nonnullis λαμβδοειδὲς appellatum.de linguæ affectibus petendus eſt Gal.li.iiij.loc.affect.cap.ij.

Lingua auis medicis recentioribus ſemen arboris fraxini foliaceum in linguæ ſpeciem figuratum, amarum, intelligitur: cui vim calculos in renibus frangendi etiam tribuunt. Apud Serapio.in confect.teſticul.vulpis vbi legitur lingua auis,ſalaciſsima rum auicularum de lingua non intelligitur,ſed de fraxini ſemine.

Limonium λειμώνιον, Biſtorta eſt:non beta pratenſis. Vide in dict. Biſtorta. Plin.

Betam

Betam ſylueſtrem appellat li.xx.cap.viij.

Lilium conualium,planta ea eſt,quam vulgus muguetum vocat:diſsidétq; omnino ab Hemerocalle herba, ſed non multùm à Fraxinella, id eſt, vt vulgus officinarum vocat, Sigillum Salomonis, Græcis pariter ac Latinis Poligonatum,& geniculatam herbam: Secacul autem Arabibus.

Limonia λειμωνία ἀνεμώνη. Vide in dict. Anemone. Pl.li.xxj.cap.xj.

Linea,eſt quæ punctis duobus finitur:recta,quæ ex æquo ſua puncta interiacet.

Linaria herba, Oſyris Dioſcoridis ſuſpicatur: differt autem ab Eſula, cuius dict. petes.

Linoſtrophum λινόστροφον πράσιον,hoc eſt,marrubium:de quo Dioſc.li.iij. cap. c' fecit duplex genus:vnum album,alterum nigrum. Quære Praſium.

Linozoſtis λινόζωστις, mercurialis.huius herbæ vires reddidimus ſub dict. Mercurialis. Dioſc.li.iiij.cap.clxix.

Limones fructus ſunt,qui ad lauticiem menſis expetuntur, & ſub nomine Citri à priſcis authoribus compræhenduntur. Huius fructus meminit Manardus libro decimoquinto,epiſtola tertia. Repete dictio. Citrum malum,& Malum medicum.

Linum λίνον, cuius ſemen humido & ſicco quodãmodo tẽperatum,calidum autem quodammodo ordine primo:flatuoſum eſt etiam ſi frigatur,adeò plenum eſt humiditate recrementitia. Vide plura ex Sylu. libro j. de ſimpl. medica. natura poſt Dioſc.& Gale.

Linum viuum λίνον ἄσβεστον, ignibus non vritur:ſed magis ſordibus exuſtis eluceſcit:& in Indiæ deſertis,aduſtíſque Sole locis naſcitur.hæc Geſnerus.

Liſtacia λιστάκια, καὶ ψιττάκια, Latini cum Syris piſtacia: officinæ fiſtica & fiſtos,vocant. Quæ conſtat in Syria gigni,inquit Dioſcorides,pineis nucibus ſunt ſimilia, & ſtomacho amica. trita cum vino contra ſerpentium ictus proſunt, ſiue edantur,ſiue bibantur. Si cognita Dioſcoridi piſtacia fuerint, ex ipſius ſcriptis non ſatis conſtat: quando amygdala breuiora,magis repræſentant,quàm nucem pineam: niſi pro nucleo nucleum aſsimilet: quum longè ſua forma differant. Vnum hoc affirmare audeo,piſtacea amigdala ſylueſtria eſſe,& amigdalis noſtris congenera. Quære dict. Piſtacia.

Ligula ἐπιγλωττίδα Græci appellant, gutturis ori ſummo veluti operculum quoddam incerta eſt. ex linguæ ipſius radice profecta,ſicque dicta,quòd ſcilicet figura linguã fiſtulæ referat. In intima oris parte,vbi gulæ & aſperæ arteriæ principium, particula eſt á Græcis γάργαρεον dicta,veluti plectrum vocis exiſtens: & iuxta eam vtrinque vocata παρίσθμια. Gargareon hic ſi flúxionem à capite ſuſcipiens, longus & tenuis fiat, κίων, vel κιονὶς, id eſt,columna, vel columella dicitur. Inferiore eius parte craſſa,& orbiculari facta σταφυλή, id eſt, vua: παρίσθμια verò inflammata, & ſuperaucta ἀντιάδες vocantur, Barbaris medicis amigdalæ: γαργαρεῶν, vua Paristhmia,& eorum inflammatio,à Celſo tonſillæ nominantur.

Lingua,leuiſsimum membrum eſt,hac atque illac cogitationum cordis, & animi cuncta profluens:atque teſtimonium hoc de ea paſsim fertur:

Lingua quid melius? lingua quid peius eadem? Hæc ad radicem qua oſsi hyoidi fixa eſt,valida magnáque firmitatis gratia apparet: tenuis autem ad extremum, nimirum quò celeriùs moueatur,tunica ori communi veſtita. Linguæ proprium quid euenit,quòd AEgyneta ἀγκυλόγλωσσον vocat:ſub hoc breuior fieri lingua videtur duratis,diminutíſque membranis linguam continentibus,aut duriore cicatrice ex vlcere derelicta. Naſcitur & ſub ea tumor cum inflammatione præcipuè in pueris, βάτραχον Græci vocant: nos ranullam. Eidem alij quoque affectus accidunt, reſolutio videlicet,conuulſio,excellens magnitudo,prominentia,vſtio,chagada, & tumorum omnia genera,de quibus propria capita Methodici poſteriores ſcripſerunt.

Linimenta,ſunt quæ ex iiſdem ferè rebus quibus vnguenta, cera dempta, componuntur. Siquidem cum oleis, aliiſque liquoribus in vnguentorum conſiſtentiam molliorem liquidioremvè,coëunt:id quod ex formulis apud probatos authores ſtu-

dioſus lector, maximè recentiores Meſuem Syluij perceptoris, Nycolaum reſtitutum,& Fuch.li.iij.comp.med.cap.ij.appræhendet.

Lippitudo ὀφθαλμία, eſt membranæ adnatæ, quam coniunctiuam vocant, inflammatio, quæ vera quidem ophthalmia eſt. Adnata autem dicta propterea, quòd aliis, quæ oculum ipſum conſtituunt, tunicis forinſecus adnata ſit, ligamentum exiſtens toti oculo ad circumiacentia oſſa: ideoque ambientes oculorum partes vſque ad malas nonnunquam in vehementiori lippitudine ſimul attollũtur. Curationem explanatam quære ex Fuch.li.j.de medendis morbis cap.xxiiij.& ex Gal.cognitionem lib. ij.de diff.feb.cap.xiij.& xiiij.

Lipothymia λειποθυμία, καὶ λειποχυχία, Latinis medicis defectus animi interpretatur, ſiue animi deliquium,& animæ defectio. Nam animi defectus, & ſyncope, vt magnam inter ſe habent cognationem, ſic inter ſe differunt: quòd ille ſit ſpirituum, præſertim animalium, vehemens, ſubitúſque motus: cum enim relicta ſede ad locum aliquem confluunt aut pereunt, animalis facultas tantiſper conſternatur ac excidit, ſenſúſque omnes intercipiuntur, dum ad ſuam originem ſpiritus redierint, aut noui procreati ſint. Mouentur enim interdum ſpiritus citra iacturam, aut ſaltem magnam, vt in dolore, & animi tum affectibus tum actionibus. Syncope autem, eſt vniuerſarum virium præceps, ſubitáque ruina, hoc eſt, κατάπτωσις ὀξεῖα καὶ ἀθρόα δυνάμεως, quæ contingit, & interceptis ſenſibus,& liberis. Hanc autem animi defectus ſæpe antecedit, aliquando comitatur, aliquando ſolus affligit. Cætera petes ex Acakia ſuper libro primo Gal.ad Glauc.

Lipyria febris eſt, ex qua intus & in ipſis viſceribus calor ſentitur: in externis partibus verò vniuerſis frigus. In ipſa tamen acceſsionis inuaſione, aliqui febricitantium tum rigent, tum verò febriunt, tum ambo ſentiunt, frigus immodicum & calorem vnà: verùm non eodem loco. quippe cùm poſsint quæ excalfactæ ſunt partes, manifeſtè à refrigeratis diſcernere: nam intus & in ipſis viſceribus calorem ſentiunt, in externis partibus vniuerſis, vt diximus, frigus. Tales perpetuæ febres ſunt, & quæ Græcè lipyriæ vocantur: præterea ardentium quoddam febrium perniciosum genus. Galenus in libro de Inæquali intemperie docet cætera.

Lixinium, ablutio eſt cuiuſcunque materiæ, quæ in cinerem ſit redacta, abſtertione & exciccatione reliquis omnibus præſtat: quod ex cinere ficus, aut tithymalli fit, vt prope iam putrefaciẽdi vires attingat. Tenues partes lixinium habet, atque indolenter vrit. Aëtius li.j.Simpl.medic.

Liquor ſeu lachrima ὀπὸς καὶ δάκρυος, humor eſt qui ex planta ſponte ſua deffluit, aut ex ſecto, terebratovè caudice, vel ramo, vel ligno proſilit concretus,& præ denſus. Cyrenaicus tamen liquor omnibus calidior eſt, ſubſtantiáque tenuior: ac propterea magis diſcutit. Veruntamen alij quo liquores calidi ſunt ac flatuoſi, ſicut Medicus, & Syriacus, quæ Laſerem vocat. Hæc Aëtius li.j.Simpl.Fuch. Compoſitionis medic.li.j.

Lithargyros, Spuma argentea Græcis ex Largo dicitur, eſt purgantis ſe igni materiæ vitium, ſeu ferueſcentis ſpuma, vt ſcoria iam purgatæ fœx eſt, ex plumbo molybditis ſeu molybdena, ex argento ἀργυρίτις, ex auro χρυσίτις omnium optima, præcipuè quæ foliata eſt. hæc ex Dioſcoride, Plinio, Gal. Hermolaus: ex ipſo Sylu. lib.j.de ſimpl.medic.natura: medicatoriam rem excipies.

Lithocolla glutinũ, quo lapides coniunguntur: conflatur autẽ ex marmore, lapidè Pario, & taurino glutine. Poteſt candente ſpecillo admotũ, incõmodos oculis pilos replicare. Dioſc.li.v.cap.xciij.

Lithoſpermon λιθόσπερμον, petroſum ſemen: vulgò milium ſolis: & herba Herculea alioqui vocata, incomparabilis vtilitatis. A ſeminis duritia nomen accepit. foliis eſt oleæ longioribus, ramulis ſurculoſis, in quorum cacumine ſemen vnioni ſimile.

Lithiaſis λιθιασις, eſt calculi in veſica generatio, vnde vrinæ excretio prohibetur.

Fit

Fit præterea cum in palpebris gignuntur albicãtia quædam,& dura tubercula,lapillorum figura.

Liuida vrina,eſt quæ interdum plagas,& verbera incuſſa homini indicat: alias ſemper frigiditatem, atque adeo coloris natiui mortificationem, portendit. Fuch. Comp.med.lib.j.cap.xliiij. Quęre dict. Vrina.

Lobia λόβια,ſinilacis hortenſis fructus,qui & lobi,& phaſioli dicuntur. Lobæ dicuntur etiam miliorum culmi,qui ſua figura arundines repræſentant.

Locuſta inſecti genus eſt,infirmas habẽs alas,tam modicis ſe volatibus à terra attollẽs,vt ſaltare potius,quàm volare videatur. Locuſta etiã piſcis eſt ex genere cruſtatorũ,corpore lõgo,cornua ante oculos bina,lõga,& aſpera habet. vide Plin.lib.ix.cap. trigeſimo.

Locus,eſt extrinſecus terminus corporis alterum continentis: ſed naturalis, in quo res naturales natura quieſcunt. In eo enim natura quieſcunt, in quo conſeruari natæ ſunt. Cæterùm locus violentus, eſt in quo res naturalis minimè natura quieſcit.

Lolium αἶρα,zizania interpretatur. Granum eſt imbrium abundantia ex puro ſeminis frumento in deterius cõuerſum:quod rura Yureum,quaſi inebrians & ſummum dolorem capiti inferens edentibus,vocant. Eius farina in medicamentis, emplaſticis commendatur, quòd nimirum deterſoriæ,& ſimul adſtrictoriæ ſit facultatis:ſed in pane fermentando ad eſum inutilis. Dioſcorides libro ſecundo,capite nonageſimoſecundo. Ruell.ij. capit.trigeſimo. Galenus libro ſexto. Simpl.medicam. ſub dict. AEra.

Lonchitis λογχῖτις,à Græco nomine Latinis Lanceolata dicitur:folia habet porri,latiora,rubentia, plurima,ad radicem circunfracta:in caule flores nigri, & è ritu albam exerentes velut linguam, quæ ad labrum inferius ſpectet: ſemen inuolucris clauſum lanceę ſimile. Cætera Dioſ.lib.iij.cap.cxxxix.

Lonchitis altera λογχῖτις ἑτέρα,nõ eſt burſa paſtoris vulgariter dicta,quã aſperam aliqui faciunt: folia ſcolopendrij emittit, ſed aſperiora, maioráque, ac multò magis diuiſa.

Longao ſiue Imus venter,& longano,quibuſdam inteſtinum rectum, à craſſo inteſtino quod κῶλον appellatur Græcis medicis, ad ſedem vſque porrectum,ſpinæ è directo incumbens ἀπευτυσμένον εἴτερον,nullis orbibus implicitum,vt cætera inteſtina. Quære dict. Inteſtina.

Lomentum, farina fabacea eſt, qua ad eruganda corpora vſa eſt antiquitas. Medici omnes ad tumores emolliendos & apperiendos pro cataplaſmate vtuntur. Vide Pli.xxij.cap.xxv.

Loligo,ἡ τευθὶς ſimilis eſt Sepiæ,niſi pauló videretur longior: & quòd illa rubrũ, hæc nigrum in timore humorem fundat:vulgi quoque appellatione Calamariũ nomen patitur,& à Maſsiliæ populis Tantte,vocem Græcam imitantibus, appellatur. Ab atramento,hoc eſt,à liquore atro effundente, non à Calamarij ſcriptorij forma, piſcis dictus eſt. Hic piſcis,vt Galenus ſcriptum reliquit, etſi tangentibus mollis eſt, carne tamen durus,vt ad conficiendum ſtomacho cuiuis ſit difficilis.

Lotio eſt,quæ medicamentum multis modis melius reddit, nunc acrimoniã eius ſuperficiariam auferendo:nunc facultatem eius maligniorem auferendo, ſalubriorẽ verò relinquendo:nunc facultatem eius valentiorem efficiendo:nunc partes impuras auferendo. Quibus autẽ medicamentis virtus in ſuperficie eſt,illa lotione diſsipatur: cætera magis & minùs lauentur,quatenus ſcilicet eorum virtus ferre poteſt.

Lotus arbor λωτὸς δενδρὸν,Latinis faba Græca:priſcis Italis faba Syriaca, recẽtioribus verò bacca ſyriaca:Gallis autem Aliſum,& aliſerum eſt. Ex Dioſco.lib. primo, cap.cxxxiiij. Lotus arbor eſt vaſtæ magnitudinis,ferens baccam pipere maiorem,dulcem,cibis gratam,ſtomacho facilem,ramentorum ligni decoctum,ſiue potu,ſiue infuſione dyſentericis auxilio eſt.eitam aluum,vt baccæ ipſius cohibet. Lotus vrbana aliquibus trifolium eſt,& hortis familiaris.

Lotus λωτὸς ἥμερος, herba ſatiua: eſt & ſylueſtris, & pratenſis ſub nomine trifolij, necnon alia quæ etiam in aquis prouenit. AEgyptia herbariis appellata. Eſt præterea Lotus inter pratenſes herbas tertia ex Athenæo lib.xiiij. Dipnoſophiſt. quæſtio.

Lotus ſylueſtris, quam trifolium minus appellant, caule bicubitali, & ſæpe maiore, alis multis, foliis trifolij pratenſis, ſemine fœnigræci, multò minore, guſtu medicato. Dioſ.lib.iiij.cap.xcvij.

Lucius piſcis, vulgata Gallica voce Brochetus nomen retinuit. Piſcis eſt medicorum ſententia εὔπεπτος, optimi ſucci alimentique. Præfertur à Gallis qui in Rhodano piſcatur.

Lumbi, dicuntur partes inferiores ſpinæ dorſi quinque conſtantes vertebris, quæ mediæ ſunt inter os ſacrum & vertebras. Vide plura in Anatom.ſectione Galeni.

Luſcinia auis, quæ quaſi perpetuò canens vbi ſemel inceperit, à Græcis ἀηδὼν appellata eſt: vulgò Roſsignolus. A poëtis, vt Ouidio Philomela. De ea aue vide quàm plurima apud Ariſt.lib.iiij.& ix.de Hiſtoria animalium, & Plin.lib.xvj cap.xxix.

Lumbrici ἕλμινθες ſunt inteſtinorum: atque ipſorum tria genera. Primi autē generis ſunt, qui rotundi ſeu teretes à figura dicuntur, ſecundum enim craſsitudinē rotundi ſunt, longitudine verò palmares, & nonnunquam longiores. In gracilibus plerumque inteſtinis conſiſtunt, & ſuperiorem ventriculum ſubeunt, ideóque ſæpenumero per os reiiciuntur, quibuſdam & è naribus redduntur. Atque hoc genus infantibus & pueris, atque his qui ad pubertatem accedunt, peculiare eſt. Vide ſecundum & tertium genus per ſeriem dictionum, Inſtitæ, & Aſcarides. Curatio integra eſt apud Fuch.lib.iij.de med.morb.cap.xiiij.

Lumbrici, hoc eſt, terræ vermes, ad hæc quod neruorum vulneribus inſigniter cōferunt, ex iis oleum componitur, quod Lumbricorum Myropolis nuncupatur: & inter medicamenta, præcipuè memorantur. Olei autem compoſitionem habes tum apud Meſuem, tum etiam apud Nycolaum reſtitutos.

Luna, corpus eſt dēſum, & minimè tranſlucidū: nec à ſe ipſa lumen, ſed à Sole accipere: longéq; terrā eſſe lunā maiorem. Luna, inquit Macrobius, diſpenſationibus ſeptenariis luminis ſui vices ſempiterna lege variādo diſponit. Primis ſeptē diebus dimidiata ſemiorbē oſtendit: ſecundis totum orbem cōplet, fitq; pleniluniū: tertiis rurſus διχότομος efficitur: quartis fit totius lunæ cū Sole, quod interluniū vocant, & ſilentē lunam, & intermenſtruā: græcè σύνοδος dicitur. Hinc plenilunium, quod eſt cū luna quintadecima & rotūda eſt, Solíque ex diametro opponitur. Pli.li.xviij. Quùm verò occidente Sole orietur Luna ex aduerſo, ita vt pariter aſpiciantur, tunc erit pleniluniū: interluniū, quùm apparere deſierit, & noua fit, & coëunte vel ſilēte luna: vnde Lunæ coniunctio dicitur dies ſilentis lunæ. Item Plin.lib.ij.cap.xcvij.

Luna, planetarum omnium infima eſt, terræq; finitima, & eorum omnium radiis ſubiecta, celerrimè orbem ſuū percurrit: breui tēpore cū multis ſyderibus coit, eorūq; vires recipit: quas nobis refundit. Quare nō immeritò his inferioribus regēdis deſtinata eſt: & quò plenior eſt lumine, eò potentiùs hūc orbē inmutat. Ipſa enim ſuapte natura opaca eſt, ſed ſuo ad Solem acceſſu, ac ab eo receſſu, nunc tota lucet, nunc dimidiata, nunc corniculata, nunc verò tumentior ac velut incurua apparet: ſed ob ſplendoris, caloríſque exiguitatem res facilioris moderationis moderatur, & corporis humores excitat, non quidem omnes, ſed qui ſua natura facilè mouētur. Igitur in acutis morbis imperiū potiùs obtinet, ꝙ ſcilicet leui occaſione moueātur, ídq; intuitu vel aduerſo, ei loco in quo æger ægrotare cœpit, vel vtriq; quadrangulo dextro vel ſiniſtro, vel quadranguli medio. Docet cætera Acakia ſuper lib.j.Gal.ad Glauconem.

Lunaticus morbus, eſt comitialis ἐπιληψία Græcis, conuulſio totius corporis eſt, non quidem perpetua, ſed quæ ex temporum interuallis accidit, cum mentis ac ſenſuum oblæſione. Alio nomine Sacer morbus vocatur, propter grauitatem, quoniam homo eo correptus ſubito concidit. Quære dict. Epilepſia.

Lupus piſcis ὁ λάβραξ, quibuſdā etiā doctis videtur eſſe vulgaris Mulus. Lupꝰ aliorū piſciū maxima vorago eſt: itaq; ab impetu & voracitate accepit nomē. Huiꝰ meminere

Plin

Plinius, Auſonius, Ionius, Gillius, & Maſſarius. Plura quoque de eo ſcribit Athenæus ex Ariſtophanis commemoratione.

Lupini θέρμοι οἱ, leguminis genus. Lupinus eſt ſatiuus idémque vel dulcis, vel amarus: agreſtis verò minor ſed amarior, & ad omnia valentior domeſtico. Syluius libro j. de medicam. ſimpl. natura. Dioſc. lib. ij. cap. cij.

Lupus ſalictarius βρύον, vulgo Lupulus: cuius floribus maceratis ceruiſia apud Belgas commendatur. Fit denique ex herbæ ſucco ſyrupus atra bile vexatis non ineptus: ad eandémque rem ex tota cum flore herba aqua extillatur: ſed in decoctũ apozematis tota planta reiecta radice excipitur. Ruell. lib. ij. cap. cxlj.

Luſcioſitas μυωπίασις, καὶ ἡ μυωπία, vitium eſt, per quod accidit, vt ab ineunte ætate puſilla quidem propè videantur, remota verò, etiam ſi magna fuerint, non item. hoc correpti vitio Luſci, & Luſcioſi vocantur.

Lutea ἡ χλωρὶς auis, videtur eſſe fœmina Vereonis, id eſt, Lorioli. Sic autem dicta eſt, quod partem inferiorem pallidam habeat. hæc Scholiaſtes.

Lutra, vel Lutris ἐνυδρὶς piſcis, qui etiam peculiariter imitata voce latina, Loutra dicitur. Eſt præterea Lutra animal fibro non diſsimile excepta cauda, quæ ex piſcium genere & natura eſt, ſolùm differt. Plin. lib. viij. cap. xxx.

Lycanthropia λυκανθρωπία, paſsio eſt, qua correpti ſeſe in lupos eſſe conuerſos imaginantur. Proinde noctu domo egreſsi, lupos per omnia imitantur, & donec dies illuceſcat, circa monumenta defunctorum vagãtur, adeo vt minimè fabuloſum exiſtat mutari in lupos homines, veluti ſuſpicatus eſt Plin. lib. viij. cap. xxij.

Lienteria, paſsio eſt cum vehementi inteſtinorũ dolore, veluti per cicatrices quaſdam & tubera agitata: vt neceſſe ſit ante ciborum ingeſtorum cõcoctionem, ſed quales æger vorauerit, raptim deiiciantur. Oritur autem frequenter, dyſenteria magna præcedente & ex profunda vlceratione, cicatrice leui & denſa ſuccedente, quæ deinde ob denſitatem ſuam, ciborum per corpus digeſtionem fieri non permittit, ſed dilabi finit. Curationis Fuch. eſt autor lib. iij. de med. morb. cap. ix.

Lycoctonon, aconiti genus Dioſc. libro quarto, capit. ſexageſimoſexto, pardalianchem, & aconitum vocat, folio eſt cyclamini, aut cucumeris, ſed minore, aut ſubhirſuto, caule palmum alto: radice ſcorpij caudã æmulante, & ſplendente alabaſtri modo. Quære dict. Aconitum.

Lychnis ſylueſtris λυχνὶς ἀγρία, herba lucernis apta: quam in corollario herbæ Lichenes, pro hepatica perperam interpretatus eſt: Hermolaus quæ ſecùs à Io. Agricola deſcribitur. Duplicem deſcribit Dioſcorid. libro tertio, capit. nonageſimoſexto, coronariam ſcilicet, quæ eſt flore albæ violæ ſimilis: & ſylueſtrem vrbanæ ſimilem. Galli cadelariam vocant: nam hæc fruticoſa eſt, lanuginoſis flagellis, foliis anguſtis & canis, flore purpureo, & inodoro, violæ natronalis effigie, flammeo colore. hinc coronis inſecta, igneo micans aſpectu, oculorum aciem obtundit. Ruell. libro iij. capit. quinquageſimoſeptimo.

Lychnitis λυχνῖτις, θρυαλλὶς, verbaſcum eſt ſtolonem cubitorum duum, quandoque trium altitudinem æquantem, refertum flore luteo, producentem. Tapſus barbatus officinis dictus, & vulgò tedaria. Dioſcorides libro quarto, capite octogeſimonono. Ruell. libro tertio, capit. centeſimovigeſimoſecundo. Quære dict. Verbaſcum.

Lycium frutex πυξάκανθα: cuius quoque ſuccus lycium λύκιον habet nomen. Lycium à Lycia regione dictum, & delatum, ſuccus eſt pyxiacanthæ Dioſc. & Gal. liquidus, quo vtebantur ad ſuggillata. Succo ex baccis periclymeni id apud noſtrates metimur. Vide Syl. lib. j. de ſimpl. medicam. natura, & Gal. lib. vij. ſimpl.

Lycopſis λύκοψις, anchuſarum quarta ſpecies: quam Ruellius linguam canis ſecùs adiudicat, Gazæ autoritate fultus. foliis lactucæ longioribus eſt, aſperioribus, latioribúſque, ad radicis caput recidentibus: caule longo, recto, ſcabro, hirſutis adnatis multis: flore paruo, purpureo: radice rubra. naſcitur in campeſtribus. Dioſco. lib. iiij. capit. xxij.

Lycopus

Lycopus λυκόπους, marrhubio ſylueſtri ſimilis, grauis odore, cauſe quadrato geniculatóque, fungoſa intus medulla, radice frequenti capillamento fibrata. Præter hæc, refert de ea Geſnerus, folia trita præſentaneo remedio eſſe impoſita diſſoluto ſtomacho: vnde fit vt cardiaca herba vocetur. Longè aliud eſt aconitum, quod & ipſum patam lupinam vocant. Vide in dict. Aconitum.

Lygos, ἄγνος λυγός, vitex eſt, officinis agnus caſtus: frutex eſt in arborem aſſurgens: ramos gerit prælongos fractu pernicaces: folia oliuæ, ſed molliora, habet. Duo genera eius, vnum, album florem mittit cum purpureo: alterum, tantùm purpureum, & ſemen vtriuſque vt piper, vires habens excalfactorias. Dioſcorid. lib. primo, capit. cxvj.

Lyſimachia λυσιμάχιον, flore fuluo herba eſt, aliquibus peſtifuga, quod peſtem facultate ſua arceat vbi expoſita eſt, vocatur. Nonnulli Vitrium Luteam, & Lyſimachion eſſe eandem contendunt. Corneola vulgo appellatur. Reperitur interdum Lyſimachia flore purpureo, lineamentis ſuperiore quidem ſimilibus. A Lyſimacho rege inuentore accepit nomen & retinuit, vt quibuſdam placet. De hac herba vide, poſt Dioſcori. apud Plinium miras facultates.

Macer

De litera M.

M*Acer*, & macir μακέρ, vulgò Macis, nucis myriſticæ corticoſum inuolucrum eſt: atque vocabulum hoc confuſum apud non paucos medicinæ profeſſores eſt explanandum. Itaque Macer Dioſcoridi libro primo, cap. nonageſimoquinto, cortex eſt flaueſcens, ſiue, cum Plinio, rubens, radicis magnæ, nomine ſuæ arboris incognitæ nobis, craſſus, guſtu perquàm aſtringens, ex Barbaria allatus. Gal. autem lib. vij. Simpl. cortex eſt guſtu multùm acerbo, cum leui quadã acrimonia, odorem non ingratum ſpirans, vt pleraque aromata.

Macis Arabum, membrana eſt extima nucem myriſticam propè totam veſtiẽs, tenuis, rufa, aut flaua, interdum nigricans aromatica. Ex quibus liquet Macis, & Macer res planè diuerſas: licet odore, colore quadantenus conueniant, verùm temperamento tamen differunt, niſi quis contendat in Dioſcorid. & Gale. codicibus, mendum eſſe: quod vix quidem poſsit demonſtrari. Quòd ſi res diuerſæ ſunt, vt ex Plinio patet, Macer hodie eſt incognitum: tamen pro Macis Arabum μακὲρ Actuarius reponit. hæc Syluius.

Madonais μαδωναΐς, Nymphææ vtriuſque nomen eſt, luteæ videlicet, & albæ: herbariis autem Nenuphar: de quibus ſuo loco diligenter ſcripſimus.

Mænæ αἱ μαινίδες, quibuſdam ſuſpicantur piſces, qui Saleculæ, hoc eſt, aleces puſilli, quales, qui Parhiſinis Celerini, & Sardini Prouincialibus, appellationem acceperunt, ſub Autumno piſcantur. Meminit Dioſc. lib. ij. cap. xxvij. Gillius in lib. de Piſcibus Gallicis cap. lix.

Macula oculi, ſiue ſuggillatio ὑπόσφαγμα καὶ ὑπόπυον, eſt quãdo propter ictũ aliquem fractis, aut contuſis vaſis, intra tunicas oculorum ſanguis colligitur: & in extima parte veluti ſanguinis puncta apparent.

Magudaris μαγυδαρὶς ex Theophraſto genus Laſerpitij ſuſpicatur, radice ſimile, minùs craſſum, minúſque vehemẽs, fungunſum, ſine ſucco: natura ei quæ Silphio. Quidam tamen Silphij radicem, quidam ſemen, alij denique caulem magudarim eſſe affirmant. Plinius libro decimonono, cap. iij. Columell. libro ſexto, capite decimoſexto. Dioſcorid. lib. iij. cap. ſeptuageſimoſexto. Quære paulò ſupra dict. Laſerpitiũ.

Maiora, vel Sampſuchum σάμψυχον, καὶ ἀμαρακὸς: cuius plantæ deſcriptionem fecimus in dict. Amaracus, & Sampſuchum.

Malæ, ſunt eminentes faciei partes inter oculum vtrumque, naſum, & buccam: quę & genæ dicuntur: ita appellatæ, quòd rotundam ſpeciem mali præ ſe ferant. Celſus lib. viij. cap. primo inquit: Et malæ quoque in ſumma parte ſingulas tranſuerſas futuras habent, à mediiſque naribus aut ſuperiorum dentium gingiuis per medium palatum vna procedit, aliáque tranſuerſa idem palatum ſecat.

Maiulium, vel marulium θρίδαξ ἢ ἐριδακίνη, καὶ μάρουλον: recentiores Græci, vt Pſellus, lactucam vocat: de qua quære deſcriptionem ſuo loco.

Malache μαλάχη vulgaris malua eſt: nã hortulana rarò nobis ſuccreſcere tradit Cordus: proinde & rara viſu & propè ignota pleriſq;. Appellatur autẽ malua Romana, quã Malachẽ Dioſ. li. ij. cap. cxj. vocat. Manardus venetiis arboreſcere ſcriptũ reliquit. Quę hortẽſis malua eſt μαλαχη κηπαῖα. Cordus Romanã dicit appellari, quòd pro olere eam in eduliis vſurpẽt. Eſt & erratica, ſed duum generũ: maior autem differẽtiæ cauſa μολοχὴ à Græcis quibuſdam dicitur, vt differat à minore. Verùm quę ſatiua eſt δενδρομαλάχη, hoc eſt, arboreſcẽs malua, vulgò Roſa trãſmarina ſuſpicatur.

Malicorium σίδιον, punici mali, id eſt, granati putamen & cortex: Cytini autem, vt Celſus lib. v. docet, capitula punici mali ſunt, id eſt, primus huius mali partus florere incipientis, & planè flores ſunt ipſi ex Dioſ. vbi cytinos flores ipſius mali punici

appella

appellauit.Repete dict.Cytinus,poſt Dioſc.lib.j.cap.cxxvij.
Malabathrum μαλαβαθρὸν,folium Indicum eſt officinis nominatum: quòd in Indiæ paludibus aquoſis abſque radice paluſtris lenticulæ modo innatans, gignitur. Plinius ſcribit ex ſiriaca arbore legi: vtriuſque tamen authoris malabathrum incognitum nobis eſt,fortaſsis & ipſi Plinio. Tertium genus apud officinas depræhenditur,quod ex cinamomo arbore legi aſſerunt,& folium Indicum nominant: ſed Braſſauolus caryophylli folium eſſe ſcribit. Dioſc. lib.j.cap.xj.Gal.lib.j.compoſ.pharmac. & li.vij.Simpl. Actuarius ex Serap.lib.v.Compoſit.pharmac.

Malleolus μόσχευμα,nouellus eſt palmes innatus prioris anni flagello, cognominatus à ſimilitudine rei,quòd capitulatus vtrinque & ſurculatus ſolebat ſeri. Differt à ſarmento,ſicut pars à toto,quia roſtratam oſtendit imaginem virga mallearis. Vulgus ruſticorum vineam nouiſsimè plantatam,à mutuatis vitis ſenioris ſurculis, vocat. Geſnerus.

Malus μηλέα pro arbore,& malum μηλὸν pro fructu generalius eſt nomen. Eſt præterea malus Aſsiria ἡ κίτρος, citrus, ſiue malus medica arbor,cuius fructus κίτρον,pro citro & malo medico,ſiue aureo:quanquam inter arbores ex fructu ipſo nō parua cognoſcitur differentia. Aureum malum, & citrum modò Aſsirium, modò Hiſpanicum pro fructu arboris vtriuſque varium nomen,vt videre eſt,vſurpatur. Arangia, & Limona ſiue Citra in Gallia vocantur. Item Malum aureū, χρυσομῆλον. quibuſdam placet Vergilium poëtam pro cotoneo malo vſurpaſſe in hoc verſu:
Aurea mala decem miſi,cras altera mittam: quùm intellexerit de Malo medico, ſiue Citreo, à vulgari patriæ appellatione refragari nolens. Aurea ſiquidem mala, & arangia voce corrupta differre tantùm facit.

Malus cotonea,vel Cydonia κυδώνιος μηλέα,vulgaris arbor, à qua malum cotoneum,vel Cydonium μῆλον κυδώνιον,pro fructu arboris. Hinc mala ſtruthia μῆλα στρουθία,καὶ στρουθιομῆλα, è cotoneorum genere habētur. Aëtius ſtruthia vocat,quæ magna fuerint,& ſuauiora, minoríque placeant acerbitate. Eſt inſuper Melimelon μελίμηλον,hoc eſt,malum muſteum, è cotoneorum genere præcocius, & tempeſtiuius:quod mellitum,& dulce malum dicimus. Dioſc.lib.j.cap.cxxxij.

Malus punica ῥοιά ἡ, καὶ σίδη,vulgò granata arbor:à qua etiam malum granatum,hoc eſt,punicum pomum à patriæ ſiue regionis nomine vocitatum, & à granis quibus eſt refertum. Variat dulcedine & auſteritate acuta eius liquorem fructus. Dioſc.lib.j.cap.cxxvij. Galenus lib.viij. Simpl.& vj.Comp.pharmac.

Malus perſica μηλέα περσική,καὶ μῆλον περσικόν,hoc eſt,malum Perſicum:& præcoquum è perſicorū genere,quod vulgus Abricoccū vocat:aliquibus vero Auanperſicum,quod Rhodacenum aliis,aliis Armenicum malum appellare, ſed delicatis auribus libuit. Eſt denique Epirotica malus. ἡ ἠπειρώτικη μηλέα arbor, καὶ ἡ ἠπειρωτίρον μῆλον,olitores,& cætera turba pomum paradiſi: Latini autem orbiculata mala,& præcoxia appellant. Dioſc.lib.j.cap.cxxxvij.

Malum terræ ἀριστολοχία στρογγύλη,ariſtolochia rotunda eſt: quam Cyclaminum,in vertendis Theoph.libris,Gaza voluit. Largus autem malum terræ Ariſtolochiam,quam rotundam intellexit,interpretatus eſt cap.ccij.in emplaſtro Maietis chirúrgi:& malum terræ alterum,cuius ſarmentis vnguentarij vtuntur,ipſe Largus Ariſtolochiam Clematitem appellauit cap.ccvj. in emplaſtro viridi Gliconis chirurgi. Quære dict. Ariſtolochia.

Malus habitus καχεξία,eſt in quo alimentum corporis corrūpitur,principiúmque aquarum cutem ſubeuntium AEgyneta tradit. Nam mali ſucci habitus κακοχυμία eſt,quæ ad gignendos morbos vim maximam habet: quæ non aliundè magis quàm ex mali & vitioſi ſucci alimentis conciliatur. Circa hæc habenda eſt conſideratio bonitatis,menſuræ,qualitatis,conſuetudinis,delectationis,ordinis, temporis,horæ, & ætatis. Author Galenus in lib. de Boni & mali ſucci: & in libro de Aliment. facultatib.

Magnes,lapis ex mineris eruitur, probatúrque qui in cœruleum colorem non

ferrugi

ferrugineum declinat:facultate ſuâ ferrum ad ſe experimento attrahit:hematite mo do emplaſtris admiſcetur. Magni eſt miraculi in eo tanquam mundo aliquo polorũ cœli rationem ineſſe. Dioſ.lib.v.cap.xciij.

Malagma, fomẽtum eſt quod cuti integræ ad apoſtemata imponitur, aliôſvè tu-mores præter naturam molliendos. Quomodo autem differant malagmata ab em-plaſtris,& paſtillis, docet Celſus libro v.capit.xvij. ſic ſcribens:Malagma maximè ex floribus,eorúmque ſurculis, emplaſtra paſtilliſque magis ex quibuſdam metallicis fiunt.

Mamiras μαμιρᾶς, doronicũ eſt Romanum vt Ruellius interpretatur:ab AEgy-neta autem radicula herbæ frequentibus tuberculis intumeſcens deſcribitur, quæ ci-catrices & albugines emendare, ac extenuare creditur. Quære dictionem Doro-nicum.

Mammæ μαςοὶ· τιθοί,καὶ τιθία Græcis dictæ, in media ferè thoracis regione ſitæ:quarum ſummum & apex papilla θηλὴ dicitur:circulus verò ambiens papillam, qui niger eſt, φῶς Græcis vocatur.

Mammarum inflammatio,eſt quæ propter defluxum ſanguinis copioſi & calidi ad mammas, vti aliæ inflammationes,accidit:& ob id lac caſei modo coactum, atque ſubinde ſuppuratum concreſcit. Curationis author eſt Fuch.lib.ſecundo, cap. xv. de Medend.morb.

Manatia capitis vlcera ἀχῶρας, Saphatum Arabibus,& Barbaris medicis, ap-pellata: Græcis κήρια. Sunt autem ἀχῶρες Galeno,& AEgynetæ, cutis capitis cum tu-more vlcera foraminulenta, è quibus ſanies manat tenax, non aquoſa, ſed nec vt mel craſſa κήριον achori ſimile maioribus foraminibus, in quibus ſanies melli ſimilis, inſtar faui apum continetur. Ficus, vlceroſæ quædam eruptiones, rotundæ, ſubduræ, rubræ, quas dolor comitatur, & maiori ex parte capiti, ſed interdum reliquo cor-pori contingunt. Manardus libro ſeptimo, Epiſtola ſecunda. Quære dictionem A-chores.

Manipulus, ſeu faſciculus, herbarum id omne eſt quod manu altera compræ-hendi,& complecti poteſt: differtque à pugillo, nam pugillus id totum quod digi-tis tribus, longioribus cum pollice, complectitur, eſt: vt in appræhendendis floribus, & ſeminibus cum tenuiſsimo puluere quopiam. Eſt preterea in claſsibus exercituum Manipulus militum, qui deſcribitur à Vegetio in lib.de Arte militari.

Manus pars interior iuxta pollicem aſſurgens vſque ad indicem, palma θέναρ vocatur: oppoſita verò eius ὑπόθεναρ: media & concaua manus pars, vola pro-priè nominatur. Nodi, & articuli digitorum κονδύλοι appellantur: digitorum ma-ximus ἀντίχειρ, ſeu pollex, quod ſcilicet toti ſummæ manui cooperans æquipolleat. poſt hunc λιχάνος ſiue index, nomen ab vſu, vt apparet, ſortitus: dein medicinalis, qui & annullaris appellatus, ſequitur: poſtremus quod omnibus & corpore, & virtu-te inferior ſit, minimus cœpit nomen. Galenus de Vſu partium lib.j. Theophylus de Hominis fabrica lib.j.

Manſtuprator, eſt qui manu pudendo admota venerem exercet: perinde ac ſi nulla eſſet ei voluptas coniugata: id quod etiam apparet de Diogene Cynico, qui meretrici Laidi, illam ad coitum expectans, ſic reſpondiſſe fertur: Manus mea hy-menæum celebrando te præuenit. Author eſt Galenus Locorum affect. libro ſexto, capite quinto.

Mandragoras mas μανδραγόρας ἄῤῥην, radix hominis effigiem præſtans: non ſecùs quàm quæ fœmina μανδραγόρας θήλεια mulieris figuram. Neque id e-quidem eſt quod plerìſque Manus gloriæ ſuſpicatur, opilionibus ſua infamia de-teſtanda progenitum. Et quoniam dictu horrendum eſt quo modo proueniat, de-ſcriptione nulla eget: & liberioribus ſcribendum relinquo. Hermolaus Barbarus refert mala inſana, hoc eſt, poma amori dicata libidinoſo, ad Mandragoram pertine-re: cuius mas μώριον, fœmina θριδακίας eſt. Dioſcorid.libro iiij.cap.ſexageſimoquin to. Eſt Mandragoras aliquibus Circæa vocata, quoniam videatur radix ad amato-

ria conducere:cuius duo genera,nigra,quæ fœmina exiſtimatur: alioqui θρ'ιδακίας: altera candida,nonnullis μορίον appellata,mas eſt.Cætera ex ipſo authore ſunt petenda. Apuleius lib.de Viribus herb.primo,cap.cxxxj.

Manna,id eſt,pollen Thuris,μάννα Græci dicunt:eſt tenuiſsimus pollen ſeu flos, ac pars ſubtiliſsima eius thuris à cortice diſcreta: quo vocabulo Galenus ſæpius libro quinto Methodi medend.& paſsim alibi, vtitur Manna pro ſubtili thure. Quęre Thus,& Olibanum. Dioſc.lib.j. cap.lxx. & lxxj. lxxij. lxxiij. differentias percipies, carúmque medicamenta.

Manna μάννα ἀερομέλι,Galeno aëreũ mel,cæleſte mel, & manna cœleſtis: ros eſt condenſatus deſcendens in locis quibuſdam vnde colligitur,in emolliendis hominum ventribus accommodata.

Marum μαρόν, amaraco ſimile niſi eſſet odoratius ex Galeni ſententia: herba ſurculoſa eſt vulgò cognita,flore origani ſed odoratiore,foliis multò cãdidioribus. Suſpitio eſt Maſtich plantam eſſe olitoribus, & officinis Maron, maioranæ ſimillimam,flore tamen muſcoſo in pappos abeunte poſtquam ſenuit. Dioſcorid.libro tertio,capit. xl.

Mariſca μωρὸν σῦκη,ficus fatua,& ſycomorus,& ſycaminus Celſo, appellatur: quæ præ pinguedine aperitur,& ſemen oſtendit. Plinius libro xv. capit. xviij. Colu-mel. libro decimo.

Maraſmus μάρασμὸς Græcis,ſignificat tabes medicis Latinis:hoc eſt, totius corporis,vel partis alicuius ſiccitas,quæ ſolet accidere humore natiuo vi caloris abſumpto. Hinc febris maraſmodes,quæ eſt febris hæticæ ſpecies,ex febri ardente adeo propagata,vt humorem totius corporis abſumat. Vide Galenũ lib.j. de Different.febr. cap.x. Quære dict. Febres.

Marathrum μάραθρόν,feniculus & feniculum Latinis eſt, ſolet dum adhuc tenellum eſt, necdum in caulem aſſurrexit,in acetariis appeti.non enim altè aſſurgit, appellatúrque feniculum dulce:quæ quidem dulcedo ineſt ſemini,tum à ſolo, tum etiam à ſatione. Eſt & aliud feniculum maius ſcilicet,quod veluti arboreſcit,& à Græcis hyppomarathrum ὑ'ππομαράθρον fertur:officinis autem vulgaribus feniculum tortuoſum. Quinetiam aliam quandã herbam pratenſem,daucum Creticũ, & folio, & vmbella,referentẽ,feniculũ porcinum appellari audio,quòd folia feniculo ſimilia habeat,& porcis ſaginandis proſit:quæ ea herba eſt Dioſcoridi Penſedanũ appellata: Latinis herba ſtataria. Quære dict. Feniculũ.

Mariſca σῦκα,Latinis ficus:tuberculũ eſt in ano ſiue ſede prominentiore, apparens,ex genere hæmorrhoidũ,ſed ſanguinẽ non effundit niſi cũ purulenta materia. Vide plura in dict. Hæmorrhoides,& Ficus.

Margaritæ,ſunt vniones, vulgò perlæ,in conchis Oſtreorum generi ſimilibus Plinio dicuntur. Inueniuntur & in conchis mytulorum maris interni, ſed paruæ & exiles. Dos autem earum omnis in candore, magnitudine, orbe, & pondere: integræ item & pellucidæ, perforatis, rufis, obſcuris ſunt meliores:ob id miſcẽtur cardiacis aromatibus,& febricitantiũ imbecillorũ remediis.

Mater-ſylua Scrib. Largo,eſt περικλύμενον Græcorũ, & Caprifoliũ Latinorũ. Dicitur etiã Inuolucrũ maius interprete Muſa. Quære dict. Caprifoliũ.

Marrhubium πράσιόν,frutex eſt ab radice ramoſus,cãdicãs,ſubhirſutus,quadrãgularibus ramis.foliũ pollicẽ æquat, ſubrotundũ, hiſpidũ, rugoſum, guſtu amaro, odorũ,calidũ ordine ſecundo,ſiccum tertio: ad quamplurima vtiliſsimũ Galen.libro octauo Simpl.aſsignatur.ſemen in caulibus,& ex interuallis, flores verticillato ambitu aſperi. Eſt & nigrũ Marrhubiũ,nomine alio, Ballote vocatũ:caules edit nigros, ſubhirſutos,quadrangulos,complures ex vna radice:foliis hiſpidis intercedente ſpatio,ſubrotundis,graue olentibus,apiaſtro proximis. vix eius efficax aduerſus canis morſus,foliis ex ſale illitis. Dioſc.lib.iij.cap.xcviij.& centeſimo.

Maſpetum μάσπετόν, Laſerpitij caulis cum foliis,eſt:cuius gratia copioſius ſcriptum reliquimus in dict. Laſer:& Laſerpitium.

Maſtic

Maſtiche μάςιχη, reſina, ſiue lachrima ex Lentiſco frutice vulnerato, erumpens: quæ lentiſcina cognominatur, & ab aliquibus Maſtiche. Conficiendi modum docet Dioſcorid. libro primo, capit.ſeptuageſimoquinto. Quære dictionem Lentiſcus.

Matricaria παρθένιον, aliqui Amaracum vocant: foliis eſt coriandri, tenuibus: flore per ambitum albo, intus melino, odore graui, ſapore amaro. Longè differt à ea herba, quæ olitoribus Athanaſia, ſiue athanacetum, appellata eſt, cuius ſuo loco petes dict.

Matrix μυελὸς, μητρά, non tantùm mulierum eſt locus conceptui aptus: ſed & pro medulla in ſtirpibus vſurpatur. nam matrix arbor eſt, à qua ſurculi inſitionibus idonei prodeunt. De mulierum matrice retulimus in dict. Vulua.

Materia, eſt natura, quæ vnicuique tranſmutationi ſubiecta eſſe nata eſt: éſtque ſubiectum rei ſiue potentia ſubiectiua, vt in Phiſicis author eſt Ariſtoteles.

Maſticatoria ἀποφλεγματίσμοι, ſunt medicamenta quę in ore retentam & commanducatā per emiſſaria palati pituitam, & qui in capite concreuerunt, humores noxios eliciunt. Fiunt ex ſinapi, maſtiche, pyrethro, pipere, ſtaphide agria, quæ vna taminea eſt, & zingibere. Adhibentur ad omnes vetuſtos capitis affectus, linguæ reſolutiones, & oculorum, & dentium hebetudinem.

Medicina ἰατρία. Hippocrate in libro de Flatibus authore, eſt adiectio deficiētium & redundantium detractio: cuius quidem finis eſt ſanitas: nam medicinæ artis intentio eſt ſanitas, finis autem, ſanitatis adeptio. Hanc definitionem Galen. Method. medendi libro vndecimo, nullam aliam ſecutus comprobauit: tametſi plerique medici poſteriores pro ſuo arbitrio variarunt, vt Herophilus in hunc modum: Medicina eſt ſcientia ſalubrium & inſalubrium, & neutrorum. Hanc vſurpauit etiam Galenus capit. vndecimo, artis meden. non quòd eam vſquequaque probet, ſed veluti valde notam, nomen ſcientiæ cum arte communiter ſignificaret non propriè accipiendū. Ex quibus ſatis perſpicuum fit, medicinam artem, & non ſcientiam eſſe, Ammonius in libro Diuiſionum ſic ait, Omnis ars ſubiectum habet, & finem: itaque medicina ſubiectum habet corpora atque medicamina: finem verò ad ſanitatem corpora perducere.

Medicina, diuiditur in ſpeculandi vim, & agendi: ſpeculandi quidem vis diuiditur in naturæ, & cauſæ & ſignorum explicationem: agendi autem vis, in ſanatile, & curatile: ſed naturæ explicatio diuiditur in elementa, temperamenta, potentias, humores, & membrorum particulas. Cauſæ explicatio, in propoſita, & capitularia, & compræhenſa: ſignorum explicatio, in recordatile, & diſcretile, & futurorum præſagium, quod πρόνοςικον Græci vocant. Sanatile, eſt in cohibendo, nutricando, & expellendo. Curatile in remedia adhibendo, victum deligendo, & chirurgiam exercendo. Hæc ſunt, quæ Ammonius.

Medicinæ primariæ partes ſunt quinque, quæ à Græcis his appellantur nominibus, φυσιολογικὴ, ὑγιεινὴ, αἰτιολογικὴ, σημειωτικὴ, καὶ θεραπευτική. φυσιολογικὴ autem dicitur pars, in qua de hominis natura atque conſtitutione diſſeritur. Ad eam medicinæ partem ſpectant naturales libri Hippocratis, Platonis, Ariſtotelis, Galeni, & aliorum. ὑγιεινὴ verò, eſt quæ ſanitatem pollicetur, ac tuetur, præcauétque quò minùs corpora in morbos incidant. Αἰτιολογικὴ, quæ etiam παθολογικὴ dicitur, eſt quæ cauſas & ſymptomata inquirit. σημειωτικὴ, eſt quæ cognitionem præteritorum, inſpectionem præſentium, & futurorum prædictionem continet. θεραπευτικὴ, eſt in qua medendi ratio docetur. Atque hæc deducitur in partes tres, nempe διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν, καὶ χειρουργικὴν: prima, eſt quæ victus ratione morbis mederi debet: altera, quę medicamētis intra & extra admotis medetur: tertia, quæ manibus operam dat.

Medicinæ cognitio prima, eſt vt cuiuſque partis, potiſsimum verò eius quę ſenſum effugit, atque adeo cuius paſsiones difficillimè depręhenduntur, morbos, ac mala promptiſsimè dignoſcant.

Medicinæ cognitio altera, eſt prædicendorum præteritorum, præſentium, & futurorum: quòd ægrotantes huic qui præſentia, præterita, & futura coram illis præſentat, libentius pareant, eique audentius ſeſe committant, atque adeo ſtrenuè in oppugnando morbo iuuent.

Medicinæ cognitio tertia, eſt cuius prædictione conſequitur vtilitas, quòd is qui victuros, morituróſque prædixerit, nominis crimine prorſus vacabit. Sic per præſagia medicum à morbis crimine vindicare, ægróſque reddere obtemperantes, Galenus author eſt in libello de Conſtitutione artis.

Medicamenta motu pigra ſunt, quæ partium craſsitie pollent, viſcoſáque exiſtunt: ideo primis partibus hærent, in quibus natiuum experta calorem, vim ſuam exerunt.

Medicamenta tenuia ſunt, quæ celeriter in longinquas partes perueniunt, antequàm in actum reducantur, vbi vim ſuam exerceant. Cætera ex Acakia ſuper Galeno ad Glauc. lib. j.

Medicamenta compoſituro cognoſcēda certa methodo, ſunt tria: affectus omnes corporis præter naturam, in quos medicamenta cōponimus: corporis ipſius natura, ſine qua affectus illos ad vnguem noſſe, nec probè tutò vti medicamento queas: tertio ſimplicium omnium medicamentorū facultates pernoſcendæ ſunt, primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, id eſt, ipſorum cauſæ effectrices, ſeu naturales eorum quædam potentię corpus noſtrum immutantes.

Medicamentum, eſt quod corporis noſtri naturam alterare poteſt, ac immutare prima, ſecunda, tertia, quarta, facultate, ſeu tota ſua ſubſtantia: ídque ad ſanitatem faciendam, ſiue ipſum ſumatur, ſiue admoueatur. hæc Galenus initio lib. primi Simpl.

Medicamentum ſimplex ſeu immixtum, eſt quod ſecundùm ſuam naturā, hoc eſt, ſubſtantiam ſeu eſſentiam, ſyncerum, & à mixtura alterius medicamenti alienū. Gal. lib. j. de Simpl. medic. facult. cap. j. & iiij.

Medicamentum compoſitum, eſt id cuius ſubſtantia ſyncera non eſt, ſed cū ſubſtantia alterius medicamenti, vel plurium, commixta eſt. Omnia propemodum medicamenta licet ſenſu ſimplicia appareant, natura tamen, id eſt, facultate, eſſe compoſita. Gal. lib. iij. Simpl. med. cap. xiij.

Medicamentorum ſimpliciū materię quædā proueniunt à plantis, & arboribus: ab animantibus quędam, è terra, mari, & aquis etiam quædam. Gal. ſimpl. facult. lib. vj. cap. ij. & lib. j. Compoſ. medic. ſecundū genera, cap. j. & ij.

Medicamentorum purgantiū, quæ καθαρτικὰ nominantur, variæ formæ excogitantur, tamen haud ſecus atque antidota, quæ in diuerſis morbis exhibentur, dupliciter potiſsimum modo effinguntur: aut enim liquida forma, aut ſolida formantur, & in vſum repoſita in officinis ſeruantur.

Medicinæ principia tria ſunt, vnū inuentionis: alterū conſtitutionis: tertium interpretationis: Inuentionis medicinæ principiū vetuſtiſsimū planè, citráque rationē experientia eſt: conſtitutionis autē, ſicut Aſclepiadū medicinæ, ratio, & experientia: interpretationis vel traditionis initium, naturalis eſt ſpeculatio. Hippocrate verò definitore, medicinæ rationis initiū primum natura eſt. &c. Gal. in lib. Introductorij, ſeu medicus.

Medicamentum purgatorium, eſt non à tēperamento, neque vt contrariū agens in contrarium, quatenus contrarium: neque vt ſimile trahens & euellens alterū, aut vt contrariū: neque vt leue ſurſum, graue deorſum, agitans purgandā materiam: ſed quia talem cœlitus eſt ſortitum calorem.

Medicamentum bene olens, eſt quod ſalubrius æſtimatur: quandoquidem odor ille bonus, partes principes facultatum, ſeu fontes roborat, ſpiritus inſtaurat, facultates, aňimámque exhilarat: grauis odor contra, ob id effecta moleſta, & difficilia illi ſuccedunt.

Medicamentum acre, eſt quòd facilè inflammatur, mordet, penetrat, aperit, vrit vlcerat, flatus diſsipat, tenuat, incidit, reſoluit, è longinquo attrahit, ſiccat, emaciat, ſitim

ſitim mouet: ob hæc omnia citò,& valenter agit: & ſua tenui eſſentia amarũ medicamentum,& cætera imbecilliter,aut tardè purgantia celerat,& purgatiora reddit.

Medicamentum amarum,eſt quod ſiccat, conſumit, vlcerat, aperit orificia venarum,hæmorrhogiam mouet, à putredine vindicat, terget, incìdit, torminoſum eſt, conturbat, reſoluit, attrahit; ſed tardiùs, quàm acre medicamentum: flatus diſsipat, ſitim excitat, valenter agit, ſed tardè, ſuáque craſſa ſubſtantia acre obtundit.

Medicamentum ſalſum,eſt quod incìdit, terget,tenuat,liquat, mordet, à putredine vindicat, conturbat, ſubuertit ventriculum, & ad vomitum impellit,ſiccat, ſitim excitat, aſperat, expurgat radendo, aperit, & hæc omnia opera imbecillia & tarda efficit: ob hæc ſuámque mediocrem ſubſtantiam, omnia imbecilliter, & tardè ſoluentia roborat.

Medicamentum vnctuoſum,eſt quod lenit,lubricat,laxat, mollit, abominabile eſt,& nauſeabũdum,flatus gignit,obſtruit.hæc omnia imbecilliter & tardè perficit: ſuáque mediocri ſubſtantia acre,amarum,ſalſum reprimit.

Medicamentum dulce,eſt quod lauat,lenit,obſtruit,flatu lentum eſt:omnia autem hæc præſtat imbecilliter,nec citò,nec tardè,ſed in horum medio: acre autẽ, amarum,ſalſum quoque reprimit,ſed inſipidum roborat.

Medicamentum acidum,eſt quod penetrat,aperit,incìdit,diuidit,tenuat,terget, denſat, aſperat,extinguit calorem, citò agit hæc opera: ſed in medio valentium, & imbecillium,eſt:ſua denique ſubſtantia tenui obtundit acre,dulci, & inſipido vigorem addit.

Medicamentum ſtipticum,eſt quod intro agit, denſat, repellit, roborat, diuiſa glutinat,tardè & imbecilliter agit,ſuáque ſubſtantia craſſa prædicta omnia obtundit,quibus acre,amarum,& ſalſum,vires addunt.

Medicamentum inſipidum,eſt quod lubricat, flatulentum eſt, obſtruit, denſat, congelat,calorẽ extinguit:& hæc omnia tardè,& debiliter:ſua tamen ſubſtantia mediocri acre,amarũ,ſalſum,acidum reprimit.

Medicamentum purgans, eſt quod à noſtro calore in energeiam reductum motu violento vacuat: neque enim vacuaret, niſi naturæ vim afferret: vacuat autem proprium, & familiarem ſibi humorem, non etiam alium quemuis, niſi actio eius, ob quantitatem iniuſtam, & qualitatem alienam effrenis ac immodica,euaſerit.

Maxillæ ſeu mandibulę σι ἀγονὲς:ſunt oſſa quibus dentes infiguntur:atque harũ duarum inferior in omni animantiũ genere,præter-quàm in Crocodillo, & Lacerto maiore,ſola mouetur. Quære dict. Dentes.

Medicus prudens,& peritus, eſt qui nouit naturam affectuum,atque eorum curationem,ægri naturam,& medicamentorum facultates, non in genere ſolùm, ſed ſecundùm quantitatem,id eſt,quanto receſſu calidum,frigidum,humidum, ſiccum, tergens,& cætera:vt quotidie coniiciat,quali remedio opus eſt:vt præcedens medicamentum intendas,vel diſſoluas,quantum affectus requirit: & ſic curatio legitimè abſoluitur. Neque enim ſufficit noſſe hoc, calfaciendi, aut refrigerandi facultatem habere: ſed quo receſſu,ſiue quantam habeat eam facultatem,definire oportet.

Medicus rationalis, eſt qui naturæ rationem præbet:morborum cauſas inquirit: ſignis ad illarum inuentionem vtitur:curationem capit à contrario. Itaque medicus perfectus eſt,qui feliciter, fidelitérque ſe praxi exercet:quíque cũcta operatur in medendi facultate,vſu,& experientia.

Medulla ſpinæ cerebro poſteriori adiacet,neruos ſexagintaduos, per ſingularũ vertebrarum foramina,ſingulos emittens.

Medulla ſpinæ dorſalis à Platone in Timæo, Hippocratis ſententiam qui ſequutus eſt,genitalis appellata author eſt Galenus ſuper eodem Timæo: ſenſuiſséque à dorſali medulla ſemen ad maris pudendum deſcendere: cùm & hæc veterum ſit opinio. Eſt denique medulla ὁ μυελός, ἡ μήτρα, καρδία, etiam in plantis appella-

tur, & cor,& matrix à Theophraſto.

Mecaphroditus μεκαφρόδιτος, herbula eſt, quam Ruellius papauer ſpumeum ſuſpicatur:atque ipſum Aëtius in potu contra viperas commendat. Quære dict. Papauer.

Meconium μηκώνιον,nigri papaueris ſuccus in paſtillos digeſtus,multùm ignauior opio.μηκώνιον,καὶ μήκωνος ὀπὸς.Pharmac.ſecundũ genera libro primo Gal. ſuccus ex foliis & calice papaueris tuſis expreſsus, pro opio à pleriſque ſupponitur alia eius adulteria Dioſcorides.Diuerſa facit ex Aſclepiade Galenus libro ſecũdo antid.Eſt præterea Meconis μηκωνὶς,ſylueſtris lactucæ ſpecies, & amara. Quære dict. Opium.

Medica herba μηδικὴ πόα,trifolium grande,& fœnum,vel fœnacia herba dicitur:quæ cùm recenter prodiit,foliis,& caule trifolio pratenſi ſimilis eſt.procedens verò folia contrahit, caules edens trifoliis, & ſiliquas corniculorum modo intortas, in quibus ſemen lentis magnitudine dependet.herba tota pro gramine vtuntur qui pecora alunt.

Medimus,genus menſuræ,centum & duobus ſextariis valet:apud alios nonnullos libras capit quinquagintaocto.

Medium herba μηδνὸν πόα,in petroſis,vmbroſiſque locis quæ naſcitur : & trifolium odoratum pleriſque creditur,quod acutum Largo eſt. Meminit huius Dioſcorides lib.iiij.cap.xvj.

Melancholia μελαγχολία,id eſt, bilis atra, eſt deſipientia ſine febre: ſed mania μανία fit vbi flaua bilis ſupra modum exuſta in nigram mutatur.Latinis inſania dicitur.Hac correpti ferarum modo redduntur effrenes,vt etiam eos qui imprudétiùs illis occurrunt,malè tractent.

Melamphyllum μελάμφυλλον,παῖδερὸς,ſpecies acanthi, ſine ſpinis, & aculeis: quæ pederota,id eſt,Branca vrſina, vulgò appellata, humilior exiſtimatur. Quære dict. Acanthus.

Melandryum μελανδρυόν,medulla roboris Geſnero videtur: Plinio herba in ſegetibus naſcente,ac pratis,flore albo,odorato. Aliquibus roboris genus eſt:aliis ex Plinio,melampyrum eſſe contentio eſt.

Melampyrum μελαμπυρόν,καὶ μύαγρος,ſurculoſa planta eſt,tripedanea, foliis rubiæ pallidis,ſemine fœnigræci, oleoſo.Latinis vocabulũ hoc frumẽtũ nigrũ ſonat, quod ſuſpicor ego Iouis triticum vulgò appellatum.Rura autem rogetã eſſe volũt.

Melampodium μελαμπόδιον, Elleborus niger eſt, à Melampode paſtore inuentore,dictus: veratrum nigrum, alioqui exiſtimatum reperitur. Quære dict. Elleborus.

Melanthium μελάνθιον,gith, id eſt,nigella Romana,quamuis flore ſit ex cœruleo albicante:ſemine nunc nigro,nunc rufo,calidum ſiccum tertio ordine. Quod verò in ſegetibus altiùs adoleſcit,nigella ruſticis dicta,inodora,vt gythago vocari poſſit.Dioſc.lib.iij.cap.lxxv.perlegendus eſt.

Meleagris,pauo Aphricanus eſt,non gallina regionis eiuſdem, vt ſcribit Scholiaſtes;& quia auis vtraque nobis notiſsima apparet,facilè intelligitur, diſcernitúrque ex ſpecie differentia:& menſis non ſolùm vtraque,ſed & cibis qui facillimè ſtomacho conficiuntur,aptiſsima.Vide AElianum plura ſcribentem.

Melilotus μελίλωτος,ſertula campana,ſiue corona regia,& pratellum,quòd pratis ſit familiare,& ſegetibus,dicitur:cuius autem color eſt vicinus croco,& boni odoris eligitur:ſed colore in luteum langueſcente,& odore infirmo,ad medicamenta imbecillior eſt.Dioſc.lib.iij.cap.xxxix.Galenus Simpl.lib.vij.& Compoſ.medic. libro quarto.

Melo-Indus, Anguria olitoribus dictus:aliis botheca,viridi cortice veſtitus, interlinearibus figuris candidis adornatus, oblongus,magnus,& interdum ex globoſo turbinatus:nũc in Gallia noſtra frequẽs.Quoniã itaq; multa ſunt genera, ab ipſorũ ſapore,& figuris ſunt petẽda. Quas differẽtias inter ſe habeãt Melones, pepones, me-

lope

lopepones,& citrulli,Car.Stephanus in lib.de Re hortenſi,te ad verum docebit.

Meliceris μελικηρὶς, ex abſceſſuum genere eſt, qui mellis modo, ac ſimilitudine humorem in ſe habet. nam in abſceſſuum genere tria ſunt frequentiſsima, nempe Stateoma, Atheroma,& Meliceris: à ſimilitudine contentorum in his corporum dicta,vt Galenus docet.In Stateomate enim ſeuo,in Atheromate pulticulæ, in Meliceride verò melli ſimilis materia continetur: quibus omnibus commune eſt, vt quod continetur,vel digeratur,vel putre reddatur,vel ferro excidatur. Quibus autem remediis hæc fiant,ex AEgynetæ libro quarto petendum eſt:& ex li.ij. ad Glau. Galeni,cum Acakiæ diligenti explanatione.Quære dict. Abſceſſus.

Melicratum μελικρατὸν, eſt potus ex melle,aqua,cinamomo pauco,ſeminibus frigidis maioribus,& quandoque radice,vel ruſci,vel graminis adiecta,prout ægritudo poſtulat,exequitur.aliquibus etiam aqua mulſa dicitur. Apud Meſuem reſtitutũ compoſitionem habes integram.

Meliſſa μελισσοφύλλον, id eſt,apum folium, ſiue apiaſtrum,& citrago pleriſque dici placet.Huius genus eſt & alterum,inquit Geſnerus, foliis herbaceis, inciſuris altioribus,quod herbariis praſsium viride eſt. Dioſcorides libro tertio, cap. xcix. Gal.li.vij.Simpl.

Melones μηλοπεπόνες, à rotunda mali figura nominati: præſtantes dulcedine, ſuccrini: & fragranti odore, moſchati: nomen ipſis hactenus durauit: & à peponibus videntur bonitate in totum differri. Quære Carolũ Stephanum in libro de Re hortenſi.

Mel μελὴ, in ſuccorum ſenſum referri poteſt, ex Apum arte & ſolertia collectum, & concretum: colore flaueſcens & candicans quod efficaciſsimum depræhenditur: eſtque medicamentoſum, & in alimentum verti non dedignatur: temperatura calidum humidum: atque ex ſanguine in bilem confeſtim, longa continuatione eſum, conuertitur: ſed ſumptum intra corpus eſt oliuo ſalubrius, extra verò corpus oliuum. Galenus li.vij.Simpl.& Sanitat.tuend. li. iiij.& Temperament. li.iij. Dioſ.li.ij.cap.lxxiiij.

Mel vino quarta parte grauius eſt,continet enim ipſius menſuram integram, & trientem inſuper. Cæterùm ſcire conuenit liquores grauitate inter ſe differri.

Membranæ cerebrum velantes μήνιγγαι, vocantur: quarum exterior craſsior validiórque eſt, atque adeo cerebri contra caluariæ occurſus propugnaculum, recentiores medici duram matrem nominauerunt, natura prouida dedit. Hæc perforata eſt iuxta oſſa, quæ quia coli ſeu cribri inſtar foraminata ἠθμοειδῆ, & quod veluti ſpongiæ foramina multa habent σπόγγοειδῆ, dicuntur. Baſilaria & colatoria oſſa Latinis appellata. Membrana tenuior penitus cerebro coniuncta ſecundæ ſimilis eſt: ei quoque nomen vulgare pia mater: Græcis autem χοροειδὴς accepit nomenclaturam.

Membrana,quæ ab interiore parte coſtas cingit, & ambit ὑπεζωκὼς appellatur: ex hac aliæ membranæ duæ vtraque parte ſingulæ medium thoracem intercipientes naſcuntur, quæ διαφράττοντες, nominantur: Barbari medici mediaſtinum vocant.

Memoria μνημὴ, eſt retentio ſeu compræhenſio,& quaſi poſſeſsio atque conſeruatio eorum, quæ vel dicta,vel excogitata fuerunt in animæ operationibus ad intellectus repetiti reminiſcentiam. De memoria deperdita,déque affectibus aliis, qui circa principem animæ faculatem euenire poſſunt, Gal.li.iij.Locor. affect. cap. iij.quia fuſiſsimè docet,ideo petendus.

Memitha Glauciũ eſt,ſuccus herbæ noſtro orbi ignotæ,ſed ad Hierapolim Syriæ naſci ſcribit Dioſcor.lib.iij.cap.lxxxij.foliis ferè corniculati papaueris,ſed pinguioribus,in terram ſparſis,odoris tetri, guſtus amari. tota croceo ſucco madet: cuius vſus ad oculorum medicamenta conducit.

Mentis partes ſunt,contẽplatiua,& conſultatoria: contẽplatiua,vt ſcientiæ intellectus,& ſapientiæ cognitio:conſultatoria,vt artis,& prudentiæ actio,quarũ finis eſt.

Mentis alienatio ſeu melancholia aut deſipientia ſine febre,eſt quæ interdum fit vniuerſo in venis ſanguine melancholico effecto,ob cõmune ſanè vitiũ, cerebro quoque ipſo ſimul læſo, nõnunquam verò quando reliqui corporis ſanguis prorſus innocuus eſt,ſolus autem is,qui in cerebro contentus eſt,alteratur:ſed duobus modis. hæc docet in huius morbi curatione Fuch.li.j.de Med.morb.cap.xx.

Mentum γένειον, id omne eſt quod labro inferiori longa orbiculari figura ſubiacet:à quo mentagra morbus,qui ſub nomine Lichen cõpræhenditur,& deſcribitur.

Meningæ μήνιγγαι, cerebri totius velamenta ſunt: quæ membranæ, id eſt, vt chirurgorum vulgus appellat,mater vtraque,dura ſcilicet,& pia.de qua re vide paulò ſupra.

Menſis illuminationis, eſt quando diebus triginta, aut viginti nouem cum ſemiſſe Luna ad ſolem remeat: ſed occultationis tempus, quod ferè dierum trium eſt, extricenis dempſeris dies ſeptem & viginti: ſi ex vicenis-nouenis cum ſemiſſe, dies ſex & viginti cum ſemiſſe remanent, quod tempus menſis illuminationis eſt, quòd ſcilicet Luna tunc nobis manifeſtè illuceſcat.

Menſis reuolutionis, eſt cùm Luna ex oppoſito, quadrangulo, vel quadranguli medio locum inſpicit:à quo quum morbus cœpit,egreſſa eſt:quodq; duplici nomine in morbis,præcipuè acutis,imperium Luna habet,nempe lumine, & configurationibus.Itaque menſis reuolutionis ex ſeptem & viginti diebus trientéque conſtat.

Menſis medius, ſeu criticus, eſt qui ex menſibus illuminationis & reuolutionis ſimul copulatis,& in duo æqua diuiſis,ſortitur:nempe illuſtrationis & configurationis facultatibus potitur.

Menſes in mulieribus,muliebria alioqui dicta,in primis ſenſim menſibus ſingulis erumpunt ab ipſo iecinore, velut per quædam interualla, donec peruentum ſit ad illa ſuper primum ceruicis vuluæ exortum acetabula, quos hæc quaſi hianti & aperto ore effundunt:vt videre eſt in Icone appoſito.

Menſes, ſunt qui vel naturaliter, vel præter naturam quibuſdam mulieribus ſupprimuntur: naturaliter, quòd mulier nulla inde moleſtia vel totius corporis, vel vteri afficiatur: ætatis itaque ratione plurimis menſes quartodecimo anno fluere incipiunt, paucisſimis ante decimumtertium aut duodecimum erumpunt: deſinunt verò aliis circa quinquageſimum annum, vel paulò poſt: vel vſque ad ſexageſimum durant. Steriles etiam mulieres præter naturam detinentur. Sunt præterea viſæ mihi mulieres, quæ vndecimo ætatis anno peperere maſculos: & aliæ quæ ſuprà ſaxageſimumtertium ætatis etiam annum peperere puerulas. Neque Plinij reiicienda ſententia eſt, qui aſſerit, quod ego ipſe probaui verum, nullum certum tempus pariendi mulieribus conſtitutum, quum menſe ſeptimo alia, alia atque alia modo nono menſe, decimo, vndecimo, decimotertio, & decimoquinto ſicuti illis placitum eſt, pariunt: mortalibus quotidiana quæ res,ſiue naturæ miraculo,eſt.

Menſium profluuium, eſt quod ſtatis temporibus mulieribus euenit, vt eo ipſo vniuerſum corpus expurgetúr, atque adeo ſanitas tueatur. Si itaque extra conceptionem, & id tempus lactatur infans, menſes ſuppreſsi fuerint, bonam corporis valetudinem planè deſtruunt, perinde atque vbi plus iuſtò permanarint. Hippocrates libro Aphoriſmorum quinto, Aphoriſ. lvij. & Epidimia.libro ſexto, partis primæ aphoriſ.vj.

Menſium redundantia in mulieribus, eſt quando vltra conſuetum tempus purgationis magna copia affluxerit:tempus autem vnicuique purgationi ſtatutum,& ordinatum non eſt:niſi vrſis,& ſimiis fœminei ſexus,quæ ſuos tempore conſtituto ſuſtinent menſes.

Menſes mouentia,ſunt medicamenta magis calida,quàm lac gignentia, & ſicca modicè vt ſabina,daucus,pulegium,calamintha,& alia permulta.

Meſenterium μεσεντέριον, καὶ μεσάραιον, pars quæ media inter inteſtina ſita eſt, eáq; dorſo alligat,vocatur.Sed & meſenterium à ſitu, in medio ſiquidẽ inteſtinorum

ſitum

ſitum: Meſareum autem à propria ſubſtantia, quia ex tenuibus ac anguſtis venis conſtat. In eo enim venæ ſunt, quæ ex iecinoris porta, vbi inuicem coëunt, & ad vnum principium perueniunt, in ipſum deſcendunt, quibus iecur veluti manibus, quæ ei cibum ex ventriculo afferant, vtitur, & meſentericæ, ſeu meſeraicæ dicuntur: & hîc porta iecinoris eſt.

Mergus ἡ α᾽ιθυα, auis vulgò plongion dicta, ex qua tempeſtatem prænoſcimus. Mergus autem dicitur, vt Varro author eſt, quòd cibum captãs ſe ſubinde in aquam immergat. huius caro quia peſsimè conficitur, à medicis peritioribus in cibis damnata eſt.

Mercurialis mas ἑρμοῦ ποα, καὶ λινοζῶςις, ſuum nomen vulgare, apud plebeios hactenus retinuit: notitiæque perfamiliaris, & in medicina frequẽtiſsimi vſus. Eſt & mercurialis fœmina λινοζῶςις θήλεια. Dioſc. li. iiij. cap. clxix.

Merula ὁ κιττυφὸς, cuiuis hominum auis nota, cuius caro durior multò, quàm perdicis vtriuſque, aut ſturdi, non attagenis: cuius cibus parum ſalubris contra multorum ſententiam.

Meſpilus vrbana μέσπιλον, fruticoſa arbor notitiæque vulgaris: verùm ſylueſtris meſpili fructus vrbanæ ſunt odoratiores, & ſi non mitiores, tametſi frugaliores. Interpretantur quidam ſylueſtrem meſpilum Cratægum: ſed meſpilus Dioſcoridis deſcriptione, arbor eſt aculeata, triccocum ferens fructum, qualis eſt quæ Azarobum Neapolitanis dicta profert. Meſpilus autem noſtras, Dioſcoridis vera Epimelis eſt, li. j. cap. cxxxiij.

Methodus μέθοδος, eſt vniuerſalis medendi via ac ratio, ex principio aliquo ad ſingula peragenda aliquo ordine perducit: docendo quid primum, quid ſecundum, quid tertium, & deinceps: & quid ſiue quo curationem efflagitet: & qua ratione ea perfici poſsit.

Methodicorum notæ, ſunt ſimilum in euidentibus conſideratio: particularium ad generalia reductio, ex communium indicatione curatio accepta.

Mentha μινθη, quibuſdã Dioſco. Calaminthe ſuſpicatur: aliquibus Syſimbriũ. Mentha quidem frigida non eſt, nec humanam genituram edẽtibus abſumit: quemadmodum Problemate vltimo ſectionis decimæquartæ ſcriptum reliquit Ariſtoteles. Mentha multiplex quidem eſt ἡδύοσμος Græcis dicta; hoc eſt, ſuaue olens, & ſuo odore mentem quòd excitet, mentha appellata nonnullorũ ſententia. Sed quæ vera; eſt folio puſillo, nigriore, & longiore, caule rubro, neque adeo fruticat: atque hæc verus Balzamus dicitur. Menthaſtrum autem eſt caule altiore & latioribus foliis, ſed lanugineis. Eſt & mentha aquatica; quæ à Dioſc. Cyſimbrium dicitur libro tertio, cap. xxxiij.

Metrenchites, inſtrumentum eſt quo vterus colluitur: & tantum ſonat Latinè quaſi dicas vterinum clyſterem: μήτραν enim matricem, & χένειν fundere valet Græcis. Catheter autem, ſiue Syphon rectus neotericorum Chirurgorum voce Argalia vocitatur: eſtque ænea fiſtula, per quam vrina elicitur ſuppreſſa, aut qua medicamentum in veſicam infunditur forata per indirectum.

Metopium μέτοπιον, arbor ammomacam guttam ſtillans: quibuſdam Galbani ferulæ parens ſuſpicatur. Dioſcorides libro primo, cap. lx. refert vnguentum fieri in AEgypto, quod metopium patrio nomine appellatur, propter Galbani miſtionem: nam lignum in quo Galbanum enaſcitur, vocant metopium. Quære dict. Ammoniacum, & Galbanum.

Metreta, menſuræ genus, ſextariis ſeptuaginta duobus valet: apud Syros autem centum & viginti. Vaſis genus conſtans ex duobus baris μετρητή. Quod Dioſcorides metretam dixit, Plinius cadum tranſtulit, quod & ipſum Græcum eſt, ſed vtroque Latini vtuntur. Eſt autem congiorum decem, vt author eſt Dioſc. li. v. decem au- tem congij ſexaginta ſextarios valent, id eſt amphoram & quadrantem.

Meum μῆον καὶ ἡ μεῖον, offcinis meu, & auethum ſylueſtre, & tortuoſum appellationem habet: & quod nobis frequens Dioſc. picturam explet, lib. j. cap. iij. tamen

præſtan

præſtantius Macedonicum, aut Hiſpanum: ſed & Athamanticum laudatur ab Andromacho in ſua Theriace, Galeno referente li.j. Antidot.& li.ix. comp. Pharmac.ſimiliter li.vij.Simpl.

Miliaria herba, βοτάνη τὶς ἐν χέγχρῳ γινομένη, καὶ τῷ ἐμπλέκειν αὐτὸν βλάπτουσα, id eſt, Milio gentilis eſt, hinc miliaria ex eo dicta, quòd milium implicando enecet. Eadem fortaſsis Cuſcutæ iam dictæ fuerit, verũ Linodoræ Theophraſti, quã rura corigiolam vocant, potiùs, Geſnero coniectore, ſuſpicabitur.

Milium κέγχρος, καὶ πίστον, Sraboni κεγχρυς, Hippocrati πάσπαλη: vulgare granum habetur vbique gentium. In panes coactum minus alit cæteris frugibus. ſiſtit pulte ſua aluum. vrinam cit: mouétque ſudores eius decoctum cum ſacchare in ſirupum conuerſum, & mox bibitum.

Milium Indicum κέγχρος ἰνδικὸς, noſtratibus Gallis hodie frumentũ Turchicum eſt: ſubflauum colore granum tyrſo turbinato affixum, copioſum, amplum, arundineo culmo, altitudine ad pedes ſeptem. Omnium enim frugum fertiliſsimũ, quòd ex grano vno terni ſextarij gignuntur: ob idque Nerone imperante in Italiam conuectum fatũque ſubinde eſt. In Gallia ſeritur niſi in hortis oſtentationis gratia.

Milium Solis λιθόσπερμον, à ſeminis duritia nomen accepit, foliis eſt oleæ longioribus, & latioribus, mollibus iacent humi, quæ ab radice exiliunt: ramulis ſurculoſis, tenuibus, rectis, firmis, craſsitudine acuti iunci, interque parum ſemen, rotundum, erui magnitudine, duritia lapidea. vim habet vt calculos in renibus moueat, & frangat, foráſque per vrinam propellat. Dioſc. li.iij.cap.cxxxv.

Mille pedæ, vermiculi ſunt, Aſelli alioqui nominati ſub vaſe aquario deliteſcentes: quorum medicinæ facultas à Dioſc. deſcribitur hoc modo: Animalia ſunt multis pedibus nitentia, quæ contacta manu contrahuntur in orbem. hæ ex vino potæ diffi cili vrinæ, & regio morbo, auxiliantur: anginis cum melle illitis vtiliſsimũ. horum meminit & Scrib. Largus. Quære dict. Aſelli.

Mille folium μυριοφυλλον, herba eſt tenui à lateribus capillamenti modo folio, eximij vſus ad vulnera, & neruos præciſos addita axungia. præcipitatis in potu cum aqua & ſale datur. Aliam præterea deſcribit ex Ruel. Geſnerus, quã & millefolium χυλιοφυλλον, inter Syderitides herbam, Achileiam, nomine alio appellatam, deſcribit. Eſt & Stratiotes χυλιοφυλλος, id eſt, millefolia herba, quæ Achileis ſuſpicari poteſt. Quære dict. Stratiotes.

Militaris herba ἔρινος, aut eius ſpecies Geſnero creditur, & eadem quæ Lactoris. dicta militaris, quoniam vulnera recentia ex oleo quopiam impoſita intra dies paucos ſanat. Quære dict. Lactoris.

Mezereon, nonnulli cũ Laureola confundunt, ac ſi vnum ſint, quũ duo & longè diuerſa eſſe oporteat: quoniam laureola, quæ Daphnis eſt, lacte careat: mezereon eo abundet, vt illi Arabes imponunt. Nam Dioſc. & Pli. Chamæleam & Thymæleam duas herbas faciunt, vt veræ ſunt: manifeſtéque colligitur Arabum, mezereon, eſſe chamæleam & thymæleam Dioſc. ac Plinij.

Miluus ἴκτινος, auis nota: quã AElianus vſq; adeo rapacem eſſe ſcribit, vt carnes & exta ex macello auferat, tamen ex Olympię aris eas nunquam attingit. Significatrix belli, & epidimię, morborumq; peragrantium eſt, & portétorum nonnunquam præſaga: ob id ipſum circum vrbes & oppida verſari eius conſuetudo eſt.

Mina quam Græci μνᾶ vocant, multiplex eſt: alia nãque Romana, alia Attica, AEgyptiaca alia, atque alia Alexandrina. Romana teſtibus Galeno, & AEgyneta, viginti vnciis cernitur: Attica & AEgyptiaca ſexdecim vnciis conſtat. Cætera repoſuimus in dict. Li bra.

Minium, arboris Gaditanæ gummi eſt. Strabo verſus finem libri quinti hoc ſcriptum reliquit de hac arbore, inquiens: Gaditanæ verò arbori & illud innatum eſſe traditur, quòd vno fracto ramo lac effluit: quod ſi radicem abſideris, Minij humor exudat. Dioſc. li.v.cap.lix. de Minio aliter ſentit ſic ſcribens: Minium enim in Hiſpanijs ex lapide quodam argeteæ arenæ permixto, temperari ſolet: alioqui non digno-

ſcitur

ſcitur.fornacibus autem in florentiſsimum flagrantiſsimúmque colorem permutatur.in metallis verò ſtrangulantem halitum eructat. Apertè adeò Minium Dioſ.nō nouiſſe docent ipſius ſcripta,vt quiuis doctus iudiciū ferat ſine inuidia.Quære dict. Cinnabaris.

Mirach Arabibus, id eſt,panniculus carnoſus, Latinis Abdomen nuncupatur: quod octo muſculis conſtat, & pinguitudine ſi qua reperitur. Sunt autem hi octo, duo ſanè recti, à pectore vſque ad pubis oſſa,per totius ventris medium maximè exporrecti.Duo autē tranſuerſi in latum procedunt, rectum cum prædictis efficientes angulum. Quatuor verò obliqui, quorum duo à præcordiis, verſus ilium oſſa tendunt:reliqui duo ab iliis ad coſtas profecti.Quære dict.Abdomen.

Miſodulum μισόδουλον, ocimum appellari Diophanes ſcripſit, à cœco illo odio quo maximè fœminis id aduerſari teſtatur.Nam ſi pultario ſubiectum ſit inſcia muliere, futurum vt nunquam cibo manus admoliatur, priùs quàm ſubductum ſit ocimum.hæc ex Dioph.Geſnerus.

Miſtrum,menſuræ genus,per ſe drachmas quinque pēdet:duplex eſt, minus miſtrū: olei drachmas ſex recipit,vini ſcrupula viginti,mellis drachmas nouem, maius miſtrū,olei quadrantem capit, vini tres vncias, & octo ſcrupula, mellis trientem, id eſt,vncias quatuor.

Mithridatium μιθριδάτιον,plantæ genus,folia habens,inquit Plinius,duo à radice Acantho ſimilia,caulis inter vtraque ſuſtinens florem roſeum.Geſnerus.

Miua Arabibus, fructuum ſuccū ſignificat,eo modo coctum vt in formam ſapæ, vel mellis condenſetur.habes plura ex Meſue,& Nicolao nuper reſtitutis.

Mola μύλη, eſt tumor induratus interim in vuluæ oſtiolo,interim in toto ipſo vtero prominens, ad tactū ferè lapidoſus: at cùm demittitur caro,informis apparet. Nomen autem à motus difficultate & grauitate aſſumpſit,quam ſentiunt quæ malo hoc afficiuntur mulieres.Cauſas explanat Gale.lib.xiiij. Meth. med. & curationem Fuch.li.iij.cap.xlix.de Med.morbis.

Modius,ſiue medimus Attic⁹,hemiecta capit duodecim.cætera in dict.Medimus.

Mollugo ἱπποφαῖστον,καὶ ἡ ἱπποφαὲς,cardui ſpecies coniectoribus nonnullis videtur:ſicut retulimus in dictione Hippophæſtum.

Molluſculum, vt docet Geſnerus,aceris arboris tuber eſt,bruſco quod intortius & criſpum eſt,multò præſtantius,ſimpliciùs ſparſum.haud dubiè citro præferretur, ſi menſarium amplitudinem caperet.

Molon μωλὸν,καὶ σκυρον Plinio,caule eſt ſtriato, foliis mollibus,paruis, radice quadrantali, in qua per extremum allij caput extuberat. Eſt quoque Moly μῶλυ, καὶ, μύλη herba,cuius nomen idem Rutæ ſylueſtri applicatur: molónque eſſe ſuſpicio eſt.nam Molochi μωλοχὴ,malua procerior,quæ Apuleio haſtula regia, ſed perperam,nominata eſt:vulgaribus autem Roſa tranſmarina.

Miſy μισύ, ex fodinis in Cypro inſula eruitur,auri ſimile,durum,quod friando auri colorem imitatur,& ſtellæ modo ſplendet.Sunt qui Pſoricum,alij Chalcitidem & Chalcanthum eſſe voluerunt, ſed horum nullum eſt,quoniam ſui generis Miſigleba eſt.Dioſc.li.v.cap.lxvj.

Morbus,eſt affectus præter naturā à quo primùm vitiatur actio morbus differt à cauſa,quòd hæc etſi præter naturam ſit affectus, actionem tamen non primum per ſe,ſed morbo interueniente,vitiat.Gale.Artis medic.cap.lxxxviij.& de Sympt. cauſis li.j.& de Symp.differ.Fuch.Paradox.li.ij.cap.j. Quære dictionem Affectus,Actio, & Cauſa.

Morborum tria ſunt genera,vnum, quod in ſimilaribus:alterum,quod in inſtrumentariis: tertium, quod in vtriſque partibus conſiſtit. Morbi genus alterum,eſt quod in inſtrumentariis duntaxat partibus conſiſtit, & mala conſtitutio ſeu compoſitio appellatur.ab imperitis verò morbus officialis. Morbi genus tertium, eſt quod ſimilaribus,& inſtrumentariis commune eſt:& ſolutio continuitatis ſiue vnitatis dicitur.Quære dict.Solutio continui.

Morbi

Morbi inſtrumentalium partium duplices ſunt,aliqui enim ſimplices, & hi numero ſunt quatuor:vnus in conformatione incedēti ſpectatur, alter in particularum numero: tertius in magnitudine ſeu quantitate cuiuſque obſeruatur: & quartus in compoſitione.

Morbus conformationis accidit ob indecentem figurā connatam,vel aduētitiam, concauitatem immodicè patentem,aut obſtructam:item aſperitatem,aut lenitatem partium. Morbus numeri,quùm partes vel abundant, vel deffiiciūt.morbus magnitudinis,eſt propter diminutionem, aut auctionē connatam, vel partium aduentitiam. morbus cōpoſitionis,eſt cùm vel poſitura ſeu ſitus partium à naturali euariat,vel ea rundem conſenſus à natura recedit.

Morborum trium generū, nonnulli ſunt peracuti, nonnulli acuti, aliqui verò longi.morbi acuti duplices ſunt,acuti ſimpliciter, qui in quatuordecim diebus integrè iudicantur:alij acuti ex degeneratione mutationevè à ſpecie in ſpeciem dicuntur. morbi longi, & diuturni, ſunt quicunque acutorum terminum tranſcendunt,diémque quadrageſimum excedunt. morbi peracuti,ſunt qui circa quatuor primos dies, vel paulò vlteriùs in ſummo vigore conſiſtunt. Gal. libro primo, Aphoriſ. Hippocr. Comment.vij.

Morbi acuti & febres acutæ, à calidis humoribus, ſanguine nimirum, & flaua bile magna ex parte oriuntur:ſic diuturni à frigidis,pituita & atra bile, vt in Crano ne antiqui dolores frigidi,noui verò calidi. quod ſcriptum reliquit Hippoc. libro vj. Epid.part.prima aphor.vij.

Morbi vulgares,ſunt qui ſecundum quædam tempora, eodem in loco multos mortalium inuadunt,vt peſtis:quæ in omnes animantes ſæuiens ab aëris corruptione initium habens.Sic quoque de peracutis,& peragrantibus morbis ſuſpicandum eſt.

Morborum genera, ſpeciéſque in oculis à natura, à non natura, & præter naturam,petendus eſt Galenus in libro de Oculis,theor.tertio, capite primo, ſecundo & tertio.

Morbilli, variolæque vulgò dictæ, ἐξανθήματα à Galeno,Latinis puſtulæ,dicuntur. Variolæ enim,ſunt puſtulæ ſanguineæ, morbili verò fiunt ex bilis ſanguiníſque mixtione:variolæ ergo fiunt à materia craſsiore,morbilli autem à tenuiore,& herpetes nominantur: variolæ quidem ecthymata. Manardus libro vij. Epiſtola ſecunda.

Monedula ὁ κολοιός, cornicis ſpecies: furatur aurum, argentum, cæterámque pecuniam quam obuiam ſibi habet:vt Cicero in oratione pro Flacco: Non plus aurum tibi, quàm monedulæ cōmittebant. Cæterū tota clamoſa auis eſt, tēpeſtatis, & fulgetri monitrix:cruribus,& roſtro rubris, ſed plumis maximè nitet nigris: cornicéque paulò inferior:& in medicina,& cibis nullius vſus.

Mors,eſt rerum omnium lineæ finis, ac extremum:ſeculíque huius inter corpus & animam diſſolutio: ipſius deſtructio quoque,ac deperditio ad æternam vitam reſurrectio. Quanquam mortem interdum pro fato, & euentu philoſophi, & poëtæ vſurpant, quod longè diſcrepat à Chriſtiana fide. ſed nihil ad medendi vſum facit hæc definitio.

Mortis dies prænoſcitur, quando ſuperat materiam morbus, conſiderando & grauiores acceſsiones inſpiciendo. Si enim effatu dignus fuerit acceſſus, & parum adhuc reſiſtere vis naturæ videatur, mors cito ſubſequutura eſt:ſi verò contraria affuerint,tardiùs.Fuch.Comp.Medicinæ cap.xliij.

Molybdena μόλυβδαινα, plumbago eſt,& ex fodinis materia: ſubſtantiæ craſsioris & frigidioris,quàm λιθάργυρον: non terget tamen,licet varium colorem afferat. Dioſco.libro quinto,cap.l.Gal.li.j.Compoſ.pharmac.& li.ix.Simpl.

Molybdena μολυβδαῖνα πόα, herba eſt alioqui dicta plumbago Plinio:in aruis naſcitur,folio lapathi,radice craſſa,hiſpida,qua contrita,& oculis plumbagine,quod vitij genus eſt, captis impoſita, feliciter quidem medetur. Ea creditur quæ officinis Perſicaria maior, ob fuſcam in folij medio maculam, vocitata eſt: eáque de cauſa plumbago dicta.

Moliza.

Moliza μώλυζα Hippocrati,allij corua cum capite ſolo,id eſt,cum capite & fo-liis,vox vſurpata eſt.

Morion μώριον, mandragora mas deſcribitur: vt copioſius de vtraque radice in dict. Mandrag.docuimus.

Motus,eſt cui quies opponitur,& contra:verùm hoc in loco omnis generis exer citia intellige,vt eſt ſaltus,lamarum,diſcíque iactus,curſus,pilæ ludus, equitatio,ſul catio,venatio,& eiuſmodi:qualia Gal.li.ij.de Sanitate cõmemorat. Hos etiam inter motus commemoratur frictio, cuius frequens apud veteres vſus fuit: cuius ſunt in vniuerſum ſex differentiæ,dura ſcilicet,mollis,multa,mediocris,aſpera,& leuis:qua rum omnium vberiorem explicationem ex Galeni loco iam citato,petes.

Motus,eſt alicuius in aliquo,aut acquiſitio,aut deperditio. Dicitur autem acqui ſitio, aut deperditio, quandiu rei aliquid acquiritur, aut deperditur: nam motus eſt varius,multipléxque.

Motus trãſitiuus vniuerſorum cum voluntate, eſt cùm imperat princeps animæ pars,& ſpiritus qui in neruis eſt, ſuffragatur, & inſeruit, membra extendit, tranſ-fértque.

Morus arbor, ἡ μορέα, καὶ ἡ σύκαμινος: cuius morum σύκαμινον fructus eſt. Morus alba Græcis veteribus indicta videtur, & Latinis præter, quàm Ouidio:fortè quia per inſitionem in populo alba gignitur. Sed Morus nigra,cuius foliis Bombices paſti ſericum nent pulchrius & ſplendidius,laudatiſsima eſt.

Morus AEgyptia,aut ficus AEgyptia,moroſycus,vel ſycomorus Celſo eſt:& fi-cus AEgyptia,quæ κερωνία appellata eſt.Item morus vaticana βάτος,rubus in aruis ex ſentibus reptans:vulgaris quoque notitiæ.

Moſcharyon μοσχάρυον, Geſnero καὶ κάρυον ἀρωματικόν, nux vnguentaria, & myriſtica, vulgi appellatione Moſchata, à miro videlicet odore quem ſpirat no-men retinuit. Apud Dioſc.& cæteros veteres nihil de ea reperitur: recentiores autem κάρυον μυριστικόν,id eſt, nux moſchata appellant: atque ex hac prodiri macim cer-tum eſt. Atque hi ſunt decepti,qui glandem vnguentariam nucem moſchatam puta uere:de quarum differentia Dioſc. li.iiij. te abſoluet. Quære dict. Glans vnguẽtaria.

Mucus ſeu mucor, excrementuum eſt quod à cerebro deſtillat ad nares, & ad fauces gutturis.propriè nec pituitam quis appellabit.

Mucago ſiue mucillago Græcis χύλος, id eſt, ſuccus,ſeu mucago, ac lentor qui-dam: ſicuti mucus, ac mucago fit infuſis quibuſdam ſeminibus in liquore calfacto ſole vel igni:cuiuſmodi ſemen pſilij,cytoniorum,fœnigreci,lini,althææ, ex quibus iu gem facere expreſsionem,contra falſam Arabum opinionem,ne dubita.

Mulus, ἡ τρίγλα à colore muleorum calceorum apud Latinos dictus eſt.Scho-liaſtes vult eſſe Rogetum piſcem Parhiſinis vulgariter dictum: Barbatulum verò à Cicerone appellatum, nobilitatũque in deliciis. Adhuc apud Græcos retinet nomen Trigla:Liguribus corruptè Triga. Huius caro firmiſsima,cãdidiſsimáq; eſt,friabilis, copioſiſsiméq; alit:& inter piſces mediocritatem tenere ſcribit Celſus.

Mumia, nomen & res ſunt barbara, mortuorum ſcilicet ſepulchris conſeruato-rum diu cadauerum liquamen, aloe, myrrha, balzamo, & thure. Aliquibus autem Mumia eſt piſſaſphalthum,conflatum pice & bitumine Iudaico, quòd hæc redoleat ſcribit Dioſcorides li.j.cap.lxxxiiij.

Murena μύραινα, alia colore ſubnigro,luteis maculis diſtincto: alia albo, nigris maculis vario,oris rictu: non aliter quàm anſeres,largiſsimo:foraminibúſque his ca ret,quibus Lampreta eſt prædita:nulláſque habet branchias,neque pinnas. Dentibus malefica eſt; atque carniuora: cuius caro non diſsimilis eſt Lampretæ carni, aut an-guillæ.hæc Scholiaſtes.

Murena fluuiatilis omnino lampreta noſtras eſt,cuius carnes non minùs alunt nutriuntvè,quàm anguillarum & Congrorum:verùm ob duriciem quandam inna-tam,& humorem tenacem viſcidúmque ægrè ſatis conficiuntur.

Murex in plantis ἄκανθα τριβολοίδης, interprete Geſnero, paucioribus, quàm

Echinus aculeis ſæuit. Carduis muricata ſunt cacumina, & multa ſpinaceorum genera mucicatis minantur verticibus.

Muſcus marinus βρυὸν θαλασσιὸν: Græci iſto ſeculo, vt Geſn. aſſerit, σχολίτοβοταννν, peculia ſua lingua vocant: in myropolarum officinis Corallina eſt, quia vt corallus in aqua naſcitur, & eodem cũ corallis loco, vnde forſan aliqui falſi, & folia corallorum eſſe rati, nomen hoc indiderunt. Dioſc. li.j. cap. xciiij.

Muſcus βρυὸν, à quibuſdam ſplachnum σπλαχνὸν appellatur. in cedro arbore, populo alba, & quercu inuenitur. In dict. Bryon cætera reperies. Dioſc. li.j. cap. xx.

Muſtella vulgaris, eſt quæ in domibus noſtris verſatur, oberrátque: atque vt feles hæc mures non ſolùm venatur, ſed cum galinis earum etiam oua. Ipſius ſtercus poſtquam aridum factum eſt, moſchum vehemẽter redolet, adeo vt mulierculæ pro ſuffitu in veſtimẽtis ſæpiùs vtãtur. Præter hæc Dioſc. li. ij. cap. xxiij. docet vires mirificas.

Mydæ, midæ οἱ ἐν κυάμοῖς σκώλιπες, vermes in fabis dicuntur, quia in fabis ipſis naſcuntur.

Milæ, & epigonatis, ſeu patella, & rotula, os in genu eſt orbis latioris minimé que globati rotunditatem repræſentans.

Myle μυλη, καὶ μώλη herba, cuius radix exiguo bulbo non eſt diſsimilis: ſoluta cogit, vterum apertum & dehiſcentem claudit. Hæc, inquit Geſnerus, Galeni ſunt verba Dioſcoridem teſtem citantis, apud quem tamen nihil de Myle, ſed eadem omnia de Moly herba reperiuntur.

Myoſotis μυόσῶτις, καὶ ἡ μυόσωτα, muris auricula eſt herba: ea exiſtimatur quam vulgares betam agreſtem nominant, floribus cœruleis: diuerſam à pirola tamen. Differt à Anagallide, ſicut ſcriptum reliquit Dioſco. li. ij. cap. clxxvj. & li. iiij. cap. lxxiiij. lxxv.

Myoctonum ἀκονιτόν μυόκτονον, aconiti genus peſſimum eſt, murium nempe, atque animantiũ cæterorum pernicies: Lupinariam, & patã lupinã vulgus appellat.

Myrapidia μῦραπίδια χία, pyra odorata dicuntur, nimirum quæ vulgò moſchata habẽtur: quibuſdam Chiottica. præcocia ſunt, & fere omnium prima, vnde præcocia dicta. Cæterum myrapidiorum appellatio Græca indicat odorata ſimul, exiguáque pyra. Hæc Geſnerus.

Myrmecia μύρμηκια, verrucæ ſunt in palmis manuũ, & plantis pedum: nõ nunquam & in facie naſcentes: ita verò appelatæ, quòd in morem formicæ pungant. Sed harum ſpecies deſcribuntur à C. Celſo lib. v. cap. vltimo.

Myrica μυρὶκη, tamarix, & tamariſcus, arbor vulgò cognita, cùm apud pigras & ſtagnantes aquas enaſcatur, fructum quaſi florem ferens compage muſcoſum. Dioſcorides lib. j. cap. xcix. Eſt præterea myrica ſylueſtris, ſiue brya, vulgò bruyeria ſterilis, quæ eſſe humilis eryca videtur: nam altera quoniam fruticoſa arboreſcit: cuius flore apes reprobum mel efficiunt

Myrobalanus μυροβαλάνος, quaſi nux vnguentaria dicatur: Arabes Ben vocant: (nam behen eorum linga herbæ ignotæ nobis radix eſt) eius glans myrobalanum genere neutro effertur. Myrobalana alia addiderunt Arabes, de quibus nulla veteribus Græcis mẽtio eſt, in quinq; faſtigia diſcreta: quorũ hæc ſunt nomina: Myrobalana lutea, quæ & flaua ξανθά: Inda ſeu damaſonia δαμαζῶνια: Cepulea ſiue Cebula κεπουλα: Empelitica vel Embeleza ἐμπελιτίκα: Beletzica ſiue Belleſica βελετζίκα. Fructus ſunt nobiles, qui ad nos ex AEgypto, Syriáq; deportantur, callo corporis cõpactili, oſſe intus lignoſo: & ſicut diuerſitate diſtingũtur, ita quoq; differunt viribus. Flaua enim eò quòd herbaceo colore flaueſcãt, dicta, ſunt ſpiſſa, ponderoſa, exili nucleo, cute craſſa: peculiariter ſuperuacuum capitis humorẽ educũt, & corporis æſtus refrigerant, bilem etiam flauam purgant. Inda ſeu nigra, ſolida & ſine nucleis, ſunt oliuæ forma: triſtitiã diſcutiũt, quartanas ſanãt, lepras purgant, colorẽq; corporis reſtituunt. Cepula cæteris ampliora, grauioráq;, ex fuſco rubeſcẽtia, carnoſa: aciem oculorũ illuſtrãt, pectus repurgãt, ſitim ſedãt, coctiones iuuãt, aquæ inter cutem, & longis febribus auxiliãtur. Empelitica ſeu emblica cute oſsibus hærẽte lapillorũ pene figu

ra,

ra,colore in cinereũ languente, anguſtiora quàm Beletzica,pituitam trahũt,mentis aciem exacuunt,ventriculum purgant,ſitim ſedant,comprimunt vomitus. Beletzica maiora Empeleticis,rotunda inſtar pyri exiſtunt: atque iiſdem pollent facultatibus,purulentis medentur excreationiqus, & venis ſedis ſanguinem profundentibus in myrepſorum officinis Bellirica vocantur.

Myriſtica nux μυρις-ικον καρύον, recentioribus Moſchata nux interpretata eſt: myrepſicam aliqui eſſe volunt. ſed de ea paulò ſupra in dict. Moſcharium quæ viſa ſunt vera,ſcripſimus.

Myracanthon μυρακάνθον, carduus qui inter aculeatos numeratur:peritioribus medicis Eringium,&,vt Plinio placet,Centum-capita,videtur. Repetes dictionem Eringium.

Myoctonos μυοκτόνος, καὶ μυοφόνον ex herba aconitũ eſt, quod ex longinquo mures,cæteróſque animantes,vt ante diximus,interficit. Huius herbæ meminit Plinius lib.xxvij.cap.iij.& lib.xj.cap.ix.

Myriophyllum μυριοφύλλον, Romanis millefolium: quæ herba Dioſc. Achillea appellata videtur:ſed ignoratur vt coniicit Scholiaſtes, quibuſdam tamen placet Anethum ſylueſtre eſſe,aliis Cuminum pariter ſylueſtre.

Myrrhis μυῤῥὶς Dioſcor.à Manardo Cherefolium interpretatur. Plinius facit ſpeciem Gerannij:aliis placet pedem columbinum,& veneris pectinem aliis:nonnullis item aliis quam Cicutariam faciunt: atque tum hanc ipſam vulgus Perſillum aſininũ vocat. Myrrhis ſimilima eſt cicutæ,caulæ foliiſq; radix ei lõga,mollis, rotũda, cibo non inſuauis,quæ ad multa, variáque remedia ex Dioſc.pollet.lib.iiij.cap.cj.

Myagrum μυαγρὸν, vulgarem Chamælinam Scholiaſtes eſſe ſcribit,aliqui præterea μελαμπύρον dicunt.herba eſt ſurculacea, foliis rubiæ, pallidis, tripedanea. ſemen oleoſum, fœnogræco ſimile.quod contuſum igni torrent, perunctíſque virgis ligneis ad lucernarum lumina ruſticolæ vtuntur.Dioſc.lib.iiij.cap.cij.

Myrrha Bœotica,diſſecta radix eſt arboris cuiuſdam in Bœotia naſcẽtis.melior eſt quæ myrrham odore repręſentat. vis ei calfactoria ineſt, emollit, diſcutítque, & ſuffitu apta.

Myrrha ſtacte,id eſt,ſtillata ex myrrha recente,pingui, & ſolo lætiore nata, eadem præſtat, quæ myrrha,ſed imbecilliùs:cuius fex Styrax rubra dicitur.

Myrrha, arboris Arabicæ lachryma eſt: variatur Actuario in rubram & flaueſcentem:omnibus antefertur Troglodytica, viridis, pellucida, mordax: nigra mala eſt:media Bdellij modo tenuis, a pricis naſcens. Improbatur Dioſcoridi Myrrha nomine Aminea: Galeno autem eligitur Troglodytis. Myrrhæ igitur officinarum omnino adulteratæ parum tutus eſt vſus in medicamentis.Dioſc.lib.j.cap.lxvij. hæc de Myrrha ſcribens ait: lachrima eſt arboris, quæ in Arabia gignitur, AEgyptiæ ſpinæ non diſsimilis, è cuius vulnere defluit lachrima in ſubiectas tegetes. alia circum candiem concreſcit. Omnium prima, eſt quæ Troglodytica appellatur, ſplendens, ſubuiridis,ac mordens.eſt & alia Bdellij modo mollis,odore grauiuſcula, apricis naſcens,omnium deterrima,quæ nigra,aut fuſca apparet.

Myrtus nemoralis δρυοφονὸν, arbor aculeata,& procera,foliis perpetuò virentibus,& inciduis.rudioribus Egreſſus nominatur. Differt à Iouisflamma arbore,vt exiſtimat Ruellius, foliorum tantùm aculeo, frequentiſsima vtraque in Allobrogum iugis.hyeme fructum profert inter folia rubrum, copioſum,durum,& aſtringẽs.Eſt denique Myrtus ſylueſtris,nomine alioqui Ruſcus: qui aliquibus Oxymyrcine eſt, & Myrtacantha appellatur.folium fruticis myrti odorati fert,latius,in formam lanceæ mucronatum.Baccæ per maturitatem rubeſcunt foliis appenſæ, oſſeo intus nucleo.in aſperis & præcipitibus enaſcitur locis:cuius radicis vſus ad varia & multa medicamina.Dioſco.lib.iiij.cap.cxxix.

Myrtus ſatiua humilis frutex eſt,nigra ſcilicet, & alba: vtraque in coronis mulierculæ præſertim hyeme dum magis viret, vtuntur. Myrtus ſatiua vtilior eſt nigra medicinæ quàm candida,& in hoc genere magis montana.ſemen tamen imbecil-

lius parit. Vis myrti & ſeminis aſtringit, vtrumque ſiue aridum, ſiue fuerit viride, tum oleum compoſitum, vnguentum, & ſirupus. Dioſc. li.j.cap.cxxviij. Plin.lib.xvj. cap.xix. Gal.Simpl.lib.vij.

Myrtidanum Dioſcoridi lib. j. cap. cxxviij. appellatur virgultum myrto agnaſcens, nodoſum, inæquale, verrucoſum, concolor, quod perinde quaſi manus myrti caudicem amplectitur. Nonnullis dicitur ſoboles adnata myrto; aliis ſignificat fila quæ inuoluũt myrtum. Gal. Sobolem myrti: Plinius ex myrti baccis factum vinum, Myrdanum vocat.

Myxa μύξα, propriè pituitæ deſtillantis è naribus eſt excrementum, mucor & mucus alioqui dictus: vt ſeminũ radicum viſcoſitas mucago Latinis medicis vocatur.

Myxæ ſiue myxa, & myxaria Actuario, tum Græcis etiam aliis quibuſdam recentioribus, ἀπὸ τῆς μύξης, id eſt, à muco lento è naribus fluente: cùm ſimili hi fructus abundant, bilem detrudere, & ſitim ſedare dicuntur. Sebaſti ſunt, & officinis corruptè Sebeſten. nam & hoc nomine Sebaſti olim in Auguſti honorem μύξα appellabantur. Nuſquam apud Dioſco. Myxa pro Sebaſtis reperire cõtigit, niſi in genere prunorum contineri videatur: eſt enim pruni ſimile: niſi apud poſteriores Græcos authores, pro quibus ſunt gratiæ Arabibus reddendæ.

Mytuli μύες, ex duabus conchis nigreſcentibus inuoluti piſciculi, Celſo muſculi vocati: & vulgari incolarum lingua Moles vſquehuc nomen retinuerunt: quorum aluus iuſculo concitatur. Athenæus ex Diphilo Mytulos omnium optimos, & ſaluberrimos eſſe ſcriptum monumentis reliquit.

Moſcus Aetio, AEgynetæ & Actuario cum Arabibus, animalis Gazellæ appellati, Dorcadi ſimilis, pus eſt in vmbilico maturum certo tempore effuſum: Græcis, & Latinis veteribus incognitum. Cætera in dict. Cibeta ſunt petenda.

Muſculus, eſt corpus ex carne & neruo cõpoſitum, ad motum & inclinationem partium corporis neceſſariò inſeruiens. Vide Gal. in li. de Muſcul. motu.

Muſculus μῦς, ex conchularum genere piſciculus depræhenditur, qui & Mytulus dicitur: vt paulò ante relatum à nobis eſt. Eſt præterea Muſculus, alio nomine Sorex, à Murc animante grandiore deriuatum nomen. Prodeſt torrefactus, & eſus diabeticæ paſsioni, id eſt, his qui retinere vrinam non poſſunt.

Muſtum, eſt liquor recens maturimi racemi in vinum facta nondum ebullitione, conuerſus: qui & ſuccus quod ex fructu exeat, appellari ex Actuario etiam poteſt. Sapa verò ex eo fit ad partem etiam decocto, vinum quoque coctum appellatur.

Mundus omnis, qui ex elementis quatuor parte corruptibili eſt, & cœlis vndecim parte incorruptibili, ſecundum ſubſtantiam continetur. Sciendum itaque mundum vniuerſum rotũdum eſſe, ac omnes eius principales partes numero quindecim, vbi ſuperius corpus perpetuò circundat inferius omni ex parte: ſicut tunicæ ſuperiores in oculis circundant inferiores. Eſt autem corpus infimum terra, quæ grauitate ſua preſſa, ad centrum immota recumbit. Deinde alia hoc ordine aſcendendo, aqua, aër, ignis, ſphæra Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturnj, cœlum ſtellatum, in quo ſunt omnes ſtellæ, exceptis ſeptem Planetis: nonum cœlum, quod ſtellis omnibus caret: decimum quod & primum mobile, & ipſum abſque ſtellis eſt: vndecimum, quod cœlum Empyræum à Theologis nominatur. Cætera habentur in dictione Sphæra.

De litera N.

N*Arcotica* medicamenta, ſunt quæ temperiem ſortiuntur, vel aduerſam, iis quæ reuera ſunt anodina: refrigerant ſiquidem omnia corpus, & ſenſum eouſque ſtupefaciunt, vt ſi paulò liberaliùs ebibantur, mortem: aut parti corporis admoueantur, ſtuporem afferant. Author Galenus κατὰ τόπους lib.vij.cap.quinto.

Nærum ναίρον, Theophraſto aromaticum eſt: neque vllam plantam eſſe ſuſpicatur Geſnerus, quàm Nærim, hoc eſt, nardum montanam, copioſam in Seguſiæ Belliciorum iugis.

Næuus ὑπερσαρκῶσις, corporis inſigne eſt, ſeu genitiua pro genuina macula: quæ ſæpenumero in hominum mulierúmque facie non inuenuſtæ depræhēduntur: veneri quoque eſſe dicatas quæ næuo in facie ſignantur mulieres. atque ſententiæ huius teſtis eſt Plinius li.xxij.cap.xxv.

Napus βουνιὰς: Herbarij duo genera faciunt, vnum vocātes *Binium*, intus ex candido flauum, cuius quoque cortex niger inuenitur, atque eius ſubinde decoctum purgationibus vecicæ, & vrinæ vtile eſt. Alterū genus Bunias eſt, raphano & rapæ ſimile, cortice ſubfuluo extra, & intus ſubpaleſcente colore: cuius ſemen contra venena præſtantiſsimum legitur, ſed radix elixa inflat, minuſque, quàm rapa nutrit. Dioſco. lib.ij.cap.ciiij.

Naphta νάφθα, bitumen eſt quod ex Babylone collectum ad nos vehitur. Eius tanta eſt cum igne affinitas, vt flamma tranſiliat in eam vndecunque viſam. Ex hoc conficitur ignis, qui vix eſtingui, niſi aut oleo, aut vino, & aceto poteſt. Dioſc.li.j.cap. lxxxv. Plin.li.ii.cap.cv.

Narium profluuium αἱμοῤῥαγία, ſimpliciter & ſine adiectione alicuius partis poſita, ſanguinis ex naribus profluuium ſignificat: aliâs enim ſemper cum partium vnde ſanguis promanat, appellationibus cohæret.

Naſus, eminentior faciei pars eſt, cuius quidem partes vtrinque ſitæ, quibus aërem reddunt & accipiunt animantia, μυκτῆρες, ἢ μυξωτῆρες nares appellantur. Exteriores partes quæ mouentur, pinnulæ ſiue alæ πτερύγια nominantur: pars autem interna cartillaginoſa quæ nares diſcriminat, interſeptū eſt. Cæterùm naſi oſſa duo ſunt, quæ ſuturis à medio ſuperſilliorum deſcendentibus diſcernuntur. Galenus lib. de Oſsibus, cap.iiij.

Naſalia ſeu caput purgia ſternutamentavè ἔῤῥινα, ſunt quæ vel in oblongam ac pyramidis formam coacta, vel liquida, vel ſicca, naribus aut induntur, aut infunduntur, aut inſufflantur. Errhinorum vſus eſt in diuturnis capitis affectibus, morbo cuntiali, oculorum hebetudini, narium obſtructioni, conuulſioni, & morbo regio. De quibus autem componuntur ex Gal. in lib. κατὰ τόπους, & ex Fuchſio lib. ij. Compoſ.medic.cap.xxv.ſcies.

Narcaphthum νάρκαφθον idem naſcaphtho Dioſ.li.j. cap.xxij. cuius cortex, Manardo teſte, odoratus eſt, eius vſus in ſuffimentis pergratus. Tignamen pro Thymiama corrupta voce dictum, verum Naſcaphthum eſſe Manardus exiſtimat. Meminit AEgyneta in lib.Simpl.ſub nomine Cipheos Niliaci.

Narciſsus νάρκισσος à ſopore & torpore, quòd eius odor ſi diutiùs naſo admoueatur, mentis torporem inferat, dictus. Eſt autem dodrantali altitudine, folio porraceo, caule herbaceo, flore albo vt plurimùm, calicémque veluti purpureum habet, & radicem bulboſam. Narciſsi genera duo facit Plin. ſed huic florem nigrum tribuit Theophraſtus. Dioſ.lib.iiij.cap.cxlij.

Nardus νάρδος, ſpica nardi officinis eſt: nam Lauandula, & aſpicum pſeudo-nardus creditur, quæ quidem nardus Celtica vera eſt, & antiquis authoribus celebrata: qua tota etiam Gallia nunc ſuo odore ſpirat. Eſt inſuper Nardus montana νάρδος

ὀρεινή, νῆρις, id eſt, neris thylacitis, & pyritis: ea eſt multiplex, præſtantiſsima Indica: ſecundo loco Gallica, poſt Cretica, & quæ apud nos montana ex Cilicia, & nardina herba potiùs, quàm nardus, vocatur. Dioſco. lib. primo, cap. vij. ſic ſcribit: Celticum nardum naſcitur in Liguriæ alpibus, Salinuca patrio nomine appellatum: quo etiam vacabulo Largus vſus eſt: exiguè fruticat, folia habet oblongua, colore inflauum languido, florem luteum, in quo odoris ſuauitas. huic reſponderet hirculus herba odore niſi grauis eſſet. Montanum nardum ſurculo & foliis eſt Eryngio ſimilibus, minoribus, minimè tamen ſpinoſis aſperiſque. radicibus binis nititur, aut pluribus, nigris, odoratis. neque caulem, neque fructum profert.

Narthex νάρθηξ, & narthecа, ferula rectè aſſurgens: ſed narthecia ſemper eſt humilis. hi frutices trans-mare locis ſolatis, & auſtro affectis, naſcuntur: narthex autem arbuſcula eſt lignum foris corticis loco habens, intus verò ligni loco fungoſam medullam. Pl. li. xiij. cap. xxij.

Natrix ſerpens, ſuo qui veneno in aquis verſantes nando inficit: de quo ſic Lucanus, & natrix violator aquæ, &c. Dioſc. li. vj. cap. xxxviij. de natrice hæc refert: Ab natrice demorſis vlcus dilatatur, & liuidum, ac ingẽs euadit. ſanies ex eo multa & atra, & malè olens, non ſecus atque iis quæ ſerpunt vlceribus, expuitur. Serpentis huius curationem apud eundem Dioſco. habes libri ſupra citati paulò infra. Eſt item natrix herba, cuius radix auulſa virus hirci redolet: de qua Plin. lib. xxvij. cap. xij.

Naſturtium κάρδαμον hortenſe & erraticum eſt, vtrũque ex ſemine medicamentis vtiliſsimum: ſed hortenſe Alennicum appellatur. Eſt & alterũ naſturtium album nominatum, quod Tlaſpi putatur. Naſturtiũ Varrone authore, & Pli. à torquẽdis naribus dictum. κάρδαμον autem ἀπὸ τῆς καρδίας, quòd multùm valẽt in ſyncope cardiaca, vel quaſi κάρηδαμόν, quòd vi ſua & acrimonia caput tentet, eſt author Scholiaſtes. Eſt & aquaticum naſturtium Cardamine appellatum, quod ſapore ſit cardamo ſimili: quibuſdam Sion Græcorum, Lauer Latinorum, videtur. Dioſc. li. ij. cap. xlvij.

Natura φύσις, finitore Ariſtotele, eſt ſubſtantiale principium, quod vnicuique trãſmutationi ſubiectũ eſſe natum eſt, aut trãſmutationis effectiuum. Aliter: Natura, eſt ſimplicium omnium, & cõpoſitorum formatrix, & caleſcentis ſpiritus eſſentiæ diuinæ ancillatrix. Atque aliter Galeno lib. iij. Temperamentorum: Natura, eſt quæ vniuerſam ſubſtantiam ac temperiem, quæ ex primis conflatur elementis, ſignificat.

Naturæ rerum primus ordo eſt, ex quibus corpus humanum compactum & conſtitutum eſt: & quæ corpus noſtrum cõnſtituunt res naturales vocantur, quod ſcilicet ad humani corporis perfectionem atque naturam concurrerent. Secundus ordo earum rerum eſt quibus corpus humanum fouetur, vt ſanum permaneat. Tertius earum rerum eſt quæ corpus humanum lædunt, atque corrumpunt, & hæ præter naturam nuncupantur, & ſuperiores dicuntur non naturales: quòd nimirum humani corporis naturæ ex diametro pugnent. Gale. lib. ij. Meth. vocat affectus præter naturam, quod ſcilicet corpus noſtrum præter naturam afficiant. Quæ autem ſit natura ſecundum Ethnicos, & ſacros Theologos, Plato, Ariſtot. Lactantius, & Auguſt. contra Manicheos ſunt legendi.

Natura aſcititia, eſt quæ ſi in melius ſeu in deterius, citra actionum offenſionem, mutata eſt, aſcititia appellatur. Quod ſi tantus ab æqualitate mutationis ſit receſſus, vt corporis functiones lædantur, eam neque ſimpliciter naturam, neque aduentitiam, ſed morbum dicemus. Acakia ſuper Gal. ad Glauconem libro primo, capite primo.

Naturalis facultas, eſt quæ ex iecinore per venas omnibus corporis partibus alimoniam præbet. alio nomine concupiſcibilis, ſeu appetitrix, & altrix, & θρεπτική, καὶ ἐπιθυμητική, vocatur: ea quadruplex eſt, attractrix, concoctrix ſeu alteratrix, & expultrix.

Naturalis ſpiritus in iecinore & venis, eſt modò aliquis ſit ſpiritus naturalis. neque enim neceſſarius eſt ſpiritus naturalis, qui nutriendi vim ad partes corporis deferat, non ſecus quàm Magneti lapidi vis trahendi ferrum, ſit cognita, & nutrimentum abſque ſpiritus naturalis influxu ſuppetat. Accedit quòd iecori etiam deſit ma-

teria,

teria,ex qua naturalis ſpiritus generari poſsit.Gal.locorum affectorum lib.j.cap. vlt. & lib.xij.Meth.medendi.

Naturalis actio,ſeu voluntatis expers,ex vena & arteria procedit:& eſt quæ nō pē det à conſilio,aut electio & arbitrio,ſed ſponte & naturaliter fit, vt motus cordis & arteriarum,quem pulſum nominant:hunc enim neque ſedare,neque excitare,neque tardiorem,neque crebriorem,neque rariorem efficere licebit. Ea tamen actio quæ ab arteria fit ζώτικήν,id eſt,vitalem peculiari nomine lib.j. de Difficult. ſpirandi. Gale. appellat.Inter actiones naturæ connumeratur generatio,actio,nutritio,formatio, alteratio,appetentia,attractio,concoctio,retentio, diſtributio,excretio, & ſimiles quæ per ſeriem explanabuntur.

Naturales facultates primæ,ac principes,ſunt generatrix,auctrix,& nutrix:quæ potentiæ vegetatrices ab Ariſtotele de Anima lib.ij.cap.iiij.dicuntur. Gal. lib.j. de Facult.Natur.

Naturalium actionum noxæ,ſunt appetentia,concoctio,digeſtio,pulſatio, attractio,alteratio, retentio,expulſio abolita,imbecilla vel deprauata. Quære dict. Affectus corporis.

Naturæ actiones ſiue functiones,ſunt quæ ab origine,& ab æditis eſſe imaginātur: ab origine impregnatio,conceptio opus naturę,in quo vtriuſq; ſemen viri & mulieris concurrit:à conformatione,vbi clauſus ex arte eſt vterus,compinguntur quædam velut lineamenta rudia ab vtriuſque ſemine:quæ poſtquam illa formata ſatis ſunt, confirmatio dicitur,opus quoque naturę.Quære dictionem AEditis.

Natex ἡ νηρίτη,coclea marina magnitudine exigua,turbinati generis, leui teſta, ampla,& rotunda:vulgo à loci incolis Limax nominata.Et hæc eſt menſis delicatioribus frequenter petita,quòd alimenti,ſuccíque boni ſit.

Nauci πέριφημα,putamen nucis,ſiue oleæ nucleus:ſeu etiā membranula quæ in nucis iuglandis eſt medio: & macir myrepſicorum appellatione,in moſchata nuce.

Nauſea ναυτία,eſt irritus ad vomitiones præter voluntatē agitatas conatus: ſiue ſtomachi ad vomitū ex graui odore perturbatio,& concitatio:ex cuius quoq; frequēti & inordinato motu,ſubuertitur ſtomachus,& ad vomitum cōcitatur: cui ſuccedit moleſtia,& faſtidiū pleriſq; etiā grauiſsimū. Pli.lib.xx.cap.xiiij. Gal.Nat.facul.li. iij.

Neruus νεῦρον,prima ſunt in corpore animalis ſenſus motúſq; inſtrumenta,à cerebro & ſpinali medulla orta,totius corporis mēbris mouēdi ſentiēdíq; vim cōferētia.

Neruorum ex cerebro natorum ſeptem ſunt paria:horum primi duo nerui ad oculos pertinent,videndi facultatem illis impartientes, vnde optici, hoc eſt, viſorij illis nomen. Neruorum omnium caui,ac molliſsimi hi exiſtunt, & in vnum coëunt, & rurſus ante quàm oculos ingrediantur,dirimuntur,& eorum figuræ χ literæ Græcæ ſimilis eſt.Gal.de Oculis Theor.ij.cap.ij.& iij.

Neruorum quidam à cerebro & ſpinali medulla prodeunt:atque hi proprij: quidam ex muſculis,vt tendines:quidam ex oſsibus,vt ligamēta.Qui ex cerebro & menyngibus ſunt profecti,ſicciores,& paulò minùs calidiores venis ipſis,& arteriis magis ſenſu præditi: qui orti ex oſsibus,colligunt & continent artuum & membrorū iuncturas,ac complexus.De quibus rebus Gale.videndus in lib.de Oſsibus,cap.j.& in lib.de Oculis Theoremate ij.cap.j.

Nepa ὁ σκορπίος,ex Theophraſto aconitum primum eſt:noſtro ſanè ſeculo producitur herba quædam nomine Nepa,quæ alioqui Tora pleriſque herbariis ſuſpicatur.Quære dict.Scorpius.

Nepeta,vel nepita καλαμίνθη,quam quidam medicorum non indocti Galeni Mentham ſuſpicati ſunt. Dioſc.lib.iij.cap. xxiiij. hoc pacto Calaminthas diſcriminat:Ex Calaminthæ generibus quædam montibus familiaris,folia ocimi habēs,incaua,ſurculos aridos,caules anguloſos,& purpureum florem:altera pulegio propè ſimilis,ſed maior, quam ſylueſtre pulegium ideo appellarunt, quòd odore ipſum æmuletur: Nepetam Latini vocant: tertia Menthaſtro cognata eſt, foliis oblongioribus,caule & ramis maioribus quàm ſuperioris, ſed viribus inefficacior. &c. Quære dict. Calamintha.

Nepotes αἱ παραβλαστήσεις, καὶ ἡ πλάγιον ἔκφυσις, id eſt, germina lateralia ex Gaza interpretante Geſnero,dicũtur: qui ab radice arborum fœtura præpingui proſiliunt,appellari ſentinaleoli. Quære dict. Malleolus.

Nerion νήριον,frutex qui & rhododendron,hoc eſt,roſſago,interpretatur: Officinæ autem Oleandrum appellarunt.de qua planta meminit Plin.lib.xiiij.cap.xj.Dioſ. lib.iiij.cap.lxx.Nerion frutex eſt longioribus quàm amygdala foliis,aſperioribúſq;, flore in roſam conformato,fructu nuci græcæ ſimili,corniculato,qui patefactus quãdam lanoſam naturam oſtendit,ſpinarum pappos repræſentãtem: radice lõga, acuta lignoſa,guſtanti ſalſa. naſcitur in amœnis,maritimis,& ſecus amnes. Rura Roſaginẽ vocant:tota guſtantibus ipſam damnoſa eſt. Ruel. li.j.cap.cxxiiij.

Neris νῆρις,νάρδος ὀρεινή,mõtana nardus eſt:de qua dictum ſupra abundè ſatis in dict. Nardus.

Neuras νευράς,nomine alio Poterion herba dicta eſt:de qua non pauca retulit Pli. li.xxv.cap.x.Sub nomine Poterion Dioſ.li.iij.cap.xv.ſic deſcribit:Poteriõ Iones Neurada vocant,largè fruticat,corticeobductum tenui,ſpinis horridum, lanugine ſpiſſa,ramulis longis,mollibus,lentis,tenuibus,tragacanthæ proximis,foliis paruis, rotundis:flore exiguo,candidi coloris,ſemine guſtu acuto & odorato.Naſcitur in aquoſis & mollibus.&c.Cætera in dict. Poterium.

Nicolaos νικόλαοι,maximas pulcherrimáſque palmas,ſiue palmulas,hoc eſt,dactilos grãdes officinis in Nicolai Peripatetici philoſophi honorem,quẽ amore ſingulari proſequebatur,ab Auguſto Octauio imperatore,appellatas.hæc Geſnerus.

Nigella μελάνθιον:& Nigella folioſa ἀνθεμὸν φυλλῶδες, interprete Gaza: qui ἀνθεμὸν pro μελάνθιον,in Theophraſto legit. Gith,& Melanthium Dioſ.lib.iij.cap.lxxv. Nigella appellata eſt. Quære dict. Melanthium.

Nexus ſeu præcluſio anguſta φιμος καὶ φιμῶσις, vitium illud, quando glans ita contecta eſt,vt nudari non poſsit. Eſt & clauſura muliebrium locorum, quod fit in illorum oſtio ex præcedente vlceratione,aut durata illic inflammatione: huic cõtrarium malum περιφιμῶσις,aut rectiùs παραφίμωσις, in quo propter cutem breuem, aut retro abactam,glans tegi non poteſt. Celſus lib.vij.cap.xxv.

Nigra vrina,eſt quę extincti lignorũ carbonis calorẽ obtinet:ſed quæ liuida vrina eſt,cinerũ,vel plũbi colorẽ refert.atq; hãc medicorũ quidã luridã appellarunt. Huius interdũ caloris ad extremũ profecti indiciũ eſt,& hoc quidẽ ſi viridis præceſſerit. Interdum etiam extremam frigiditatẽ ſignificat,idq; vbi veneta,aut liuida anteceſſerit. vtraque enim mortalis exiſtit,neque vnquam ſalutaris,niſi cùm paſsiones quæ originem ab atra bile traxerunt,proceſſerint.

Nitrum,aliud minerale,aliud artificiale.optimũ laminoſum eſt,fragile,& in fracturis lucidum,leue,ſpongioſum,ex rubro & purpureo albũ,ſalſum,mordax. Artificiale imbecillius naturali,& nitri ſpuma dicitur,alba,leuis,ſalſa,mordax. Eſt præterea alterũ artificiale flos parietis,vel ſal-petræ appellatũ,nitro valentius:nitrum & nitri ſpuma vires ſali ſimiles habent:vera autem nitra ſpuma naturalis eſt Dioſ.libro v. cap.lxxviij.& Gal.lib.ix.Simpl.medicam.

Nephritis νεφρῖτις,quoduis ferè renum vitiũ eſt, vt nephritici ſint qui ex renibus quoquo modo laborãt:calculo vexatis hoc tametſi propriũ eſt nomẽ. Quinetiã renũ calculis prouecti homines frequẽtiùs, quam pueri appræhendũtur: generãtur autẽ aſsiduis cruditatibus,vnde humoris craſsi & terrei multitudo congregatur, & ardor igneus circa renes humores adaſſans,eos cogit,in lapides indurat,ad modum toforum qui in aquis reperiuntur. Lege Gal.librum de Renium curatione.

Nodi,aut calli ſiue calloſæ concretiones κόνδυλοι,ſunt qui in digitis manuum, & articulorum pedum euenientes,dicuntur.Itaque ad tumores pituitæ pertinent nõnulli tumores ſub apoſtematis nomine à Græcis compræhẽſi,quos vulgus nodos vocat: quorum iuxta diuerſas materias in eis contentas,diuerſæ ſunt ſpecies.Si enim veluti adeps ſit,quod continetur στεάθωμα à Græcis,Latinis a dipinus nodus nominatur. Si veluti mel,μελικηρὶς ab eis,à noſtratibus melleus-nodus:ſi veluti puls, ἀθηρῶμα ab illis dicitur. Manar.lib.vij.Epiſto.ij.

Nomæ

Nomæ νομὴ, vlcus eſt purulentum, putredini quoque proximum, quod ad ſanas membri partes paſcendo, ſerpit: cuius ſpecies eſt φαγέδαινα, vlcus comedēs carnē ſubiectā, & circunſtātem corrūpens, factum à materia quæ eſt media inter materiā quæ facit herpeta, quæ tenuiſsima eſt, & eam quæ facit cancrum, quæ craſsima eſt.

Nucamenta κυττάρια, καὶ κύτταροι, Græcis nominantur, quæ callo ſquamatim compactili pendent è ramis nucum, roborum, corylorum, picearum, & cæterarum iuglandum: quòd in nucibus apertiſsimè nunc primùm naſcentibus propendere cernuntur. vulgaris nucis nucamentum medicinæ aptum eſt.

Nucleus πυρὴν, quod tenerum in nuce includitur, ſed præter, quàm in fructibus, in aliis rebus etiam χονδρος appellatur. Dicuntur etiam in allij capite bulbi cohærentes ex Largo ſpicæ, & nuclei, Græcis γέλγεις, καὶ ἄγλιθες. Dicitur præterea nucleus de teſta & ferro interior materia quæ probior eſt, ac reſiſtens. hæc Geſnerus.

Nucleus pineus κόκκαλος παρα Ἱπποκράτει ϛρόβιλος, id eſt, ex Hippocrate, è nuce pinea nucleus, vel ſtrobilus qui emittitur: de qua re ſic Martialis.

Poma ſumus Sybeles procul hinc diſcede viator,
Ne cadat in tenerum noſtra ruina caput.

Nux κάρυον ἀκρόδρυον, pro omni fructu qui corticē habet lignoſum, ſumitur: vt nux baſilica κάρυον βασιλικὸν, id eſt, iuglans Perſica: nux auellana κάρυον ποντικὸν, ἢ ἡρακλεωτικὴ καρύα, pontica nux tum arbor, tum fructus dicuntur. Nucis ponticæ in pondere medicamentorum pro ſiliquis octodecim accipi ſolet: ſicut nucis iuglādis magnitudo, eſt ſiliquarum duarū & ſeptuaginta: vel denariûm ſeptem pondus. Nux quoque amygdala ἀμυγδαλῆ quæ & Græca, & Thaſia.

Nux Indica κάρυον ινδικὸν Arabum inuentum eſt: quoniam Græcis incognita videtur. Ex India parte orientali Venetias: deinde Lugdunum aduehitur: cuius oleū bonitate butyro reſpondere experitur.

Nux molluſca, ex Macrobio, perſicum eſt, quæ cæteris omnibus mollior ſit. Quibuſdam placet nucem molluſcam, inter iuglandes adnumerandā, ꝙ mollior ſit, & putamen eius de ſe hiſcat, aperiaturvè, vt in perſicis nucleis manifeſtè appræhēditur.

Nux vomica, priſcis authoribus Græcis nuſquam viſa, ſed ſolis tantùm Arabibus in vſum tradita eſt: cui ſimilem nucem alteram nomine Methel iidem tradunt: prior nobis cognita: hæc nondum noſtro orbi viſa eſt.

Nux Tarentina è iuglandum genere, nuda cortice, vel molli, ac putamine fragili prodit. Qualiter autem ſit facienda, docuit Columella. Aliqui pinææ nucis genus putamine digitis fragili eſſe volunt. hæc Geſnerus.

Nux moſchata μοσχάρυον, μόσχοκάρυον, καὶ κάρυον ἀρωματικὸν, à pleriſque iam myrepſica nux dici cœpit: verùm à Balano myrepſico longè diſcrepat. Quibuſdam aliis nux moſchata videtur Græcorum Chryſobalanus: ſed parum ſcienter. Quære dict. Moſcharium, & Chryſobalanus.

Nux pinea ϛρόβιλος κῶνος, cuius genera quatuor deſcribuntur: Durum, quod & vulgare: tenerum & putamine digitis fragili, ideóque auibus expoſitum, Tarentinā priſci vocabant: tertium è picea ſatiua, nucleorum cute veriùs, quàm putamine, adeo molli vt ſimul mandatur, ſapineum Plinius vocat: quartum pityidas vocant è pinaſtris, ſingularis remedij aduerſus tuſsim.

Nuptiale pomum κίτριον, idem citrio vel medico, id eſt, arangio, & limone. Tellurem enim nunciato Iouis & Iunonis connubio id ædidiſſe poëtę fabulantur. Quære dict. Malum medicum.

Nubecula νεφέλιον, eiuſdem generis vlcus eſt cuius caligo, ſed profundius & anguſtius colore candicans: atque huius duæ occurrunt ſpecies. ſi Auicennæ credimus, vtrique membranæ oculi communes, tenuem vt nubeculam, & craſſam quam albuginē. Quam diſtinctionem aliter AEgyneta hoc pacto facit: Oculi cicatricum, alia tenuis, in ſuperficie apparens, quæ generale cicatricis nomen ſeruat, & à quibuſdam dicitur nebula: alia profunda, quæ λεύκωμα nuncupatur, Latinis medicis hodie vſitatum vocabulum. Manardus lib. vij. Epiſt. ij.

Nutri

Nutritio, eſt quæ comprehenſionem & latitudinem habens, appoſitio corporibus efficitur: vel, eſt quæ per venas mittitur ab hepate, & quod familiare ſibi eſt, partes corporis accipiunt: vt reſarciant ſimile quod perdiderãt. quippe corporis partes ſemper immutari percipiuntur. Sed ex Gal. & Fuchſio nutritio aliud nihil eſt, quàm perfecta aſsimilatio, quæ tamen vt fiat, neceſſum eſt vt agglutinatio ſiue adhærentia præcedat: ſicuti vt etiam illa fiat, appoſitio. Poſtquam enim ſuccus is: qui omnem animalis particulam nutriturus eſt, à vaſis excidit, in totam eam primùm diſpergitur, mox adiungitur, deinde agglutinatur, demũ aſsimilatur. Atque iam dictæ actiones primæ, ac veluti capita ſunt. deſiderant tamen tum ipſarum inter ſe, tum aliarum miniſterium. Vide Fuch. Compendij medic. cap. xiij.

Nyctegreton νυκτεγρέτον, herba coloris ignei, foliis ſpinæ, nec à terra ſe extollens. neque ea eſt, quam Chymiſtæ Lunariam maiorem quærunt: ſed quam prouinciales malam herbam vocantes habent: ea nimirum ipſa calcata pedibus quouis etiam inſcio, fame ad deliquium concutit, niſi confeſtim cum pane ſuccurratur: atque mox diſcutitur. Hæc, vt Geſnerus ſcriptum reliquit, eruitur poſt æquinoctium vernum radicitus, ſiccatúrque ad Lunam triginta diebus, ita lucens noctibus. Sub nomine Baãras Ioſephus lib. vij. Belli Iudaici, cap. xxv. hanc deſcribit: Quidam locus Baãras appellatur, vbi radix eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem aſsimilis eſt colore, circa veſperam verò veluti iubare fulgurans, accedentibus eámque euellere cupientibus facilis non eſt: ſed tandiu refugit, nec prius manet, quàm ſi quis vrinam muliebrem, vel menſtruum ſanguinem ſuper eam fuderit, quinetiam tunc ſi quis eam tetigerit, mors certa eſt, niſi fortè illam ipſam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoque modo ſine periculo, qui talis eſt: Totam enim circunfodiunt, ita vt minimum ex radice terra ſit conditum, deinde ab ea religant canem: illóque ſequi eum à quo religatus eſt cupiente, radix quidem facilè euellitur: canis verò continuò moritur, tanquam eius vice à quo herba tollenda erat, traditus. nullus enim poſtea accipientibus metus eſt. Tantis autem periculis propter vnam vim capi eam operæ pretium eſt. Nam quæ vocantur Dæmonia, peſsimorum hominum ſpiritus, viuis immerſa, eóſque necantia quibus ſubuentum non fuerit: hæc radix citò, etiam ſi tantummodò admoueatur ęgrotantibus, abigit. Atque hæc Ioſephus. Eandem nonnulli vocari cenſent νυκτιλῶπα, quoniam è longinquo noctibus fulgeat.

Nycteridem νυκτερίδα commendauit Aëtius ad oculorum caligines, quam pro Anagallide, hoc eſt, morſum gallinæ, accipiẽdam, Geſneri ſententia, reliquit: quoniã hæc eius appellatio inter plantas cæteras apud Dioſc. legitur.

Nympha νύμφη, ἡ ἐπιδερίς, ἡ κλειτορίς, in extremo cornicis ore, vbi concidua labra rimam relinquunt, tanquam propugnaculum quoddam, & munimentum tegens, & refrigerari prohibens, hæc cornicula eſt ſubſultans & excreſcens.

Nymphæa νυμφαῖα, quòd aquoſa amat, dicta: vulgò nemphar: vna eſt flore lacteo, radice nigra, & ſemine nigro: altera, flore luteo, radice alba, vtriuſque radix, & ſemen alui profluuia, & diſenterias cohibẽt: ſperma immodicè profluens ſiue per inſomnia, ſiue aliter, retinẽt ex vino auſtero pota: in id efficacior lutea, vt medeatur muliebri profluuio: ad tergendas maculas, & loculos alba præpollet: de cuius flore componitur Sirupus in febrium ardoribus compeſcendis, præſtantiſs. Dioſ. lib. iij. capit. cxxvj. Gale. lib. viij. Simpl. medic. Ruellius libro iij. capit. lxvij.

De litera

De litera O.

O*Bliuio* ληθαργὸς, paſsio eſt phrenitidi contraria: ſiquidem in ea marcor,& inexpugnabilis penè dormiendi cupiditas,neceſsitaſvè. Sic dicta,quòd ea correptis omnium rerum obliuio accidit. cauſa eius eſt pituita,quæ frigore nimio & humiditate cerebrum poſterius imbuit.Lethargicos comitatur febris lenta.putreſcit enim humor pituitoſus in hoc morbo cum profunda in ſomnum delatione,Gal.docente Meth.medendi lib.xiij.Curationis author eſt Fuch.lib.j. cap.xiij. de Medendis morb.præterea vide quæ reſtant in dict. Lethargus.

Obolus,dimidium ſcrupuli eſt,& ſiliquas tres capit:ſiue calchos octo cõtinet.Scrupuli tres drachmam complent:drachmæ octo,vnciam:libram verò medicinalem vnciæ duodecim perficiunt:nam quæ eſt ſexdecim vnciarũ libra, Attica eſt, & mercibus pendendis quæ conuenit.

Ochra,ex genere lapidũ leuiſsima probatur,& omnino quæ lutea eſt,& friabilis, careátque calculis: cuiuſmodi Attica. ſimiles Cadmiæ vires habet,nam adſtringit, erodit,collectiones,& tubercula diſsipat,excreſcentiáſque reprimit, caua vlcera explendo Dioſc.lib.v.cap.lviij.

Ochros ὢχρὸς,leguminis genus cicerculæ ſimillimum. folio longo, vermiculis obnoxio,vt cicercula ſecutis poſt imbres caloribus. Sunt etiam qui hoc genus phaſiolum appellari volunt.Gaza modò ciceram,modò eruiliam interpretatur.hæc Geſnerus.

Ocimũ ὤκυμὸν,pabuli genus à celeritate naſcẽdi dictũ,eſt id quod in tritico & ſegetibus ſuccreſcit,ac ſæpiùs ipſas ſegetes ſuffocat:éſtq; lenticula & vitia ſimul cõmiſta.Vulgus Gallicum,*dragee aux cheuaux*,vocat.Varro de Re ruſtica lib.j.cap. xxxj.

Ocimum,vulgò Bazilicũ,ſunt qui ſic ſcribendum volunt,Ozymon : neque tamẽ vires variat:flagranti odore herba eſt,vt ſæpiùs olfacta cerebrum obtundat:quoniam eſt notitiæ vulgaris deſcriptionem nullam fecit Dioſcorides,ſed vires tãtùm tradidit lib.ij.cap.cxxxv.Semen cardiacum eſt.

Ocimoides ὠκιμοιδὲς,quibuſdã ocimaſtrũ putatur,vulgaribus Iacea alba, officinis ben albũ,& potularia,quod poculorũ ſimilitudinẽ pericarpia gerant,ex Ruellio. Videtur Geſnero Ocimoides,quam hodie plerique Ben rubrũ vocant,ob floris colorem ; quanquam & albus inuenitur:non de radice quidem vult intelligere,quam falſò officinæ ſic vocant, quoniam longè differt ab Arabum deſcriptione. Ocimoides Latinis Ocimaſtrum eſt:folia fert ocimi,& ramos dodrãtales,hirſutos:ſiliquas hyoſcyamo ſimiles,ſemine,vt gith,nigro prægnantes.Dioſ.lib.iiij.cap.xxiiij.

Oculus,præter ſuã quã naturalẽ habet cõpoſitionẽ,duos poſsidet angulos, quorũ vnus magnus dicitur,qui iuxta naſum eſt:alter paruus,iuxta tempora locatus.

Oculus conſtat tunicis ſeptẽ,& tribus humoribus:prima tunica ex viſorio neruo amplificato,& dilatato naſcitur,& retiformis ἀμφιβληστροειδὴς, nominata eſt : ꝙ reti ſit perſimilis.huic connectitur altera tunica,araneæ telis perſimilis,atq; adeo tenuiſsima ἀραχνωειδὴς,aranea dicta eſt.Tertia tunica,vaſorũ eſt multorũ vinculum & ligamentũ,quale χόριὸν,quod eſt fœtus inuolucrum, hinc χόροιδὴς vocatur : quia ex tenui mẽbrana ortũ habet:vulgus chirurgicũ ſecundinã appellat. Quarta tunica, quæ vuea ῥάγοειδὴς,ſeu acinoſa dicitur:hæc ex χόροειδὴς mẽbrana naſcitur. Quinta tunica dura σκληρὸς,ex duriori cerebri mẽbrana producta,mẽbranas ſub ſe omnes,humoréſq; vitreũ & criſtallinũ in poſteriori parte veſtit,ac ne diſrũpãtur cõtinet ac firmat.Sexta tunica ex dura,cui iũcta eſt,naſcitur,& cornibus in laminas prętenues diſſectis perſimilis eſt:ideóque cornea κέρατοειδὴς vocata eſt. Septima tunica eſt adnata nomine, & ἐπιπεφυκος,ex pericranio ducit originem, eo quòd aliis quę oculum

conſt

conſtituunt tunicis extrinſecus adnaſcatur: & hæc coniunctiua vulgariter dicitur. Ex iis connatis ſeptem fiunt orbes,ſeu circuli,qui in ea parte quæ iris & corona vocatur ἴρις καὶ στεφάνη conueniunt:ſic verò nominatur locus vbi album nigro copulatur. De affectis autem partibus in oculorum morbis: déque latentibus in manifeſtos diuidit Gal. Locorum affect.lib.iiij.cap.j.& in lib.de Oculi humorib. Theor. primo,cap.j.ij.iij.& iiij. Item morb.in oculis medicam. Theoremate v. cap.j. ij.iij. & iiij. Fuch. Compendij medic.cap.xxvij.lib.primi.

Oculi leporini λαγωφθαλμοί,dicuntur qui ſurſum detracta palpebra ſuperiore, oculis apertis perinde atque lepores dormiunt. Quære dict. Lagophthalmos.

Odor,eſt quo vi naturæ diſtinguit odoratum ab inodorato animans, authores ſunt Ariſtoteles,& AElianus. De odoribus autem de ſenſilium corporum temperatura,coniecturam ſumere non eſt ſecurum.nam inodora,craſſam quidem eſſentiam obtinent,ſed non ita conſtat quo ſint calore,& frigore prędita. At quæ odorata ſunt, tenuia quodam modo ſunt,& calida:verùm eius tenuitatis,caliditatíſque quantitas non iudicatur. Cauſa veri maxima,& potiſsima,quamobrem nihil certi de temperamentis ex odore iudicari poſsit,inæqualitas eſt ſubſtantiæ. Neque enim omnes eius partes euaporant,nec perinde vt in guſtu ſenſum mouent:in guſtu enim omnes ſimiliter guſtabilium corporum particulæ linguæ offeruntur,ſenſúmque mouẽt pro ſua natura ſingulæ,hoc eſt,facultate.hæc Fuch. Compoſ.medic.cap.ix.

Odor vrinæ fœdus,vel fœtens,aut putredinem aliquam vehementem interioris partis,aut mortificationem totius corporis,maximè ſi cum ſubſtantia & contentis prauis fuerit,præ ſe fert. Fuch. Compoſitionis medic.cap.xliiij.

Odoramenta,ſunt omnia medicamenta tam ſimplicia,quàm compoſita, quæ citra ignis acceſsionem ſuo odore cerebrum arterare,aut grauem odorem,aut peſtillentem auram depellere poſſunt. Medicamenta quæ ad compoſitiones odoramentorum adhibent,ſunt moſchus,ambar,nigella,garyophylli,ſtirax,ſtacte,zadura, ſpica nardi,nardus Celtica,agalochon,ladanum,roſa,viola,nymphæa,ſanthali, caphura, botrys,atque id genus: quæ ex authorum formulis depræhenduntur, paſsim à Syluio, & Fuchſio reſtitutis.

Odontides ὠδοντίδες,dentaria herba,quòd dentes eius decoctum in vino auſtero confirmet,doloréque leuet,dicta eſt. Fœni quidem genus, fruticoſum,triangulis flagellis,geniculatis,nigro articulorum nodo,foliis polygono longioribus,hordei ſemine in alis,flore purpureo,puſillo.naſcitur in pratis.hæc Geſnerus.

Odynerum ὠδυνέρον,Græcis authoribus vocabulum perfamiliare,id eſt, dolorificum quicquid affatim alterat,aut continuum ſoluit.ſoluere autem continuum, eſt ex vulnere in membrum quodpiam illato contiguum repræſentare, donec iterum cum cicatrice pars vulnerata,vniatur.

Oë,ὀή,καὶ ὁ καρπος ὄυα Græcis,Sorbus arbor Latinis. Geſnerus in vulgari interpretationum nomenclatura Cornum fruticem,pro Sorbo arbore ὀή,καὶ ὄυα trãſtulit. Quære dict. Cornus,& Sorbus.

Oënanthe ὀινανθή,ea eſt herba,quæ vulgaribus herbariis hodie philipẽdula, officinis ſcrophularia,& hæmorrhoidaria dicitur. Eius radix in multa capitella veluti per filum tranſfixa pendent, & ſeu oliuæ fructus extuberant. Ex vino tota cum radice herba ſtranguriæ ſubuenit,& hæmorrhoidibus appoſita. Dioſ.lib.iij.cap.cxv.

Oënanthe ὀινανθή,ἀμπέλου ἀγρίας ἄνθος,,labruſca eſt Vergilio, & vitis ſylueſtris fructus cum floret Dioſcoridi. Oënãthe autem vitis agreſtis ác erraticæ flos cum germine aſtringens in vſu eſt frequẽtiori apud medicos. Dioſ.lib.v.cap.iij. Gal. initio libri octaui Compoſ.pharma.& lib.vij. Metho.

Oculus catti, Antirrhinum,ſiue Anarrhinum,hoc eſt,ſecundum communem officinarum appellationem, Morio violetus, Anagallidis ſpecies altera, vocatur: Quære dict. Anagallis.

Oëſypus,vnguentariis yſſopus humida,ſuccidarum lanarum pinguitudo,quæ lana etiam ſuccida,& ſordida appellationem habet:& hæc cõfuſis valde vtilis ob oëſypum,

pum,hoc eſt,ſuum lentorem:lota verò eſt vice linamenti carpti:vſta autem acris, calida ſicca,tenuium partium. ὁ'ισσωπὸς Galeno ſemper cum Dioſcoride, quod ὕσσωπον ὑγρὸν AEgynetæ,dicitur.Nam ſuccidæ lanæ molles è collo feminibúſque laudatiſsimæ habentur: quarum pinguitudo ὁ' ισσωπὸς Græcis; noſtris Lana ſuccida. Dioſ.lib.ij.cap.lxv.& lxvj.

Olea ἐλαία,oliua arbor,& bacca,id eſt,eius fructus: cuius arboris morbus olla, ἢ λοπάς à Gaza interpretatur.Ex ea & oleaſtro funditur lachrima Scammonio ſimilis,fulua,ſtillis exilibus conſtans,mordax.Similis autem Ammoniaco, vel gummi, colore nigricans,morſus expers,inutilis.Ab elæa gummi elemi corruptè pro enhæmum appellatum.hæc Syluius Dioſ.lib.j.cap.cxviij.affirmat aliquos ſylueſtrem oleã appellari Oleaſtrum,AEthiopicam oleam alios:quæ longè differt à vulgari noſtro Oleaſtello,hoc eſt, Liguſtro:quam arbuſculam,acinos ſuo tempore producentem, officinę Caprifolium album à ſuo flore albo,vocant:atque in vſu frequentiſsimo eſt. Quære dict. Liguſtrum.

Oleaſter,καὶ τινος, ἡ ἀγριέλαιος Græcis dicitur, Latinis verò ſylueſtris olea,alioqui AEthiopica appellata:quæ tota vis aſtrictoriæ foliis,& fructu eſt.Ruell.libro primo, capit.ciiij.

Oloconitis ὁλοκονῖτις,ſylueſtris oleris genus apud Hippocratem legitur, dulci, bulbo ſimili radice,verùm parua,& oliuæ magnitudine,ad ſecundas trahendas vtili. Geſnero videtur,quæ Galeno Myle,& noſtris Moly appellatur.

Olus,λάχανον herbarum hortenſium generalius nomen,eãrũ præſertim quæ in cibos veniunt:ob idque ab olla olus dictum vt Varroni placet:Braſsica verò peculiariter nomine oleris venit,ſiue à magnitudine,ſiue potius remediorum excellentia & numero.De Braſsica Pythagorea quàmplurima, & notatu digna ſcripſit Cato in lib. de Re ruſti.cap.clxvij.Quære dict. Braſsica.

Oluſatrum ἱπποσέλινον,id eſt,interprete Gaza,Equapium, quod Apiũ magnũ ſignificat:eſt id quodvulgò Petroſelinum Macedonicum dicitur.Quod autem Oluſatrum Columella vſurpat,Ruellio Ache putatur:ſed Geſnero id eſſe petroſelinum, quod Alpinatibus, & Allobrogibus Oſtrutium dici ſolet:& ad omne genus morbi communicari. Petroſelinum veterum,vulgarem Pimpinellam,quam veram Saxifragam crediderim Hieron. Tragus eſſe contendit. Quære dict. Apium.

Olynthi ὄλυνθοι,groſsi ſunt,ſiue ficuum flores primíq; fructus,qui ad maturitatem nunquam perueniunt.Ficus agreſtes,& immaturas appellamus.

Olyra ὄλυρα,ſiligo eſt,non vulgaris fruměti genus,vt quibuſdã placuit ſcriptoribus:verùm tritici genus albũ,& altero minus:quo panis candidus pinſatur, frugaliúſque eſtur.

Oloſchœnos ὁλόσχοινος,Iunci genus tertiũ eſt: primũ quidem genus, eſt leue, ſic nominatum:alterum,acutum in mucronemque faſtigiatur:cuius etiã duo aſsignãtur genera,vnũ ſterile: alterum fert ſemen nigrum,rotundum,& craſsiore conſtat calamo,carnoſioréque.Sed genus tertium,prioribus carnoſius,aſperiúſque eſt:is ſimilem ſupra-dicto fructum in cacumine parit,qui vires cum altero habet aſtrictorias. Cætera ex Dioſc.lib.iiij.cap.xlij.

Olor κύκνος Græcorum imitatione auis appellata eſt:atque huic tanta eſt, Poëtarum deſcriptione,extremo vitæ ſpiritu tranquillitas,vt ſibi tanquam iam defuncto neniam cantet.Quanquam ego, poſt Alexandrum Myndium, morientes Cygnos in Heluetiorum regionibus,vbi toto anno frequentes apparent, affectatuſſum: eorũ tamen cantum ante mortem propinquam non audiui.Huius quoque auis caro eſt in cibis qualis Anſeris,aut gruis,quia laborioſè ſtomacho conficitur.

Omomilis ὀμομηλίς,ἀμαμηλίς,καὶ ἀπαμαμηλίς,pyri agreſtis genus quibuſdã ſuſpicio eſt:atque ex Aſclepiade Omomelides,non pyra,ſed mala ſylueſtria & mõtana, quæ Theocritus Oromelidas cum ficu matureſcentia eſſe ſcriptum reliquit. hæc ex Athenæo,& Pamphilo, Ruellij deſcriptione,Geſnerus.

Omphacium ὀμφάκιον,ex labruſcæ vua,vuis immaturis,vel oxalide herba, ſuccus eſt:qui culinariis vulgari triuialíque quadã appellatione veriutũ dicitur: Myro-

polis vuæ acerbæ ſuccus,liquor,ius de agreſta:vnde ſirup. de agreſta accepit nomen. Dioſc.lib.v.cap.iiij. Omphacion ſuccu acerbæ vuæ, nondum matureſcentis è Thaſia vitæ,aut Aminæa:aliquibus ſuccus è labruſca eſt. Omphacium enim tam à vino differt,quantùm omphacinum oleum à dulci.

Omphacitis κηκὶς ὀμφακῖτις,galla quæ immatura,acerba necdum perforata,eſt. Quære dict.Galla.

Omphacomelites,ex melle,& omphacio ſic fit:acerbæ vuæ adhuc immaturæ, & diebus tribus inſolatæ exprimuntur,& ad tertias ſucci partes,mellis optimi deſpumati ſingulæ partes adiiciuntur,& inſolatur in vaſa transfuſum.Eius vſus eſt poſt annũ his qui ſtomachi imbecillitate infeſtantur,& cœliacis. Dioſc.lib.v.cap.xx.

Oëdema οἴδημα ,tumor eſt laxus mollisvè,ac dolore vacans: hac ſiquidem in ſignificatione vſurpatur à Galeno,ac aliis hunc ſequutis medicis Græcis. Hippocrates tamen omnes præter naturam tumores οἰδήματα nominauit. Oedema igitur, Galeno finitore lib.ij.ad Glauconem,eſt fungoſus,& abſque doloris ſenſu tumor, qui ex pituitoſo humore cõſtare depræhenditur:aut vaporoſo ſpiritu,qualis in cadaueribus euenit,& in pedibus ſæpè ac cruribus eorum qui aqua interente, tabe, & alio vitiato corporis habitu,laborant. Verùm in illis periculoſis affectibus eiuſmodi œdema ſymptoma eſt,nullam propriam præcipuámque curationem requirens.

Oleacea vrina,eſt quæ colore iuglandium oleum repræſentat:& hæc colliquationis totius corporis,aut renum tantùm ſignum eſt.Quære Hippo.lib.ij. Pronoſt.pronoſtico xxxv.& dict. Vrina.

Oleum,liquor eſt manans ex granis, ſeminibus, nucibus, iuglandibus, & fructuũ durioribus nucleis torculari expreſsis.Eſt & ex fontibus rupium ſcaturiens oleũ, appellatione ſuæ natiuitatis Petroleum,naturæ miraculo in Italia mortalibus ad ſanitatis vſum productum. De hoc oleo inter cæteros,Manardus vir doctrina atque experientia inſignis diligenter ſcripſiſſe legitur. Variatur oleum apud authores medicos ſecundum diuerſa ſimplicium compoſitorum-vè genera infuſa,atque facultatũ eorum particeps eſt.

Oleum melle dimidia parte minùs ponderoſum quidem eſt: quippe capit totum eius modum,& ſemiſſem.

Olfactiles affectus,ſunt fœtores aurium,narium,maxillarũ,ingiuum, & aliarum partium putreſcentium,ructus fumoſi, fœtentes,& quæ fricta oua ſapiunt ſpiritum anhelantia. Gal.lib.iij.Locorum affect.capite vndecimo. Quęre dict. Guſtatiles affectus.

Onagra,ὀνάγρα,οἰνοθήρα,aut onuris,frutex eſt arboris inſtar, pergrandis, amygdalino folio,ſed latiore,lilio non diſsimili:flore roſaceo,magno:radice candida, longa,cum ſiccata eſt,vinum olente.naſcitur in montibus.herbæ illitu tetra vlcera mulcet. Aqua in qua radix maduerit,in potu data,homines & feras mitigat, & ſicures facit. Dioſc.lib.v.cap.ciij.Ruell. lib.iij.cap.cxxvj.

Onitis ὀνῖτις,origani genus,quod Arabicã ſticadem ex Ruellio ſcribit Geſnerus: eandem neq; tamẽ affirmat. Nicander Onopetalon dixit,quod folium aſinis pabulo gratum eſſet. Quæ Dioſc.li.iij.cap.xxviij. Onitis appellatur, candidiore eſt folio, & hyſſopo ſimilior:ſemen veluti coniunctos corymbos habet. quæ quidem deſcriptio Arabicæ ſticadi minùs reſpondere videtur,vt Onitis ſticas Arabica non fuerit.

Onobletum ὀνόβλητον,herba Hippocrati linguæ ſimilis: quæ contra fœminarum profluuia ex tomento apponitur.Eam imaginari in mentem venit, quam Apuleius neruariã,& nerualem,id eſt,plantaginẽ neruoſam,velut in linguæ formam figuratã, ad profluuia mulierum efficacißimam,appellat.Officinæ plantaginem longam, & quinqueneruiam,ob latioris plantaginis differentiam,communiter efferunt.

Onobrichis ὀνοβρίχις.quæ herba ſit,adhuc certus non ſum:verùm Geſneri deſcriptione ex Ruell.folio lentis,longiore paulò,flore puniceo,Dioſcorides purpureo,caule ſemipedali,radice exigua:dilutis & incultis naſcitur:Plinio,circa fontes:& quòd aſinorum delicatißimum pabulum ſit,retinuit nomen.Dioſc.lib. iij. cap. cxlvj. Ruell. lib.iij.cap.lxxiij.

Onocl

Onoclea ἀ'γχουσα,orchaneta ruſticis appellata,ex anchuſarũ genere eſt. Sed Onochelis,quæ & onochelos ἀγχουσα ἀι'τέρα,ſuſpicatur.Quære dict. Anchuſa.

Onocrotalus auis,vulgò Butor,ſimilitudinẽ cũ Ardea,non cum Olore,habet:niſi quòd plumis colore pullo tinctis veſtitur, & cum collo roſtrum in aquæ ſtagnantis profundum immergit,velut aſini ruditum ædit:vnde quaſi aſini clamor,auis dicta.

Ononis Dioſcoridi ὀ'νωνὶς,Galeno Anonis ἀ'νωνὶς,herbariis vulgaribus Acutella: ruſticis verò Reſta bouis,& remora aratri,nominata eſt:eius decoctum maiorem in modum equis,vt hominibus,vrinam vi reddentibus confert. Laudatur contra calculum renũ,& vreteratum,in quibus expertiſsima perhibetur,quoniam cruciatui præſentaneo eſt remedio. Dioſc.lib.iij.cap.xviij. Ruell.lib.iij.cap.xvij.

Onoſma ὀ'νοσμα,herbariis vulgaribus Parhiſinis Leproſaria, & anchuſæ genus: oblonga folia habet longitudine quatuor digitorum,& amplius,& vnius latitudine, mollia,in terram iacẽtia,ſine caule,ſine ſemine,ſine flore,radice nititur infirma, oblonga,rubeſcente. gignitur in aſperis. Dioſ.lib.iij.cap.cxxv.

Onyx ὀ'νυξ,ſiue vnguis,conchylij tegumentum eſt, ei ſimile quo purpura integitur. quod in Indiæ nardiferis lacubus inuenitur,ſuauem ideo ſpirans odorẽ, quòd conchylia inibi nardi pabulo veſcantur. Colligitur poſteà quàm ſtagnantes aquæ æſtiuis caloribus inaruerunt. Officinis vnguis odoratus,& aromaticus dicitur. Dioſc. lib.ij.cap.vij.& lib.v.cap.xciij.

Ophioſcorodon ὀ'φιοσκόροδον,ſerpentinum allium, ſed ſylueſtre, ſegetibus quoq; familiare,foliis prælongis teretibus,intus canis iunceam ſpeciem repræſentantibus: caule procero,leui,purpureos flores oſtentante:radice capitata,nucleis ſpicatim compactilibus intumeſcente:ſummo vertice capillamentis fibrato. Ex Ruell. hæc Geſnerus. Dioſco.lib.ij cap.cxlv.

Ophites lapillus,cuius genera plurima:quidam ponderoſus & niger:alter cinereo colore ſpectatur, punctis diſtinctus: tertius, lineis quibuſdam candidis intercinctus eſt. Omnes alligati contra capitis dolores, & ſerpentum ictus proſunt. feruntur qui lineas habent,lethargo, & capitis doloribus auxiliari. Dioſco. libro quinto, capite nonageſimotertio.

Opium ὀ'πιόν,è vulneratis papaueris nigri codiis,id eſt,capitulis fluit,nomẽque in officinis hactenus ſeruat. Cùm multi ſint ὀ'ποί, id eſt, liquores, folius papaueris ὀπὸς, neutro genere ὀ'πιο'ν à medicis propriè nominari ſolet. Dioſcorid. libro quarto,capite lv. Gale.lib.ix. Compoſit. pharmac. Quære dict. Meconium.

Opos ὀ'πὸς in genere Græcis,herbæ cuiuſque manans ſuccus eſt, vulneratæ: ſed abſolutè pronunciatus Laſer,præcipuè Cyrenaicum, deinde Medicum à Media regione,& Syriacum,indicat.

Opobalzamum,balzami arboris vulneratæ lachrima eſt, noſtratibus Myropolis incognita:atque interim pro vera balzami lachrima,ſuppoſititia vendi ſolet. Dioſco. lib.j.cap.xviij. Quære dict. Balzamus.

Opopanax ὀ'ποπάναξ,Herculei panacis ſuccus,retinuítque ad hoc tẽpus nomẽ in officinis. Foliis herba eſt aſperis,in terra iacentibus, herbacei coloris, multùm ad ficulnea accedentibus,in ambitu quinquepartitò diuiſis:caule,vt ferulæ,altiſsimo, qui lanugine quadam incaneſcit,foliis etiam minutioribus obſitus,muſcariis, ceu anethi in cacumine:flore luteo,& ſemine odorato feruentéque. Radices habet multas ab origine vna,candidas,graueolentes,craſsi corticis,& ſubamari guſtus. Noſtra mõ tanã panax videtur. Dioſc.lib.iij.cap.xlvj.

Opora ὀ'πώρα Democrito, Latinis pomum eſt,vt quicquid herbaceo fructu viret,lignoſi nihil exteriùs habens,veluti poma,pyra, ceraſa, pruna, opora dicetur: & eius contraria ſignificatio acrodry is,vt in nuce,iuglande,caſtanea, piſtaciis, amigdalis,& huiuſmodi ſimilibus,appellabitur.

Ophthalmia ὀ'φθαλμία, eſt membranæ adnatæ,vel corneæ,inflãmatio: quæ Latinis Lippitudo vocatur. Taraxis ταραξὶς quoq; dici poteſt,quia humiditas oculi cum rubore & calore præter naturam,non ex corpore,ſed forinſecus adueniente cauſa aliqua,producitur:vt fumo ,ſole,puluere,aut oleo,atque huiuſmodi. Et hæc perturbatio

oculi,& vacillatio,quæ alioqui ὀφθαλμία non vera nominatur.Fuch.lib.j.Cõp.medic.cap.xxvij.Gal.lib.ij.ad Glauc.& in li.de Oculis Theoremate iiij.cap.vj.& Theor.vj.cap.v.& vj.

Obſtructio ſiue oppillatio ipſa morbus eſt,ſucci verò cauſæ morbi: fitque nonnũquam adaucti caloris cauſſa,quo minùs per corpus alimentũ defferri,digeríque poſſit.Obſtructio quinetiam ex eodem genere ægritudinum eſt,quæ ex lentis, & craſsis humoribus fit vnam & ipſam habens intentionem morbo contrariam, id eſt, apertionem.

Omentum ἐπίπλοον,& ἐπιπλοῦν,poſt peritoneum occurrit, veluti quoddam corpus,quod à ſimilitudine etiam rete appellatur:& zirbus chirurgis vulgaribus. Ex duabus tunicis,denſis,ſubtilibus mutuo ſibi incumbentibus,multis præterea venis & arteriis,pinguitudine non pauca contextũ,vt ventrẽ,cuius fundo inſidet, foueat, innatúmque calorem per inediam tueatur.Inſtitution.Anatomic.lib.j.Guinterius.

Omoplatha ſeu ſcoptulum opertum,ſcapula eſt:vulgò os ſpathulæ, ſiue ipſa ſpathula:cuius proceſſus ſuperior Acroniũ eſt.ibíque clauiculæ,hoc eſt,oſsi ſurculę annectitur,vt ex parte altera Thoraci clauicula.Gal.de Anatom.adminiſtrat.

Ophiaſis ὀφίασις,à ſerpentis nomine ὄφις,ſerpigo latinè quidem dici poteſt,non autem barbarorum more Tyria:nam ſub Tyri nomine ſerpentes omnes,& viperæ cõpræhenduntur.Eſt autem paſsio,quæ partem capitis læſam,ſerpentis moræ, glabram oſtendit.Fuch.lib.j.de Medend.morb.cap.j.

Opus,ἔργον,eſt quod iam factum atque completum per actionem,veluti ſanguis, caro,neruus.Et actionem quidem licet quoddam naturæ opus appelles, ſeu concoctionem,digeſtionem,& ſanguificationem,non tamen contra licet opus actionẽ omnino vocare:ſiquidem caro naturæ opus eſt,non tamen eſt actio. Quære dict. Actio.

Oreoſelinum, caule eſt dodrantem alto,ab radice tenui exeunte:per cuius ambitũ rami,& capitula cicutæ,multò tamen tenuiora:ſemine cumini,oblongo,acri, & odorato,tenui.naſcitur in petroſis,& montibus.Vrinam ciet,ſemine ac radice in vino potis:antidotis excalfactoriis inſeritur.Nec hallucinari nos oportet,exiſtimantes oreoſelinum eſſe quod in ſaxis prouenit.aliud enim petroſelinũ eſt.Quære dict. Apium.

Orchis ὄρχις,καὶ κυνοσορχις,pleriſque canis teſticulus,& officinis impropriè Satyrion:foliis circiter caulem imum in terra ſtratis,oleæ molli ſimilibus,longioribus, anguſtis læuibus,caule ſemipedali,floribus in vertice purpureis,radice bulboſa, oblõga in modũ oliuæ gemina,ſuperiore quę durior,& calloſior, inferiore quæ mollior & rugoſa. Atq; hic mas eſt,& fœmina eiuſdẽ nominis,quæ diſtinguitur internodiis,& ramoſiore frutice,radice faſcinis vtili.De hac radice fit compoſitio apud myropolas, quæ ſuo more Diaſatyrion appellatur.Ruell.li.iij.cap.lxv.Eſt præterea Orchis, nomine alio Serapias:de qua in dict. Satyrion.Occurrit Orchis vel Orchas ὄρχις,oliuę genus grande,cibo commodius,quàm oleo:à ſimilitudine teſticulorum vocitata.

Origanum heracleoticum,vel heracleum ὀρείγανον ἡρακλῆον, καὶ ἡρακλειοτικον, καὶ ἡ ὀριγανὸς Dioſcoridi:Cunila gallinacea Plinio:Eſt inſuper ſylueſtre origanũ, Cunila Bubula vulgò,dictum;atque aliud ſub nomine Onitis, vt ſupra paulò expoſuimus:necnõ Origanis,vel Marõ ὀρειγάνις,καὶ μάρον.Quære dict. Marõ,& Onitis.

Origanum autem quia triplex in differentia eſt.ſic diſtinguitur: primum nempe Heracleoticum,folia hyſſopi producens,& odorem eundem:Secundum, quod agreſte vocatur,folio eſt prioris origani:& vtroque caremus: Tertium verò,quod Onitis ſiue praſion dicitur,maioranæ ſatiuæ folium habet:vnde vulgus noſtrum vocat Maioranam Anglicam,quòd frequentiſsima illic proueniat.eſt tametſi vulgare noſtras Origanum.hæc Car.Stephanus.Dioſc.lib.iij.cap.xxviij.

Orminum ὅρμινον,καὶ ἀσπάραγος ἄγριος Græcis, id eſt, ſylueſtris Aſparagus; Corruda Latinis.Eſt & hortenſe Orminum,Græcis ὅρμινον κηπαῖον: noſtris Gallitricum ſatiuum:& populari lingua Tota-bona appellata.Eſt item Orminum ſylueſtre ſuperioris nomen retinens Gallitricum,vulgò Oruala.

Orneogloſſum ὀρνεώγλωσσον,id eſt, Lingua-auis:arbor eſt vlmi ſpecie, foliis amygdalæ,prælonginquis ſiliquis,in ſurculorum cacumine prodentibus, oleagina magni

gnitudine,in quibus medulla ineſt linguæ auis ſimilis,exterius rubra, intus ex candore in luteum vergens ſapore acri,vellicante linguam cum nonnulla amaritudine.Linguam auis Officinis vulgarem atque veram,ex fraxino arbore,ſemen,nõ illius Ruellij arboris,eſſe conſtat experientia ipſa.

Ornithogalon ὀρνιθόγαλον, vulgus Gallicum *churles* vocat,eſt caule tenero. à ruſticis eruitur paſsim rotunda radice bulbacea, è cuius medio cauliculus exit, tribus aut quatuor appendicibus in cacumine,foliis extenuatis,floribus extra herbaceis,intra albicantibus:ſemen cum pane coquitur vt melanthium.radix bulboſa, cruda & cocta manditur.Dioſc.lib.ij.cap.cxxxviij.Ruel.lib.ij.cap.lxxvij.

Ornus ὀξύα,vt plerìſque placet, non eſt, ſed μελία ἀγρία,vel βουμελία, ex Geſnero nomen accipiet: Columellæ fraxinus ſylueſtris: Gallis autem fraxinus cãpeſtris. AEmulatur enim Fraxinum effigie tota,foliis quàm cæteræ fraxini latioribus.Quære dict.Fraxinus.

Orobanche ὀροβάγχη,quod eruum ſtrangulet,accepit nomen:herbariis popularibus,& officinis volubilis,& corigiola,ruſticis verò tinea.Λέοντοβοτάνος eadem ſuſpicatur,quæ Orobanche,vulgò Tinea,*tigne*, etiam Geſnero:etiam Ruellij ſentẽtia, quorundam abſurditate hypociſtis nuncupata.Orobanche cauliculus eſt ſeſquipedalis,& interdum maior,ſubruber,hirſutus,tener,ſine folio,pinguis:flore ſubalbido, & in luteum vergente:radice digiti craſsitudine,&,cum ariditate flacceſsit, caulis, fiſtuloſa.Eſtur,vt olus,cruda,& in patinis,aſparagi modo,decocta.legumentis addita, coctionem accelerare creditur.Dioſc.lib.ij.cap.cxxxvj.

Orobus ὄροβος,Eruum,& Vcia,leguminis genus,videtur:quod ab eo tamen differt.Orobo ſi corticem deglubas,candidum:Eruo,inſtar vitelli flauum videbis. neq; officinæ adhuc vero eruo vtuntur.Quære dict.Eruum.

Oryza ὄρυζα,Sycilienſe hordeum eſt: frugum generis eſt, in paluſtribus riguíſque naſcens.mediocriter alit,ſed aluum ſupprimit: prodéſtque cum amygdalino diſentericis.Ager-Arpinas hac fruge abundat.

Ortygometra ὀρτυγομήτρα,Coturnicum rex.auis eſt turturis magnitudine,longis cruribus,colore inter croceum & viridem medio.Ex Myndio hæc Scholiaſtes.

Oſsifragus Dioſcoridi,auis ſic nuncupata:cuius venter particulatim potus cũ diluto quopiam,calculos cum lotio pellere proditur. Niſi auis hæc Sturdus ſit,diuinare neſcio:nam neque Galerita,neque,quæ vulgò Cauda-tremula auicula eſt appellata,videtur.

Oſteocollon ὀστεοκόλλον,polygonium medici,Talantion alij,vulgus ſymphyton dicit.herba ſaxis,& mœnibus perfamiliaris,perpetuo foliis vidua, & virens: ramulis inſtar Iunci penſilibus, tenuioribus proceribúſque, ſpartij ſimilibus paſsim ſparſis. Hac tradunt,inquit Geſnerus,crudas carnes diſſectas coaleſcere,ſi coquatur vnà, itidem oſſa fracta ferruminari.Ruell.lib.ij.cap.cxliiij.

Oſtracites ὀστρακίτης,lapis teſtæ ſimilitudinem habens, cruſtoſus, & in laminas fiſsilis,quo mulieres ad detrahendos pilos pro punice vtuntur.Menſes drach.pondere potus ex vino,ſiſtit.ſi quatuor diebus à purgatione bibatur ſicilici pondere, fœminis præſtat ne concipiant, cum melle autem impoſitus, mãmarum inflammationes lenit,& nomas cohibet.Dioſ.lib.v.cap.xciij.

Oſyris ὄσυρις, linaria officinarum eſt,frutex niger, ramos ferens tenues, lentos, fractúque contumaces,& in his folia quaterna,quina, ſenavè, ſeu lini,nigra in initio, dein colore mutato rubeſcentia.Decoctum eius potũ iuuat arquatos.hæc ipſa eſt,quæ ab Eſula lactis ſucco differt:cuius ſuo loco vide deſcriptionẽ.Dioſ.lib.iiij.cap.cxxvj.

Os,hoc eſt,Bucca,faciei pars eſt per quam cibi, & potus in ſtomachum ingreſſus fit.Inde oris pars extima labium,ſeu labrum eſt:ſecatúrque in infimum, & ſupræmũ. Labrum ſuperius μύσταξ,καὶ ὑπήνη,id eſt,in barbam & pilos labri ſuperioris. Oris pars ſuperior ὑπερῶα,καὶ οὐρανίσκος,palatum dicitur:atq; in extrema oris,& palati parte carnoſa quædam particula ſuſpenſa apparet,quam gurgulionem veteres, γαργαρεῶνα:poſteriores verò columellam,vuulam,& vuam,κιονὰ appellant.

Oris vlcerationes ſeu alcola ἄφθαι,ſunt quæ in oris ſuperficie accidunt, igneæ caliditatis quippiam habentes:nunc ſubalbidæ,nunc ſubrubræ ſunt:aliàs cruſtæ modo nigreſcunt,& hæ periculoſiſsimæ omnium exiſtunt.Curationis author eſt Fuch. lib.j.Medend.artis,cap.xxx.

Oris reſolutio,ſeu tortura κυνικὸς σπασμὸς, eſt quùm in vtramlibet partem faciei deprauatio ſequitur:quod in ea paſsione cum motu quodam peruertatur.

Oris fœtor,eſt ipſius oris moleſtus odor,grauiſque,primùm ob putreſcentes gingiuas,dentes,aut ciborum reliquias illic detentas accidit:deinde propter oris cutis calidam intemperiem humiditatem, quæ in eo multa eſt,corrumpẽtem:interdum etiã ob humorem corruptum,aut putrefactum,in ore ventriculi hærentem,oris, pulmoníſque exulceratione fit,vt moleſtus ſit oris halitus,ſiue ſpiritus.

Os adiutórij,brachium ipſum eſt,ſiue humerus:conſtátq; oſſe vnico. Quære dict. Humerus.

Oſſa,corpora ſunt ſicca,frigida,terreſtria,& ſenſus expertia,in quorum concauitate medulla pinguis,ſine ſenſu,contenta eſt.

Oſſa inter homœomeria,firmiſsimæ ſunt materiæ,totámq; corporis molẽ ſuſtinẽt,plurima carne adoperta,& ϛομάτα,Græcis dicũtur.Quęre Gal.li.xj.de Vſu part.

Oſsium ceruices,ſunt proceſſus tenues:extremum verò ceruicum, quod craſsius, & orbiculatum eſt,caput nominatur:cùm verò in mucronem proceſſus deſinit, non ceruix,ſed corone nuncupatur.hæc Gal.de Oſsibus.

Oſſeæ membranæ περιοϛέα,ſunt quaſi,vt oſſa,in ſe vndique continẽtes:at oſteotme,Galeno definitore,eſt oſsium corporis humani diuiſio.

Oſmunda δρυόπτερις,arborea vua,quæ polypodiũ dicitur:altera humi,vel in arborũ radicibus,radice craſsior,piloſiórq;,& in clauæ formam intumeſcens, naſcitur: atq; hæc oſmunda regalis herbariis habet nomen.Quære dict. Drypteris.

Oſtrea,& oſtreũ ancipiti generis cõcha vel cochlea:eſt ergo generis cõcharũ nobiliſsima Oſtrea,Gręcis,pariter ac Latinis nomẽ retinẽs:& teſtã ſcabrã habet,quæ inter lautiſsimos cibos eſt recepta.De ea Phariſiẽſes populi fidem in menſis faciunt.

Oxalis ὀξαλίς,à ſapore acetoſo quem habet,acetoſa appellatur: multiplex quidẽ eſt,ſatiua,quæ latiora,lõgioráq; habet folia,caulẽ verſus pediculũ rubeſcentem :atq; ea tum in acetariis,tum etiam in iuſculis vſus eſt.Eſt & ſpecies altera hortenſis, cuius rotunda ſunt fermè folia,ſuperioréque delicatior in iure, & acetariis. Præterea tertia,cæteris tenuior,quam vulgus vocat *vinette*, à ſucco quodam vinoſo:ea quinetiam vtimur in febrium ardoribus carpo cum ſalis momento,tanquam amuletum,appoſita. Oxys denique,vt author eſt Plinius,ternis foliis conſtans, quæ putatur Oxytriphyllum ὀξυτρίφυλλον,trifolio ſimile eſt:longis tantùm pediculis, tria ſummatim folia proferentibus,acido ſapore,flore luteo,interdum candido, rufo in lunatis ſiliquis fœtu. Vulgus panem cuculli appellat:officinæ.Trifoliũ acetoſum: & Alleluya. Ruell.ex Plinio,lib.ij.cap.cxlvj.

Oxylapathum ὀξυλάπαθον,à ſapore acido,vt in acetoſa herba, & à foliorũ acuto rũ figura,nominatur:cuius variũ.quidẽ genus,multipléxq; eſt. Quære Lapathum.

Oxyacantha,& oxyacanthus ὀξυάκανθα,καὶ ὀξυάκανθος, Græcis.ſpina acuta Latinis,frutex notitiæ vulgaris inter ſpineta & ſepes naſcens,ſpinis aculeatis fultus. Ber beris officinis ei nomẽ peculiare eſt. Ex eius acinorum maturorum liquore ſirupus cõponitur febre ardente affectis,& alui fluxu correptis,gratiſsimus,vtiliſsimúſq; eſt. Spina-vineta Gallis,à foliorũ,& fructus aciditate,non autem à ſpinis, aculeiſvè quibus horret,veſtitúrque,habet nomen. Frutus ſed falsò, aliquibus Ribez putabatur, qui racematim in frutice Rhamno aculeis,ſpiníſque carente,cohæret: & prius-quam maturuit,herbacei coloris eſt,verùm ad maturitatem vbi peruenit, rubeſcit. Ex eo fructu fit ſirupus vexatis cholera,& ardore,aptiſsimus,& optatiſsimus. Dioſco.lib.j. cap.cv.& cij. Quære dict. Rhamnus.

Oxymyrſine ὀξυμυρσίνη, Ruſcus noſtras eſt,& officinis bruſcus:eſt enim myrthi quidem folio,ſed aculeato,vnde tractum ei nomen: Scopa regia Largo eſt, cap. cliij.

ad calc

ad calculos experta tantùm radix. Dioſco. libro quarto, cap. cxxix.

Oxalme Græcis acida muria Latinis: contra nomas fotu, putrida vlcera, canum morſus, & venenatus ictus auxilio eſt. ſanguinis fluxiones poſt exciſos calculos ſiſtit, ſi ſtatim calida in vulnus iniiciatur. proeiduã ſedem reprimit, dyſentericis, ſi nomas ſentiant, infunditur. Dioſc. lib. v. cap. xiij.

Oxyphœnix ὀξυφοῖνιξ, ab acido fructus ſapore, naſcíque in palma ſylueſtri exiſtimatur: & palmæ genus credibile. Tama-Indum iſto ſeculo ab Arabibus ei datum nomen eſt, & apud officinas hactenus retinuit. plurima palma ſylueſtris in India naſcitur; vnde frequens ad nos mittitur: atque eius vſus in medicina creberrimus. Dioſ. lib. j. cap. cxxv.

Oxytriphyllum ὀξυτρίφυλλον, idem quod Triplium acutum, ſiue acetoſum. Differt autem ab eo quod Largus lanuginoſum, & quaſi aculeatum in folij extremo habere ſcribit: cuius ſemen, vt herba ipſa, nidore acutum, non autem aculeatum, reperitur. hæc herba in Rhomanenſium ſepibus habetur frequentiſsima: cuius deſcriptionem ex Largo, cap. clxiij. petes.

Ouum volucrium, vnde natum eſt, naturam ſortitur: vnde etiam ouum ouo aliud melius, vtiliúſque eſt: nam melliculum plus alit ſorbilli: & molle plus duro. Dioſcor. lib. ij. cap. xliij.

Oxos ὀξός, acetum dicitur, quod quatuor in rebus medicinæ recipitur, & à ſua voce denominationem tradit. Oxymeli ſimplex, & cõpoſitum: Oxyſacchara, & oxymeli Scylliticum: necnon Scylliticum acetum, compoſitionem ex aceto accipiunt. Quære dictionem Acetum.

Ozæna ὀζαινά, ex graueolentium genere narium vlcus eſt, polypo vlcere non inferius, cùm generis eiuſdem ſit: nam profundũ, & putridum, naribus inuenitur: ex quo ingratus, & fœtens exhalatur odor. Fuch. Compendij. Medic. cap. xxix.

De litera P.

PAEderota ἄκανθος, officinis Branca-vrſina, naſcitur in hortis, petroſis, & riguis. folia habet lactucaceis multò maiora, latiora, & longiora, erucæ diuiſura, nigricantia, pinguia, leuia: caulem binum cubitorum, digitali craſsitudine, prope verticem nucamenta quædam oblonga, è quibus flos prodit albus: ſemen oblongum, luteum: caput tyrſi ſpecie. radicibus nititur longis, mucoſis, rubris & glutinoſis. Eſt & ſylueſtris acanthus, ſcholimo ſimilis, aculeatus, breuior quàm ſatiuus: & ad eadem quæ ſuperior, prodeſt. Dioſ. libro tertio, capite decimooctauo. Quære dict. Acanthus.

Pæönia παιονία ἄρρεν, mas eſt: fœmina alia παιονία θήλεια, ſiue glycyſide γλυκυσίδη Græcis dicitur. caulis altitudine ſeſquipedis adoleſcit, comitātibus multis ſtolonibus. mas folia iuglandis habet: in fœmina ſmyrmij more diuidūtur. ſummo caule ſiliquas emittit, veluti græcas nuces: in quibus cùm dehiſcūt, multa granula rubra inueniuntur: & in medio nigra, quinq; aut ſex purpurea. radix maris longa, althçæ æmula: cōtra epilepſiam, & melancholiam recens collo appenſa, finire morbū ſcribit Gal. li. vj. Simpl. eſt quoq; fœminæ radicis efficacior. grana rubra ſiue purpurea mouent menſes muliebres: nigra verò ſiſtunt. Dioſc. lib. iij. cap. cxxxiiij.

Paguri πάγουροι, ex cancrorum genere; dorſo aliquanto leuiore, quàm cæteri cancri: chelis ita magnis muniti ſunt, vt quicquid corripuerint, aſtringendo retineāt. Hi ſunt admodum in cibis grati, quòd ſtomacho dum conficiuntur, minùs aduerſantur. Quære dict. Cancer.

Paliurus παλίουρος, frutex eſt pinoſus, Albus pinus vulgò dictus: hāc eſſe Geſnerus coniicit, nullis ferè reclamantibus notis, paliurum Affricanam, eam præferri m quæ non ſiliquetur, hactenus incognita mihi: niſi fuerit ex Theophraſto, quam veram affirmat Ruellius, quum deſcriptioni Theophr. tota noſtra ſubiaceat Paliurus, vulgi nomenclatura, Albus pinus, cum ſuis bacculis, diuo Martino ſub pyrorum nomine dicatis appellatus. Diuerſam deſcriptionen facit, ab ea quæ Theophra. eſt Dioſcor. lib. j. cap. ciiij.

Palma φοῖνιξ arbor, à qua palmula ſiue dactilus, à digiti ſimilitudine dictus, fructus: è palmulis caryotæ, vel caryotides celebrantur in cibis, quas dattas, & ficus regias dicunt. harum quoque genera tria ſunt, Nicolai, adelphides, id eſt, ſorores, & pateti. Ariſtoteles genus palmularum quoddam Eunucū vocat, quod alij enorchum, & ſpadonium. Plinius Margarides facit palmas breues, candidas, rotundas, acinis, quàm balanis, ſimiliores, à margaritis quoque appellatas. Theophr. lib. ij. cap. viij. Dioſcor. li. j. cap. cxxv. Plinius lib. xiij. cap. iiij. Gal. de Alimentor. facult. libro ſecundo, cap. xxvj.

Palma in vite, quaſi parilema, inquit Geſnerus, à pariendo nuncupatur: parit enim quidem vuas, propter infirmitatem tamen vitem eiicere minimè poteſt. Aliquibus autem, palma eſt maior vitis pars, vnde vuæ naſcuntur: quemadmodum minor flagella.

Palmes pampinarius in vite κλῆμα νέον ἔτι ἄκαρπον, id eſt, quia plerunque teneris eſt infrugifer, appellatus: fructuarius autem palmes ex anniculo palmite fit, fructúque induitur. ſed focaceus palmes vocatur, qui ſolet in bifurco medius prorepere. hæc Geſnerus.

Palpebræ inuerſio ἐκτρόπιον, fit propter cicatricem, carnis excreſcentiam: cui τράχωμα, hoc eſt, interna palpebrarum ſcabrities, & aſperitas occurrit. Nā quando augetur, ac intenditur veluti in inciſuras συκῶσις, dicitur, id eſt, ficoſa palpebra: cùm verò iam inueterata fuerit, & in callum abierit τύλωσις, nuncupatur. Sequitur etiam

πτίλωσις

πτίλωσις, hoc eſt, craſsities palpebrarum calloſa, rubicunda, quibus accidit ſæpe pilorum defluxus. Gal. in li. de Ocul. Theorem. iiij. cap. j. ij. iij. & ix.

Palpitatio ſeu tremor cordis παλμός, differt ab ea paſsione, quæ cardiaca nuncupatur: proinde hallucinantur praxeos ſcriptores, qui καρδιακὴν pro cordis tremore interpretantur. Eſt autem paſsio quæ duobus perficitur motibus: vno dum cogitur mēbrum ob morbum, atque grauitatem, ad inferiora repere: altero, dum ſurſum à facultate fertur. Fuch. li. j. morb. medend. cap. xxij.

Pallida vrina, eſt quæ quia tincturam aliquam accipit, à ſumma cruda nonnihil diſcedit: quæ dum palleſcit magis bilis ſeroſæ plus humiditati miſcetur. Hanc ſequitur ſubrufa vrina cùm plus tincturæ accedit ſi concoctio præceſſerit, & hanc mediocrem & temperatam eſſe Actuarius docet. Quære dict. Rufa vrina.

Panaces πάνακες, nominis cōmunioris eſt pluribus herbis appellatio, vt Cētaurio, Liguſtico, Tithymallo, Origano Heracleotico: ſed Dioſ. capitibus priuatim diſcriminat tria hæc ſolū genera: Panaces Heracleum, Aſclepium, & Chironium, quod Apuleio Enula cāpana vocatur: quorū vide diuerſitatem apud Dioſ. li. iij. capit. xlvj. xlvij. & xlviij.

Panaces ad verbum, inquit Scholiaſtes, ſignificat valēs aduerſus omnes morbos: quod nomen quanquam cōmune eſt Centaurio, & aliis ſuprà enumeratis, tamen propriè tribuitur Panaci. Neque eſt veriſsimile plantam, quam Galli paneam dicunt, eſſe verum Panacem, niſi ſimilitudine aliqua Aſclepium.

Pancratium πάγκρατιον, ſcylla ſegetalis, quam Rura cepam anguineam vocant. Myropolæ aliquod ex Dioſcoride iam didicere pro maritima Scylla, Pancratio vti. Dioſc. li. ij. cap. clxv.

Panicum ὁ ἔλυμος, καὶ ὁ μελινός, frumētaceis ſeminibus adnumeratur, milio ſimile: eodēque modo in panes ſubigitur. eoſdem habet vſus: minùs tamen nutrit, & ſtringit. hæc Dioſc. li. ij. cap. xc.

Papauer ſpumeum Gale. authore, propterea quòd totum album ſit, & ſpuma plenum, videtur appellatum. Eſt autem humile genus papaueris inter ſegetes natum.

Papauer ſatiuum μήκων κηπαῖος, albū papauer in cultis locis naſcēs, vel in hortis dum ſeritur, eſt calice grādi, flore, & ſemine albo, minùs frigidū, ob id eſculētum, & mediocriter ſomniferū. Sylueſtre, flore ad medium nigricante, calice minore, ſemine nigro, admodum frigido. Tertiū etiam ſylueſtre procerius, calice lōgiore, omniū frigidiſsimum, proinde ſtupefacit. Sunt genera ſex papaueris Dioſ. & Gal. propriis ſignata capitibus. Eſt item erraticū papauer, rhœas dictum, μήκων ἡ ῥοιάς, rubro, vel phœniceo flore, ſemine intus nigro, poſtquam maturum eſt, freques inter ſegetes inuenitur: quod idem aliquibus papauer cornutum notatur.

Pappus πάππυς, eſt lanugo ex plantarum nonnullarum floribus decidua, vt in carduis, ſenecione, condrylla, vento minimo agitatis poſt maturitatem.

Papyrus πάπυρος, arbor, qua chartæ fiunt, noſtris ignota regionibus, præcipuè in medicina vtilitatis, ad laxādas fiſtulas. habet neſcio quid alimenti radix. itaq; AEgyptij eam mādunt, ſuccū tantum deuorantes: & manſam expuūt: ipſis radicibus pro ligno vtuntur. Crematæ papyri cinis depaſcētia vlcera cū omnium partium, tū oris maximè cohibet. verùm meliùs id cōbuſta charta præſtat Dioſ. li. j. cap. xcviij.

Pardalianches παρδαλιάγχες, ἀκονιτόν, aconiti genus primū, vulgò Tora, quæ à Chymiſtis pro maiore Lunaria falſò vſurpatur. Pardalianches, vt eſt Scholiaſtes author, videtur Aconitum, quod officinæ Napellum vocant: aliis Luparia. Quære dict. Lycoctonum.

Paralios πάραλιος, ex genere Tithymallorum eſt: naſcitur in maritimis, ramis ſubrubentibus, palmum altis: quinis ſeniſvè à radice exeuntibus, foliis lini anguſtis, paruis, oblongis, in verſus quoſdam digeſtis: capite in cacumine orbiculato, in quo ſemen: vt eruum, vario colore emicat, flos albus. Frutex totus cum radice, lacteo ſucco turget. Similes ad vſus, ad quos Tithymallus, reconditur. Vulgus officinarum Eſulam coronatam vocat. Quære dictionem Tithymallus.

Paroni

Paronichia παρωνυχία,herba odorata in mõtium ſaxis quæ naſcitur:tota parua, foliis peplij,radice hirſuta.Ignari chymiſtæ Lunariam minorẽ ſuſpicantur. Illita paronychiis, atq; duritiis remedio eſt:vnde nomen traxit.Dioſ.li.iiij.cap.xliiij.

Parthenium παρθένιον, hoc eſt, herba virginea, officinis verò matricaria: cuius tria ſcribuntur genera:vnum ſub nomine hoc, Matricaria: quæ etiam mulierculis febrifuga dicitur:ſecundum Thanacetum, vel Athanaſia: tertium autem genus, Chamæmelum, Anthemis Dioſcoridi vocatum. Quæ parthenium vocatur, foliis eſt coryandri,ſicut Thanacetum,& Anthemis,tenuibus,flore per ambitum albo,intus melino,odore graui:ſed Thanaceti,& Anthemidis,grato,& iucũdo:ſapore amaro omnibus:tamen mitiore in Thanaceto: quando cum ex alide prò omphacio miſcetur, & eſtur,pro lombricis,& plattis extra ſtomachum, & inteſtina extirpandis. Matricaria verò à cibis reiicitur,vellicationis ad nauſeam cauſa:verùm ſuſpicioſis,& melancholicis pro pharmacopota prodeſt.item mulierum vuluis induratis. Dioſcorides li. iij. cap.cxxxij.

Parthenium, inquit Scholiaſtes, nomen ambiguum eſt apud Græcos, & Latinos authores: aliquando enim eſt Anthemis, id eſt, Chamamilla noſtras, aliquando Mercurialis, aliquando Parietaria, vt Celſo,& Gazæ: qui Muralem Parthenium interpretantur, quia muris plerunque adnaſcitur. Quibuſdam placet eſſe Matricariam,vulgò Eſpargottam: aliis Cotula fœtida appellatùr. at nos hîc accipimus Parthenium pro Eſpargotta,& Matricaria.hactenus Scholiaſtes.

Parthenis,id eſt, Artemiſia παρθενὶς, καὶ ἀρτεμισία, vulgi appellatione Armoyſia accepit nomen:cuius loco ſuo petes dict.

Panaricium Chirurgis barbaris,Reduuiæ Latinis:παρωνυχία verò Græcis medicis,eſt abſceſſus circa radices vnguiũ, digitorum manuum, & pedum articulorum, conſiſtens.

Paralyſis παράλυσις Græcè,Reſolutio eſt Latinè,eſt:Galeno authore li.iij.cap. x.de loc.affect.vbi alterum latus,aut dextrum,aut ſiniſtrum,ſenſum & motum amiſerit.Interdum etiam vna duntaxat parte,manu,ſcilicet,lingua,crure,accidit. Quum verò per reſolutionem interdum ſenſus duntaxat, interdum motus, nonnunquam ambo ſimul pereant,neruorum reſolutio potiſsimum dicitur,vbi motus deperditus eſt.Gal.li.j.de Sympt.cauſis cap.iiij.

Paralyſis generatur à multis craſsis, & viſcidis humoribus, neruos obſtruẽtibus, impedientibúſque ne animalis facultas è parte principe ad membra delabatur.hac ratione refrigeratio ex niue, compreſsio neruorum corporum, reſolutionem efficere poſſunt.Fuch.li.j.de Medend.morb.cap.xvij.

Panniculus carnoſus,ſeu membrana carnoſa,eſt quæ veluti muſculi ſpeciem,præ ſe fert:& Abdomen dicitur Latinis: Arabibus Myrach. Quære dict. Abdomen.

Panus φυγέθλον Celſo,glandulæ tumor eſt non altus, ſed latus atque patens: in quo quiddam puſtulæ ſimule eſt, panis ſimilitudinem referens. hinc Latini panum etiam appellant.

Palumbus,& palumbes φάττα, ex columborum genere maior, quàm vinago, Græcis οἰνὰς τρύγων: quas voces Gaza vertens Turturem pro vinagine reddidit. Aquitani autem, vt refert Scholiaſtes, ſicut diſtinctæ aues ſunt, ita diuerſis nominibus eas appellant. Columborum verò ſpecies quinque reperies apud Ariſtot. lib. viij. de Natura animalium, φὰψ, φάττα, περιστερά, οἰνάς, τρυγών, καὶ φάβα.

Papulæ ἐκθύματα,pituitæ ſunt eruptiones, & duplices appræhenduntur: quædam enim ſublimes, quædam verò latæ. Sublimes à calidiore, & tenuiore humore fiunt,pruritúmque excitant:quæ neotericis morbilli vocantur. Latæ & humiles à frigiditate & craſsiore humore oriuntur: neque pruritum concitant, & variolæ dicuntur. Quære dict. Morbilli.

Parotides παρωτίδες,ſunt inflãmationes in glandulis auribus adiacentibus quæ oriuntur. Gal.li.ij.ad Glauc.cum explanatione Acakię. Curationis autem Fuch.lib.j. cap.xxvij.Medend.morb.Quęre dict. Bubones.

Partitio

Partitio, eſt aut totius, aut compoſiti in ſuas partes diſtributio: vt corpus in caput, thoracem, ventrem, manus, pedes: &c. vel, Medicina, eſt quæ in ſcientiam ſalubrium, morboſorum, & neutrorum per differentiam enumeratur. Quære dictionem Enumeratio.

Partus difficilis, eſt qui aut vitio parentis, aut fœtus, aut ſecundarum, aut extrinſecus aduenientium accidit.

Parturiens quidem, ſi craſſa, obeſáque eſt, aut animo puſillo, & dolorum inexperta, aut vterus totus exiguus, aut naturaliter imbecillis ſit, vt fœtum propellere nequeat, aut ante tempus pariat. Curationis author eſt Fuch. li. iij. de Medend. morb. cap. lij.

Partus gerendi, & pariendi cæteris animantibus ſtatutum tempus certum quidem eſt: homo toto anno & incerto gignitur ſpatio. Alius ſeptimo menſe, alius octauo, & vſque ad initia decimi, vndecimíque. Ante ſeptimum menſem haud vnquam vitalis eſt: ſeptimo, non niſi pridie, poſterovè plenilunij die, aut interlunio concepti naſcuntur. Sed iam quidem tales partus ſeptimo, & octauo menſe, natos contra priſcorum opiniones, vitales eſſe vbique recipitur: quarto autem menſe, & ſexto, letales in iis abortus. Sed quum coram L. Papyrio prætore mater partum xiij. menſibus diceret tuliſſe, quoniam videlicet nullum mulieribus certum tempus pariendi ſtatutum crederetur, Legem Papyrius tulit. Plin. li. vij. cap. v.

Paſſea vrina, eſt quæ maximè paſſo, hoc eſt, vino cocto, ſimilis appræhenditur: vel, quæ ſimilis ceraſi nigriori fructus colori eſt. Paſſea vrina, biliosum humorem aduri, exaſſarivè oſtendit: quæ ſi ſic perſeuerauerit, atquantum morbũ adeſſe monſtrat. Quære dict. Veneta vrina.

Paſſer ἡ ψῆττα piſcis, qui à Rhõbo ſolo corporis ſitu differt: & quòd Rhombus ſit Paſſeri amplior. Nam paſſer doctis quibuſdam Pleza noſtra eſt, aliis barbua putatur: quam Rhõbi fœminam aliqui culmarij vocant. Piſcis hic mollem carnem habet, & quæ ſtomacho confici facilè poteſt. hæc Scholiaſtes.

Paſſer ὁ στρουθός, vulgaris, & penè domeſtica auis, ad parietum domus foramina nidificat, paritq;. Huic auiculæ, vt ſcriptũ reliquit Pli. propter vehementẽ ſalacitatẽ, annũ vnum tãtùm viuere authores retulerũt. Eſt item Paſſer mõticola Solitarius nomine, Galeritæ magnitudine: cuius Actuarius Regaliũ ſermonum li. ij. ſic meminit: Eſt autem paſſer magnus terreſtris, non in arboribus, neq; in domibus habitat, verũ in ſummis virgultis deſidet, voce admodum garrula, colore & magnitudine alaudæ, & hyeme nuſquam apparet. Porrò, inquit Scholiaſtes, τῶν στρουθιῶν nomine, auiculas omnes in dumis verſantes Galenus ferè intelligit.

Paſtinaca marina, ἡ τρυγών, cartilagineus piſcis eſt, qui ab Agathenſibus incolis Glorioſa appellatur. Gerit hic piſcis in cauda, quo nihil peſtilentius mare generat. Carnem habet mollem, ac delectabilem, nec concoctu planè difficilem. Gillius in li. de Piſcibus Gallicis.

Paſtinaca σταφυλῖνος κηπαῖος, duûm generum offenditur vbique, & ſatiua vtraque, rubra ſcilicet, & ſubflaua in album tendens: Parhiſinis populis Eſcharrota vtraque eſt: Seguſiam, & Allobrogas incolentibus, Paſtenada vocari iandudum cœpit. Reperitur & agreſtis, quæ Daucus imaginatur: medicamentis ſuperiore longè vtilior in vrinæ à renibus purgatione.

Paſtillus ſeu trochiſcus τρόχισκος, eſt medicamentum planum in rotæ, aut circuli formã coactum: nonnunquam antidotis, ſuccis medicatis, ſacchare, melle, catapotiis, clyſmatibus, vnguentis, aliíſq; eius generis miſcentur. Paſtillorum, qui citra aliorum medicamentorum cõmiſtionem ſumuntur, põdus non excedat drach. vnam, vel ſeſquidrach. & ij ſanè quorum compoſitionem opium ingreditur, pondere ſcrupuli vnius, aut ſemiſdrach. Actuarius author eſt lib. v. Compoſit. medicament.

Pathos πάθος, eſt omnis alteratio circa materiam, aut motus qui adhuc fit: vel motus rei quæ afficitur. proinde pathos non habet ſuam eſſentiam niſi dum conuertitur, mutatur, alteratur, mouetur: ideoque ab affectu ſpeciatim ſumpto differt,

qui nihil aliud eſt,niſi alteratio in re quæ perpeſſa eſt permanens.

Pediculatio palpebræ φθειρίασις, eſt vbi palpebrarum pilos exigui pediculi, perinde atque in cæteris partibus obſcœnis,alíſque brachiorum infeſtant.hinc μαδαρώσις. καὶ μιλφῶσις pilorum palpebræ pediculorum partim vi defluuium:vocatúrque locus palpebrarum glabricies.

Pediculus foliorum,vel fructus μοσχὸς, καὶ μίσχος, hoc eſt, frondium, & fructuum perpendiculum:vt in foliis albæ populi arboris,& betulæ, appellatur : vulgò cauda folij,& cauda fructus.Eſt tamen pedunculus animalculum vice vermiculi, pigros infeſtans homines,vnde ptyriaſis morbus:de quo ſuprà dictum fuit.

Pecten veneris, radice candida, coliculis ſemipedem altis, foliis paſtinacæ, ſed tenuioribus, flore albo, exili, dependentibus ſummatim compluribus roſtellis in mucronem turbinatis,& pectinatim inter ſe diſiunctis.inter ſegetes copioſa naſcitur.Radix cum malua tuſa omnia corpori infixa extrahit.Ex Ruellio hæc Geſnerus.

Pectines οἱ κτένες, piſcatorum vulgus *Petoncles* vocat : ſunt ex genere teſtaceorum,quæ ſanguinem carent,noménque ex eo habent, quòd ſtriati, pectinatímq; rugis quibuſdam diuiſi ſunt. Huius generis quidam Conchas eas arbitrantur, quæ ex diuo Iacobo ad nos à peregrinis deferuntur. Eorum, vt omnium ferè concharum, ad ciendam aluum confert.Athenæus li.iij.Dipnoſophyſt.quæſt.

Pelamides αἱ πηλαμύδες,parui Thumni ſunt, neque eſſe tam dura carne,quàm maiores ait Galenus:& ſi ſale condiuntur,laudatiſsimis piſcibus non cedere:quemadmodum ab Athenæo ſcribitur Dipnoſophiſt.li.viij.

Pelecnus πελεκινὸς, ἡ δυσαρὸς, ſecuridaca,& hediſarum peritioribus:de generatione quadam lenti innaſcitur. aliquibus faba lupina, aliis herbum, rura granam, quòd cum tritico,& hordeo quibuſcum alitur,ſuo complexu grauis ſit, atque moleſta.hæc ex Ruell.Geſnerus.

Penis καυλὸς, coles, virilis virga,priapus,& mentula dicitur : cuius ſummum & extremum βαλανὸς balanus, ſeu glans eſt. huius cuticula qua tegitur,præputium eſt,Græcis ποσθὴ, ſpatium ſeu ſutura penem & anum intercedens περίναιον Græcis,Latinis vacat nomine.Duos habet inſignes meatus, alterum vrinarium, feminarium alterum:quibus cùm opus natura vtitur.Pudendorum,ac naturalium vlcera citra inflammationem oborta,medicamentis indigent,quæ vehementer reſiccant. Eſt curationis author Fuchſius de Med.morb.li.iij.cap.xlij.

Penis in ſerro σφάγνος, καὶ σφακὸς βρύον, muſcus è ramis eius,& cortice dependens odoratus,cubitali magnitudine.dicitur & pennis, vulgò vua dæmonum. Quid ſit,incertus non auſim affirmare.Atque hæc ex Ruel.Geſnerus.

Pentaphyllon,vel pentapetes πεντάφυλλον, hæc quinque-folium,quæ Tormentilla officinis creditur:quæ modò quinque folia,modò ſeptem ſæpe viſa eſt:vt & Eupatorium,quod etiam pentaphyllum Galeno lib.v.Compoſ.pharmac. dicitur. Tormentillæ radix venenis & peſti reſiſtere iandudum expertum eſt:vt ſi non ſit quæ ſcribitur Gal.hæc eius loco vſurpari poteſt.

Peplis πέπλις, herba maritima, quæ & peplion, & portulaca ſylueſtris dicitur: frutex eſt lactei ſucci plenus,foliis paruis,vt rutæ,paulò latioribus:rotunda coma,humi reſperſa,ſemine ſub foliis rotundo,minore quàm candidi papaueris.pluribus pollet auxiliis. naſcitur inter vites, & in hortis. colligitur meſsibus. Seplaſiariis hodie Eſula rotũda,ſiue coronata,quæ inter Tithimallos miſcetur.Eſt præterea peplis, quæ & Dioſ.peplus,id eſt,portulaca ſylueſtris.Hipp.verò peplιõ:maritimis maximè naſcitur,latè opaco frutice,candidi ſucci pleno: foliis ſatiuæ portulacæ, rotundis, infernè rubentibus:ſemine ſub foliis rotũdo,feruente guſtu:iiſdẽ facultatibus, quibus peplis pollet.Dioſc.li.iiij.cap.cxlix.& cl.

Pepo πέπον, eius generis vnum, ob dulcedinem, odoremvè gratum ſpirantem, ſaccharinum vocatum:alterum,ſatiuum ſimpliciter appellatum:vox quoque Pepo, eſt qua intelliguntur fructus Autumnales,dum maturuerunt: tamen propriè pepon, Columellæ Melopepo nuncupatur.St.Carolus requirendus eſt.

Perca

Perca ἡ πέρκη, alia marina, alia fluuiatilis: marinam loco inter ſexatiles repoſuit Galenus:& quæ,quam fluuiatilis,laudabilior eſu agnoſcitur.

Perdicium,& helxine περδίκιον, καὶ ἑλξίνη, parietaria, & muralis herba: ca nãque perdices ad purgationem oblectantur:vnde nomen ei quoque contractum. Quære dict. Helxine.

Pericarpum περικάρπος, bulbi genus eſt, cuius ſpecies duæ: cortice rubro alterum,alterum nigro,papaueri ſimile:ſed vis maior,quàm priori:vtrique autem excalfaciendi facultas eadem:ideò contra cicutam ex diluto quopiam bibuntur. ex Plinio Geſnerus.

Periclymenum περικλύμενον, Latinis vulgaribus Caprifolium: Largo Matris ſylua interpretatur:& ſi nomen hoc à nonnullis confuſum legitur. Simplex fruticat, ex interuallis parua folia habens, ipſum amplectentia , ſubcandida, hederacea. inter folia ſurculi exeũnt,in quibus baccæ,hederæ ſimiles:flos fabæ, candidus, quaſi in folium procumbens:ſemen durum, difficiléque eruitur. naſcitur in ſepibus peculiariter.Dioſco.li.iiij.cap.xij. Quære dict.Caprifolium.

Periſtereum περιστερεών, verbenaca,quæ duplex effertur,recta ſcilicet,& ſupina: naſcitur vtraque in triuiis,& aquoſis,dodrantis magnitudine, & interdum amplius adoleſcit.ſed quæ ſacra herba vocatur,ramulos emittit cubitales,aut maiores, anguloſos,in quibus ex interuallis folia quercus,ſed minora,anguſtioráque,colore aliquatenus cœſio,flores purpurei,graciles. Dioſ.li.iiij.cap.l.& lj.Quære dictionem Verbenaca,& Sacra herba.

Perſea περσέα, alia à perſico arbor eſt, aliquibus Rhodacena interpretata, ſed noſtro orbi incognita, AEgypto perfamiliaris.hãc tamen Io. Agricola noſtram perſi cum pomiferam eſſe contendit.Dioſ.li.j.cap.cxlvij.Quære dict.Malus perſica.

Perſonata,ſiue perſonatia ἀρκεῖον, ἀρκτίον, καὶ προσώπιον, Dioſc.Arcion : vulgò Lappa maior,& Bardana.folia habet cucurbitæ,maiora,& hirſutiora,nigriora,& craſsiora,caulem albicantem, quanquam interdum vidua:radice intus candida,foris nigra.Sed petaſites pediculos cubito maiores habet, craſsitudine pollicis , à quo prægrande folium,galeri modò amplum,ſeu fundus dependet. A Dioſ. ſpecies differentes li.iiij.cap.xciij.Quære dict. Arcion.

Petaſites πετασίτης Bardana grandior,ruſticis Glaterona: cuius foliorum pediculi crudi cum ſale Gallis, & Italis eduntur. extillata herbæ huius aqua ad ſecundas poſt partum,& alui torminibus, necnon colyca vexatis benefacere experimento eſt. ſubſtituitur quoque eius ſemen ad vnius drach.pondus cum vino albo potum.

Pes leporis λαγωποὺς, καὶ λαγώπυρος, hoc eſt, leporum herba:lanuginoſa floris panicula,leporis imitans pedem:quæ eſt trifolij ſpecie. in aruis ſegetum perfamiliaris: herba Trinitatis:atque tum Hippocrates eam Lagopyrum deſcripſit. Quære dict. Lagopus.

Pes miluinus Geſnero κορωνόπους, à Columella qualis ſit, quaſi vulgaris omnibus,non docetur.Ruell.herbam cornuceruinam olitoribus dictam ; hodiéque acetariis familiarem,ſuſpicatur.Geſnerus verò Cornuceruinam, Coronopodem, & rectè quantùm coniicio,interpretatus eſt.Quære dict. Coronopus.

Petilius flos,memoratur à Plinio tantùm,quod ad tempora noſtra fuerit incognitus: verùm quantùm coniicio, flos ille eſt in Gallicis hortis ſub nomine Gyrophleæ Arpinatum , omnibus valde cognitus: graui odore,& implacido: colore croceo veriùs,quàm citrino,vel flauo:ad coronas tantùm communis.Cæterùm odoranti mentem obtũdit,& ad vertiginẽ paulatim eius rei ignarũ inducit:epilepſiã quoq; mouet.

Peganon πήγανον,Ruta vtraque,mas ſcilicet & fœmina.Plinius li.xx.cap.xiij.Eſt item ruta ſatiua omnibus nota,quæ odore & guſtu,peſtilenti aëris inſpirationi medetur:præterea etiam agreſtis ruta,quæ eſt tetri admodum odoris. Dioſc.ſub hoc nomine Ruta,vtrãque ſub capit.duobus & diuerſis ſcripſit.li.iij.cap. xliij. & xliiij. Quære dict. Ruta.

Petroſelinum πετροσέλινον,in petris, & montium præruptis naſcens apium , non

hortenſe hoc nomine appellatum, cùm id ſimpliciter apium ſit. Petroſelinum hodie Oſtrucium, ſiue Imperatoria, in montibus, & ſaxoſis naſcens, ex hortenſis apij figura videtur: atque inter apij genera omnia amariſsimum, acerrimũque guſtatur. quòd Gal. de petro Macedonico, & Eſtreatico ſcribit, idẽ huic accidit. Eaſdem omnino vires vulgus noſtrum de eo pollicetur, quas de petroſelino veteres. Allobroges, vt Alpini, ad omne morborum genus, quaſi panacea, vtuntur: quæ morbis omnibus remedium pollicetur. Dioſc. li. iij. cap. lxij. Quære dict. Apium & Imperatoria.

Peucedanum πευκέδανον apud Dioſc. li. iij. cap. lxxxiij. conuenit aliquatenus vulgato fœniculo-porcino, dicto officinis: aliis Empetro, ſiue Saxifrago. Quære dictionem Empetrum.

Pericardium περικάρδιον, inuolucrum eſt quod circunquaq; tegendo cor ipſum ambit, & cauſa refrigerationis, humectationíſque aqua plenum: cuius radix non ex ipſo cordis corpore, ſed ex vaſis inde procedentibus oritur, quorum alterum eſt maxima arteriarum ſiniſtra parte poſitum: alterũ vna è iecinore ſurſum verſus per dextram regionem tendens, & pectori connexum eſt: qua maximè ipſius vertex, & quædam vtrinque verticis partes habentur, non autem cordi cohæret: verùm quædam parua regio intermedia eſt motui cordis accommoda, in quam aquea quædam humiditas colligitur: interim tam copioſa, vt cordis palpitationem, quam Græci παλμὸν vocant, excitet.

Pectus στερνὸν, in medio quidẽ coſtarũ adiacet, quòd coſtas veras excipit, nominatur medicis. Alij inferiorem pectoris partem ſic appellant, ſuperiorem verò στῆθος.

Pericranium περικράνιον, membranula neruoſa eſt, totam compræhendens caluariam. Quære dict. Caluaria.

Peritoneum περιτόναιον, membrana prætenuis, latis aranearum telis ſimillima apparet: poſt abdominis muſculos, qui octo numero, ſequitur.

Perineumonia περιπνευμωνία, inflammatio pulmonis eſt, quam quãdoque ſequitur ſanguinis aut excreatio, αἱμοπτοῆς, καὶ αἱμαπτύσις. Hæc plurimum ex valentibus in pulmonem deſtillationibus, aut angina, aut aſthmate, aut pleuritide, aliíſve morbis contrahitur. Aliquando etiam ipſa inflammatio paſsionis origo eſt. Fuch. de Med. morb. li. ij. cap. vj.

Perniones χείμετλα, vlcera ſunt quę hyberno tempore in manuum, pedúmque digitis, nec minùs in poſteriore calcaneo, hoc eſt, talo, oriuntur.

Perſicaria κραταιόγονον, καὶ πολύκριτον Hippocrati, καὶ πολύκαρπον, vt aliâs legitur, herba dicta eſt: & vulgò Curaygia. Quære dict. Crateogonum.

Pauo auis ambigui generis, ὁ ταὼς dicitur Græcis, ἀπὸ τῆς τῶν πτερῶν τάσεως, id eſt, ab epandendis alis. Galenus ſcribit huius auis carnem, quàm phaſianorum, & Attagenum duriorem, fibroſiorémque, & ad coquendum difficiliorem eſſe.

Peſtilens febris inter putridas numeratur, quæ ab inſpiratione aëris peſtilentis fit: & quòd ex putredine ortum habeat: circunſtãs enim aër à putreſcibili euaporatione vitiatur, humores corporis etiam putreſcere facit. Gal. li. j. cap. vj. de Different. febr.

Perdix ὁ πέρδιξ, καὶ κακκαβὴ, ab Athenæo auis hæc dicitur: cuius caro à Gal. inter ea, quæ ad coquẽdum ſunt facillima, refertur. Duplex habetur genus, vnũ roſtro, & pedibus rubris: plumis croceo, & cinericio colore intermiſtis veſtitũ, magnitudine, & nutrimento genus alterũ exuperans: verùm quòd eſt ei corpore inferius, carne multò delicacius edentibus perhibetur. Quantæ ſit ſalacitatis perdix grandior febre continua agitatis, qui eius carnem guſtarunt, aucto mox calore vehementi ſatis experiuntur ſuo cum magno malo. Super quare in quendam ſic alluſimus:

Perdicis quænam tecum cenſenda facultas
Contendo, cum plus paſſere, crede, ſalax.
Qualiter hinc luxu ſecum paſſerculus ardet:
Perdici pariter dum furit, ardet amor.
Nodum denodans, auis eſt febrientibus inquis
Congrua: quam rurſus continuiſque mones.

Ergo

Ergo erit ægrotis,cenſes quos febre vagari,
Perdicis proprius læſa per ora cibus.

Periodus περίοδος, eſt ex intenſione & remiſsione,in quacunque ægritudine tempus: nam in intermittentibus febribus medici periodum appellant ſpacium illud à principio vnius paroxyſmi ad initium alterius:vnde periodicæ febres ſumpſerunt nomen. Quære dict. Febris.

Teſſus ſeu peſſariũ πεσσος, eſt lana cõcerpta,& ad digiti formã rotunda,in qua medicamenta excipiuntur,ac genitalibus mulierũ partibus induntur. Fit peſſus ex cera, oleis, anſeris,aut anatis,gallinævè pingui,butyro inſulſo,reſina,medulla,& odoratis partim medicamentis calorem mouentibus,partim aſtringentibus,ac ſimul refrigerantibus:nõnullis etiam ſuperflua educẽtibus pro morbi varietate poſtulante. Fuch. Compoſ.medica.li.ij.cap.xxiiij.

Paroxyſmus παροξυσμος, febris exacerbatio eſt,nam febris cuiuſcunque concitationem medici omnes acceſſum vocant,hoc eſt,exaſperationem:quæ ſtatis temporibus fieri conſueuit.

Paroxyſmos materiæ longiores, ampliores,frigidiores,craſſæ,viſcoſæque operantur:pauciores verò ſubtiliores,& calidiores breuiores. Rarum quidem corpus quantum in ſeipſo breuiores operatur paroxyſmos,dentius verò longiores:robur quoque virium breuiores operatur paroxyſmos:imbecillitas autem prolixiores. Nam fortis virtus, & exquiſita paratiùs à ſe ipſa, quòd alienum expellit: corporis autem raritas non detinet quod fertur. Paroxyſmi itaque omnes quadrifariam diuiduntur, in principium ſcilicet, augmẽtum, ſtatum,& inclinationem: at vnus quandoque paroxyſmus comprehendit principium, augmentum ſtatum eius. Eſt ergo paroxyſmorum febris ſtatus, reſidentia paroxyſmi febris ſecundum diſpoſitionem vnam, vel alteram. Gal.ij.li.de Different.febr.cap.xj.

Phacea agreſtis φακὴ ἀγρία, id eſt,lens ſylueſtris,ſiue lentis paluſtris genus: maior ea,carens ſimiliter folio,non in aqua,ſed vliginoſis dilutíſque naſcens. Eſt quoque phacos ὁ ἐπι τῶν τελματῶν, lens paluſtris, vulgò lenticula aquatica nuncupata. Dioſc.lib.iiij. cap.lxxvj.

Phacos φακός, leguminis genus cõmune: frequenti cibo aciem oculorum obtundit. ægrè concoquitur. ſtomachum malè habet:eumque & inteſtina inflat,ſed aluum cum cortice cocta ſiſtit. alliorum ſpicis iniectis coquendo corrigitur. Dioſc. li.ij. cap. xcix. Quære dict. Lens,& Lenticula.

Phalangium φαλαγγιον, à phalangio ſerpente,& ſcorpio,quorum venenis ſubuenit,ſumpſit herba nomen:ramuli ſunt ei duo,aut tres, pluresvè in diuerſa tendentes: flos candidus, lilio ſimilis, multas inciſuras habens, ſemine nigro, lato, ad lenticulæ dimidiatæ figuram, multò tenuiore:radice parua,tenui, herbacei coloris, dum à terra eruitur. Dioſco.li.iij.cap.cj. Eſt item phalangium vermiculus in eruo legumine inuentus:atque aliud ſerpentis genus, de cuius morſus curatione, idem Dioſco. lib. vj. cap.xxxviij.& xxxix. Eſt phalangium nomine Ioſminum frutex.

Phalaris φαλαρίς, ſeges eſt cauliculos zeæ ſeu ſpeltę quæ emittit culmis ſimiles, minutis ac nullius vſus radicibus,multos,duûm palmorum,geniculis cinctos, graciliores tamen,ac dulces:ſemen candidum,oblongum,milij magnitudine. Dioſc.li.iij. cap.cxxxvj. Ruel. li.iij.cap.lxxi.

Pharicum φαρικόν, veneni genus ab Athenæo eſt,quod apud Dioſ.li. vj.cap.xix. ſapore ſylueſtre nardum imitatur. Reſolutionem neruorum potum affert,cum conuulſione, & delirio:ſed vinum abſinthites potum ſoluit.

Phaſioli φασιολοὶ, Galeno,& Aëtio δολιχοι, leguminis genus eſt: Eruilia,& Smilax Latinis. phaſioli inflant, ſpiritus cient,ægrè coquuntur,virides cibo aluum emolliunt,ad vomitiones idonei. Quære dict. Smilax.

Phatmia φάτμια, oſſa ſunt quibus dentes continentur: quæ ſubeunt foramina, Bothria appellata. Gal.de Oſsibus.

Phellandrium φέλλανδριον, heleoſelinum, hoc eſt, apium naſcens in locis palu-

ſtribus:cuius bibitur ſemen propter veſicæ, & renum calculos; & eorum quoque incommoda,vt Plinius ſcriptum reliquit.Neque pro Lauere, neque pro phylipendula herbariis vulgaribus vocata,ſed pro ſilere aquatico,id eſt,apio paluſtri,folio apij hortenſis æmulum,ex Ruell. Phellandrium ſuſpicandum eſt.

Phellos φελλος, ſuber eſt: à ſua nimirum leuitate Ligerium vulgò dictum. Plinius phellodryn ſuber eſſe, aut ab eo nihil differre, contra Theophraſti ſententiam, ſcripſit.Quære dict.Suber.

Phlomus,& phlomides φλομὸς, καὶ φλόμιδης, Dioſ.verbaſcum eſt li. iiij. cap.xc. quod & officinæ Tapſum barbatum appellant. Quære dict. Lychnitis Thryallis, & Verbaſcum.

Phylanthropos φυλάνθρωπος,aparine herba,mulierculis gratterona vocitata : ramis multis,& paruis fruticat,aſperis,quadrãgulis, per interualla orbiculato foliorũ ambitu,vt in Rubia.flos albus,ſemen durum,rotundum,concauum,album,vmbilici figura,aſperitate veſtitum tenaci. Quære dict. Aparine, poſt Dioſc.li.iij.cap.lxxxvj.

Phyladelphum φύλαδελφὸς, floris genus in Parthis tradit naſci Apollodorus, quoniam rami eius ex interuallo ſponte coëant,ſeu animantes,poſt digrediãtur,concipiant,& pariant.huius tenuiſsimis virgis reticulatim compoſitis, atque ita conſitis hortorum ſepta impenetrabili compage fieri. Atque hæc vniuerſa deſcriptio Ieſmino Gallico videtur cõgruere,vtrum tamen phyladelphum Ieſminum ſit, non auſim affirmare.Quære dict.Ieſminum.

Phylipendula, Dioſ.Oenanthe eſt:quã ſuo loco deſcriptam repoſuimus,requires.

Phleum φλεὸν,aliqui ex Theophraſto,& Plinio,ſtebem eſſe volũt: in folio & caule ſpinam fert,radice non in profundũ acta. Strabo in AEthiopia Arabiæ aduerſa naſci ſcribit:& in Orchomenio lacu copioſum id haberi,à quo nomen.Nam φλεὸν fœcundum & copioſum interpretatur.hæc ex Ruell.Geſnerus.

Phlum φλοῦμ, phleon non eſt, ſed cuius lanugine ad lixiuam mulieres vtuntur, molle,& placentarum figura,colore rubicundo non diſcrepans. Fœmina ſterilis eſt, ad nexus idonea: ſed mas inutilis: pueris tamen pars herbæ huius à radice cibo grata eſt:atque radix ipſa pecudum pabulo vellitur.Phlum,vnde veſtes phlonias,ex Herodoto,& Pauſania,Pollux nominauit.ex Ruell.Geſnerus.

Phœnix φοῖνιξ,palma arbor,à qua phœnicobalanus,φοίνικος βαλανος,δακτιλος, id eſt, palmæ arboris glans, & palmula, ſiue etiam dactilus, ſeu ficus regia appellata eſt. Verùm phœnicobalanus Dioſcoridis Tamar Indus Manardo videtur,contra Io. Agricolæ ſententiam. Palma Arabici Myrobalani ſimilis,colore viridi,& odore mali cotonei:quòd ſi ad maturitatem peruenire ſinatur,phœnicobalanus fiet:acerba eſt, & aſtringẽs.in AEgypto gignitur.Sed quæ Elate aut Spaltha appellatur,fructus palmarum adhuc florentium,inuolucrum eſt calyxque, quo in ſpiſſamenta vnguẽtarij vtuntur.Dioſc.lib.j.cap.cxxvj.

Phœnix φοῖνιξ, herba quæ hordeum murium vocatur : naſcitur frequentiſsima in triuiorum locis:folio hordeaceo tota herba ſpectatur, & ſpica minoris ſpeltæ non diſsimilis,aut lolij.Dioſco.lib.iiij.cap.xxxv.

Phormion φόρμιον, oruala, & tota bona olitoribus : cuius Gal.in Simpl. intelligentia ad oculorum albugines, benefacere & infixa tela corpori educenda, meminit. AEgyneta Horminij,& Phormij ſpeciatim facultates diſcriminat. Quære dictionem Orminum.

Phrenitis φρενιτὶς,cerebri aut mẽbranarum eius inflãmatio eſt,cuius tres præcipuæ oriũtur differẽtiæ:aut enim imaginatrix ſola facultas eſt ſeruata illæſa,aut ratio tantũ patitur ſalua imaginatione:aut media cerebri parte patiẽte,rationandi vi euerſa:aut ad ſummum imaginatio ſimul,& ratio læduntur.Quære Gal. li.ij.de Sympt. cauſis,& de Sympt. differ.item de Locis affect. lib. iiij. cap. j. Curationis integræ author Fuch.li.j.de Medend.morb.cap.xij.

Phrycodes φρύκοδις,febris eſt quæ admixtam habet frigori caliditatem & puſus eſt valdè debilis,vt pote ad tactum qui vix perueniat, aut non cadat ſub ſenſum, ſed eſt penè extinctus:venter tumefactus ſublatrat & inſtrepit:lingua humida valde,ari-

dum

dum quiddam,& amarulentum,veluti maris ſpuma lota,habet.

Phyma φυμά, ex Galeno glandium inflāmatio eſt quæ citò augetur, & ad ſuppurationem feſtinat. Aliquibus verò,communiter omnes præter naturam è quacunque particula corporis erumpentes tumidi abſceſſus,ſeu tumores,phymata, ſiue tubercula nuncupantur.

Phagedæna φάγαιδένα,vlcus eſt quod ſerpendo propinquas, adiacentéſque partes ſanas corporis excedit. Eſt item Phagedæna diſpoſitio,in qua cibi plurimum appetimus,immodicéque ſumimus,nec poteſt contineri, ſed deiicitur,atque denuò aſſumitur ex appetitu vehementi.

Phareas ſerpens, qui reliqua corporis eleuata parte, ſola ſerpit cauda : vt author eſt Lucanus,inquiens:

Et contentus iter cauda ſulcare Phareas. Quære Gal.in Theriaca ad Piſonem.

Phlegma,eſt non aquea ſeroſáq; humiditas, ſed ſicca,& retorrida, craſſáq; pituita: inareſcit enim ac craſſeſcit febriū longitudine,quales erraticæ, vagæque ſunt. Gal.ad Glauc.li.j.

Phaſianus,cuius caro quòd ad concoctionem & nutritionem attinet,gallinarum carni ſimilis,niſi delicatior eſſet,voluptatē quoque in ædēdo ſuperat. Huius tres ſunt ex ſpecie differētiæ:vna nãq; Bruyanorum,ſecunda Gentilium,ſed tertia Gallinaginum phaſianorum in ædendo delicatiſsimorum eſt. Quære dict. Gallinago.

Phlegmone φλεγμονή, inflãmatio eſt,quæ ſupra feruorē,& efferueſcentiā, tumorē rubentē,dolentē,durū,& tactui renitentē,ſignificat. Verū vox Phlegmone aliquādo cōmuniter ſumitur pro omnibus calidis, & doloroſis cū feruore tumoribus : qua in ſignificatione φλογῶσις accipi ſolet. Sic ſane Eriſypelata, herpetes, & carbunculi, phlegmones dicuntur. hoc in ſignificatu ab Hippocrate, & aliis veteribus medicinæ ſcriptoribus,vox vſurpata eſt. Quære Gal.lib.ij.ad Glauc.cū explanatione Acakiæ.

Phu φοῦ, Valeriana eſt,quam quidam in marem, & fœminam diuiſerūt. Dioſc. cæterorūq; Græcorum ſcripta valerianæ noſtratis plurimū exprimunt, niſi florum, qui moſcario puſilli habētur,magnitudo deſyderetur. Phu Ponticum aliquid habet, ſimile Nardo,& Petroſelino,ſeminibus quoque cęteris vrinam mouentibus. Gal.lib. viij.& ix. Compoſi.pharmacorum antidotis inſeritur. Dioſc.lib.j.cap.x.

Phrygius lapis,quo infectores in Phrygia vtūtur,vnde ei nomen:gignitur in Cappadocia. Optimus habetur pallidus,modicè grauis,non ſolida corporis compage,intercedentibus albis ſegmentis,vt in Cadmia. Vis crudo,vſtóque adſtrictoria, expurgans. Lauatur vt Cadmia. Dioſc.lib.v.cap.lxxxvij.

Phycos thalaſsion φυκὸς θάλασσιόν,id eſt,fucus marinus:cuius genus vnū latiore folio,praſsium à colore dictum:alterum longius, praſsium etiam appellatum: tertiū gramini ſimile eſt. Pelagicū autem folio criſpo lactucæ,in altis rupibus,& æditis,ſilicibúſque enatum : Feulum ruſticis, quaſi fucum appellatum : & Democrito pſeudo conchylion,hoc eſt,conchilij æmulum. Quære dict. Conchylion.

Phoca φοκή,vitulus marinus,ex genere Cetaceorum:ob id carnem hebet duram, excrementitiámque.

Phyllon herba φύλλον ποά,καὶ ἐλαιοφύλλον,vocatur:naſcitur in ſaxoſis:duū generū eſt,quod autē theligonū θελυγονὸν appellant, vuas habet floribus oleæ ſimiles, ſed pallidiores. Sed arrheogonum ἀῤῥενογόνον ſolo fructu diſtat:habet enim racemoſum quiddam deflorentibus oleis non diſsimile,horum Cratenas author eſt. Eſt præterea phillon Lybicum, & AEthyopicum, quod vtrunque Hippocrates Silphij ſemen appellat. Quære dict. Folium.

Phyllitis φύλλιτὶς,hemyonium,id eſt, Lingua ceruina cum cordo quandoq; viſa eſt:nūc verò hemyonium,ſiue hemyonitis Lingua cerui cum Ruell. Dioſcoridis deſcriptione,depræhenditur. Dioſc.li.iij.cap.cij. Quære dict. Hemyonium.

Picea πιτὺς Theophraſto arbor à pino paulùm degenerans,& figura,& altitudine:à qua pix reſina illachrimatur. Eſt & piceaſter πεύκη ἀγρία, id eſt, pini ſylueſtris altera, familiaris in Segucię Belliciorum iugis ob lachrimæ frequentiam & quæſtum: Quære dict. Abies.

Picra πικρὴ,id eſt,amara,vnde hiera picra, hoc eſt, excellenter amara: aduerſus humores qui altiùs in ventriculo impacti ſunt,atque adeo ægrè reuelluntur,auxiliũ affert:eos namque ſine moleſtia extrahit. Confert etiam iis qui ſuffuſorum imaginationes,aut ſymptomata ex ſtomachi affectu patiuntur. Preterea quibus adſtricta eſt, & mulieribus, quæ non probè purgantur. Compoſitionis author eſt Galenus Sanitatis tuendæ libro ſexto. Nos in hydropotem pſeudomedicum de picra hiera hæc obiecimus:

Inuida mens torques ſenſus,animumque valentem,
Ingenium nullis cedat imaginibus!
Si Celſum,Largumvè ſequor:pro teſte Galenum
Expono,Hippocratem laudis amore peto!
Hydropotes medicum reiicis minùs eſſe Galenum:
Hippocratem,Celſum,Scriboniumque pares.
Myncor Auicennas,ſic myncor Auerrois infers:
Vinoſus Meſues,Bachiloquuſque Razes.
Scilicet hos omnes dudum voluiſſe fateris,
Hauris aquam ſed in his,frugis at ipſe nihil.
Subuertenſque probi,tractas mendacia.formas
Authoris:methodo complaceáſque tuæ.
Euomis in picram,iecori,ſtomachoque nocere:
Subuerſis facit hæc ſola ſed ipſa,refers.
Omnia ſi nunc ſcis,nec ſcis quid picra vocetur:
Nec quibus in morbis tota petenda memor.
Subuertens picram,quotiéſque medeberis ægris,
Subuerſum toties ventriculum ipſe vomas.

Picris πικρὶς,cichorium amarum,ſyluestréq; eſt: quod aliquibus heliotropium appellari placet,ſed ab ipſo longè differt. Quære dict. Cichorium,& Heliotropium.

Pinus πεύκη, à picea, & abiete arbor diuerſa : eſtque notitiæ vulgaris : ſed pinus maritima παράλια πιτὺς Græcis vocatur.ab arbore autem pinu fructus pinea nux κωνὸς, ςρόβιλος, appellata eſt. Quære dict. Nux pinea.

Pica ἡ κίττα,auis cuiuis nota,humanas quæ effingit voces:Perſius poëta.

Picas quis docuit verba noſtra conari? magiſter artis, ingeniíque largitor venter,negatas ſequi voces. De huius auis carne ad ciborum vſum nemo fuerit appetẽs, neque ſollicitus:nam canibus rabidis dicata augurantur.

Pica κίττα, malũ eſt quod mulieres vitioſis refertas humoribus infeſtare conſueuit,grauidas præſertim:appetũt enim maximè per hoc acida,& acerba, nõnunquam acria etiam:interdum vel cymoliam terram,vel teſtas, vel extinctos carbones aceto maceratos,aut alios huiuſmodi cibos abſurdos. A varietate plumarum picæ auis,vel quòd hæc ipſa ſæpenumero hoc vitio laboret,morbus hic nomen accepit.

Picus martius δρυοκολάπτης ab Ariſtotele,id eſt, quercus percuſſor:nomen habet apud Latinos à Pico Saturni filio,vt ſcribit Plin.li.ix.cap.xviij.huius auis tres notantur ſpecies,quarum nulla cibis eſt idonea.

Picys πικὺς,ſeu cubitus,vel vlna,foſsile maius appellatur : quo etiã nomine pars hæc tota dicitur Brachium Celſo. nam cereis ſeu radius, foſsile minus eſt, & conſtat brachium oſsibus duobus, vlna videlicet,& radio componi:ſed cubiti,id eſt,vlnæ tuber ſeu caput,oſsis adiutorij annexum,oleocranum appellatur.

Piper πίπερι, dicernitur triplex ſub genere eodem,nigrum,album,& magnum: quod peruenit ad maturitatem,fit colore nigrum:quod nondum maturuit, ſed matureſcit,colorem album ſeruat poſtquam immaturum carptum eſt: longum autem, piperis fruticis, vt in corylo arbore, flos dependens, prius fructum, quàm concipiat, colligitur. Dioſc.li.ij.cap.clj.

Piper aquaticum ὑδροπίπερι: & piperapium ἡ ἄκορος Apuleio appellatur:quoniam apes ſuſpenſa aluearijs earum herba, examinibus non diffugiant. Quære dict. Hydropiper:& Acorus.

Piperitis

Piperitis πιπερίτις,ſiliquaſtrum,hoc eſt,coſtus hortenſis Ruell. ſuſpicatur: cuius ſcriptum neque probat,neque improbat Geſnerus:quanquam pſeudocoſtus ſiliquaſtrum eſſe non veriſimile eſt. Siliquaſtrum enim piper pedemontanum eſt, vbique frequens. Quære dict. Siliquaſtrum.

Pilorum palpebræ inuerſio τρίχιασις,eſt vbi pili inutiles,& oculos pungentes,in palpebris naſcuntur: quemadmodum διτριχίασις eſt cum ſub naturali ordine pilorũ,palpebræ,alius ordo ſucceſsit. Neq; ab his lõgè quidẽ φάλλαγγωσις,paſsio,in qua pilorũ ſubnaſcẽtiũ duplex,tripléxq; acies,vel in ſuperiore, vel in inferiore palpebra prouenit. Hoc fit,cum cilium introſpectat,pilorum aciæ ſimul cum eo inuerſa.

Piſſaſphalthon pleriſque medicinæ authoribus Mumia eſt interpretatum: neque etiam ignorandũ Serapionis Arabis Mumiam Piſſaſphalthon Dioſcoridis eſſe,ſi authoris verba vires,& locus in quo reperiatur inter ſe conferantur,cùm picis,& aſphalthi vires repræſentet. Quære dict. Aſphalthon. Dioſc.li.j.cap.lxxxiiij.

Piſtacia πιςάκια,officinarũ vulgus fiſticos vocat. Eſt piſtacium fructus ſtrobylo proximus,qui ex Syria copioſè affertur. Nicander vocat pſitacia, quæ nuci Græcæ, hoc eſt,amygdalo noſtrati figura quadantenus reſpondent. Dioſc.lib.j.cap.cxlj.

Piſtolochia πιςολόχια,Ariſtolochiæ ſpecies quarta,quæ clematitis exiſtimatur: tenuior cæteris,denſis radicis capillamentis,iunci plenioris craſsitudine. hanc quidã polyrrhiſiũ cognominãt. odor omnium medicatus. hæc ex Theophraſto Ruell. li.iij. capit.iiij.

Piſum λεκιθός,ad leguminũ genus omne variũ nomẽ hoc vſurpatur, ſed ad albũ potius,quã ad cętera cõuertitur:hoc quod habetur cãdidũ,alimẽti craſsi,terreſtríſque eſt,ad ſanguinẽ craſſum generandũ offenditur: flatus gignit, & ſtomacho põdus intollerandũ. immaturũ vtilius coctum,quàm quod maturum metitur,& eſtur.

Pinguedo πιμελή,ab adipe ſeu ſeuo,quod ςέαρ nominatur,differt,quia craſsior adeps eſt:ac propterea animantibus totam naturam terroſiorem habentibus ſeuum prouenit,velut humidioribus pinguedo. Sunt qui omnem oleoſam,& pinguem in animantibus ſubſtantiam adipem appellẽt:ſed & pinguedinem totum genus hoc nominare licet. Quære dict. Adeps.

Pitys πιτύς,picea arbor,& pini ſpecies:vnde pityides,id eſt,ſtrobili,pinearum nuclei interni:de qua re vide plura in dict. Picea & ſtrobili.

Pityuſa πιτυοῦσα,vulgò Eſula,cuius radix Actuario Turpetum ſimpliciter eſt: & ad vſum eundem hodie vulgares Seplaſiarij colligunt,turpetíque vice medicamẽtis ſupponunt. Quære dict. Eſula,& Turpetum.

Pix denſa vel arida πισσά ξηρά παλιμπίσσα,vulgus pharmacopolarum picem Græcam eſſe contendit:ex Ant. Muſa Colophonia, & Hiſpana eſt. Cornarius tamen reſinam frictam φρικτὶν Græcis dictam abſolutè,Colophoniam eſſe atteſtatur. Præterea pix liquida ὑγρά πισσά,pix naualis officinis eſt,quæ à ζόπισσα differt, id eſt, reſina è marinis nauibus cum cera deraſa.

Plegma φλεγμά,humor frigidus,ac humidus,colore albus,concoctionẽ in ſanguinẽ mutatus:atq; hac ratione cùm ſit veluti ex dimidio coctum nutrimentum, nullũ quod eam expurget proprium organum machinata eſt natura. At pituitæ ſedes in fundo ventriculi,& membrorum iuncturis eſſe ſcribit Gal. in li. de Humor.

Pituita in ventriculo generata,fertur cum his quæ ex cibi,potúſq; humoribus in iecur diſtribuuntur,cõcocta iam,ſanguis euadit:quod autem pituitæ in venas fertur, animali etiã ex vſu eſt. Deſiderat igitur non vtique euacuari, ſed in corpore manens alterari: quòd verò in inteſtinis relinquitur, à bile ex iecinore in ea defluente abſterſum, commodiſsimè, ac celerrimè per ſedem eiicitur. Gal. li.v. de Vſu part.

Pituita efficit ſegnes,ſomnolentos,carnoſos, cito caneſcentes, eius quoquẽ vſus, vt articulorum motionem adiuuet,dominetúrque ab hora noctis tertia,vſque ad horam noctis nonam.

Pituitæ nõ naturalis quatuor ſunt ſpecies,vna ſiquidẽ eius ſpecies valdè frigida eſt,adeo vt ſi calido loco obſtruitur,dolores maximos excitet: Galeno authore li. ij.

de Differentia febrium,cap.v.hic humor etiam vitreus appellatus eſt eodem Gal.li. ij.Locor.affect.cap.j.

Pituitæ ſpecies altera eſt,quæ acida expuentibus videtur,minùs,quàm vitrea,magis verò,quàm dulcis,frigida.

Pituitæ ſpecies tertia,eſt quæ cum ſcreatu expuitur:ſenſilem obtinens dulcedinẽ, ideóque dulcis nominata:ſed non tamen exquiſitè frigida eſt. Species quarta, eſt ſalſa,videlicet aut ob putredinem,aut ob ſalſæ ſeroſæ humiditatis mixtionem.

Pituitæ etiam euacuatio,per medicamẽta quæ in ore retinentur, & commanducantur,perficitur. Grę̨cis ἀποφλεγματισμοὶ vocãtur,hoc eſt,à pituita quam ex capite trahunt. Sternutamenta quoque ſub iis compræhenduntur,& cientia medicamenta,quæ per nares ipſas cerebrum euacuant.

Plantago ἀρνογλῶσσον,latifolia,& nerualis Apulleio appellata.eſt & minor plãtago folio anguſto,ſed longiore,ad vſum quo ſuperior quæſita:& præter hæc duo genera,tertium eſt,folio rotundiore ſeſsili,hirſuto,in vſu medicorum frequentiſsimũ. Dioſc.lib.j.cap.cxix. Gal.Simpl.lib.vj.& Compoſit. pharmaco. iij. Occurrit denique Plantago aquatica,de qua in dict. Aliſma,& Arnogloſſum.

Platanus πλάτανος,à foliorum latitudine arbor eſt appellata:ſimilitudine, & figura foliis vitium ſimillima:cui congener in montium Seguſiæ iugis reperitur, fructuque caſtaneæ paruæ ſimillimo,nec ingrato ſuibus impinguandis colligitur. nam & apri fructu illo oblectantur veſcentes. Dioſcorides fructũ platani pilulas appellat libro j.cap.xcj.

Plenes πληνὲς,è mari palma palmulæ,id eſt,dactili,ſicut balani è fœmina, proueniunt,vt ex Polluce author Geſnerus eſt:vulgus ſylueſtres dactas exiſtimat. Quære dict. Dactilus,& Palma.

Plenitudo,eſt quanto grauior videtur ſibi homo,tantò etiam plenitudinem quæ ad vires dicitur,creuiſſe conſtat. Si verò actus fuerit tentionis ſenſus, adauctam eſſe & alterã plenitudinem,quæ ad vaſa nuncupatur,putandũ erit. Plenitudinis qualitas, eſt quæ ex coloribus partim, partim ex iis, quæ humorum naturæ coniuncta ſunt, agnoſcitur.

Pleuritis πλευρῖτις,eſt membranæ intrinſecus coſtas ſuccingentis inflammatio: quæ morbus lateralis dici poteſt. Fit ex ſanguine copioſo calido, vt aliæ inflãmationes ad membranas prædictas præter naturã confluente. Amethodici duplicem falsò conſtituũt:veram,quæ ſupra diaphragma ad coſtas veras:falſam,quæ infra diaphragma ad coſtas falſas ex inflammatione,generantur. Curationis eſt author Fuch. de Medend.morbis lib,ij.cap.v.

Pleuritica febris,eſt quæ ex membranæ ſuccingentis coſtas inflãmatione oritur: eſt igitur vena interna cubiti ſecãda:ac ſine cunctatione ſanguis ſecundum vires detrahendus,auferendúſq;,donec pro puro liuidus effluxerit. Hipp.li.ij. Acutorum.

Pogoniæ πωγωνιαῖ,caſtaneæ barbatulæ dicuntur,quaſi pubertatem oſtentantes, niſi quis lanatas intelligat. Sunt etiam multæ pilis hirſutæ,quibus oſtentatur Accuſia Allobrogum inferior.

Polemonia ſeu polemonium πολεμώνιον,herba eſt quam Myropolæ Beḿ album vocant:eius radix candida,oblonga,tenuis,teréſque,flos albus foliculo vaſculi modo incluſus:folia polygoni multò maiora Ruell.ſaluiam erraticam exiſtimat:aliqui herbam Tunici:alij Rutam agreſtem:nonnulli autem alij Rutam caprariam denominant,vt I. Agricola ſcriptum reliquit. Dioſc.li.iiij.cap.vij.

Plumbum metallorum viliſsimum,ſed ad medicamenta valde vtile:facultate ſua frigidum & humidum,ob id liquor frigidus quiuis in mortario plumbeo ductus dũ craſſeſcat,ſe ipſo frigidior euadit. Lamina plumbi in lumbis ſtrata veneris inſomnia ſedat.hæc Syluius. Plumbum frigidum ſiccum, quia terreum facultate ſua ſcribit Geberus. Plumbi medicamina docet Dioſc.lib.v.cap. xlvij. Nã Plumbago Molybdena eſt:de qua loco ſcriptum inuenies.

Polium πόλιον,herba idem officinis ſeruans nomẽ:cuius ad multa remedia venenato

nenatorum vſus probatur frequentiſsimus. Largus Tiniariam appellari opinatus eſt. Conſtàt montanum polium in vſu eſſe potiſsimum, in cuius ſummo capitellum habet, cano hominis capillo ſimile: quod cum Tripolio confundit Plinius. Polij duo genera facit Dioſ. li. iij. cap. cv.

Pondo, vbi ſolùm citra alterius ponderis nomen poſitum fuerit, verbi cauſa, denarij libræ, ſemunciæ, vnciȩ, &c. libram notari: pondo duo, libras duas: trepondo, libras tres: verùm ſi alteri iungatur, pondus ipſum ſignat: vt pōdo ſelibram, quaſi dicas pōdus ſelibræ: ſic quoque pondo denarij.

Polenta ἄλφιτον, ex hordeo madefacto, deinde ſiccato, & toſto, fit. Præparatur autem hoc modo: Perfuſum aqua hordeum ſiccant nocte vna, poſtero die frigunt, deinde molis frangunt, ſeruántque in multos dies. Ruell. lib. ij. cap. xvj.

Pollutio nocturna, quȩ inſomnij eſt, ὀνειρωγμός, id eſt, libidinis in ſomno imaginatio, ac ſeminis per ſomnia profuſio. Eſt denique inuoluntaria ſeminis quoque profuſio, quæ Græcis γονόρροια eſt: id eſt, ſeminis excretio præter voluntatem, citra pudendi tentiginem. Fuch. de Med. morb. lib. iij. cap. xlij.

Polycnæmon πολύκναιμον, herba Origano ſimilis, ſurculoſa, folio origani: caule, vt pulegij, geniculis multis intercepto, ſine vmbella, tenui tamē in cacumine corymbo, boni odoris, & acris, ad vrinæ ſtillicidia ruptáq;, cū vino bibitur. Dioſ. li. iij. cap. xc.

Polygala πολύγαλα, ſic nominata herba, quòd lactis vbertatē polliceatur: ea ſuſpicatur, quæ herbariis vulgaribus Cruciata, florem candidū fœmina, & florē luteum mas, odoris ſuaui repræſentans, vocatur. Dioſ. li. iiij. cap. cxxv. Quære dict. Galion.

Polypodium, ſiue filicula πολυπόδιον, palmi altitudine, filici ſimilis, ſubhirſuta, non tenui perinde diuiſura, naſcitur. Radix piloſa, in qua continetur cirri, ſeu polyporum, craſsitudine digiti minimi, coloris intus herbacei, guſtu ſubdulcis, purgandi atrabilioſi ſanguinis vim per paucā habet. Dioſ. li. iiij. cap. clxvj. Gal. Simpl. li. viij.

Polycriton πολύκριτον, καὶ πολύκαρπον Hippocrati, eſt quod Dioſcoridi fidelius κρατηογόνον: apud Latinos adhuc nomen hoc retinuit. Theophraſto Cratægon. Quære dict. Cratæogonon

Polypus πολύπους, tumor eſt præter naturā natus in naribus, polypodis carni juxta ſubſtātiæ proprietatē aſsimilis: cui affinis σαρκῶμα, hoc eſt, carnis præter naturā in naribus incremētū. atq; affinis quoq; huic μύξα, ſiue humor ex naribus fluēs: qui mucus & pituita impropriè nariū dicitur. Gal. lib. Secundū locos κατὰ τόπους, iij.

Polypus πολύπος, piſcis, qui à pedū multitudine nomē inuenit: ex molliū genere eſt, pedibus octonis conſtans, per quos acetabula quædam diſperſa habet: quibus quod appræhenderet, ita retinet vt auelli nequeat. Cæterùm etſi ex mollibus eſt piſcibus, tamen vt ſcribit Galenus, duram carnem habet, & concoctu difficilē. Ariſtoteles de Hiſtoria animalium lib. iiij. Athenæus Dipnoſophiſt. li. viij.

Polygonatum mas πολυγόνατον ἄρρεν, geniculata radice herba, herbariis vulgaribus Sigillum Salomonis, appellatum. Eſt quoque polygonatum fœmina, officinis Lilium conuallium: vulgò Muſquetum maius nomen retinens.

Polygonum mas πολύγονον ἄρρεν, vulgò Cētinodia, Lingua paſſerina, & ſanguinaria herba, quòd ſanguinē fluentē coërceat: & corrigiola, ꝙ repat humi, appellata: Apuleio autē Proſerpinaca. cuius vires in li. de re herbaria deſcribit innumeras. Eſt & Polygonū fœmina πολύγονον θῆλυ, Equiſetum Latinis nominata herba, ſiue cauda equina. Rura Caballinā, & Preſſam dicūt. Hæc ab radice numeroſos gignit ramuſculos tenues, aſperos, geniculatos, coloris herbacei: ſed radix nigra eſt. Verū polygonū fœmina fruticat vno caule, arūdini teneri ſimili, dēſis geniculis, & in ſe tubarū modo farctis. articulos in orbem cingunt apices, foliolis piceæ ſimiles. naſcitur in riguis, vt equiſetum: eiuſq; viribus pollet, paulò tamen mitioribus Dioſc. li. iiij. cap. iiij.

Polygonum agreſte, πολύγονον ἄγριον, genus tertium adiecit Plinius, quod ſcribit pene ſimile arboris frutice eſſe, radice lignoſa, ſtirpe cedri rubicunda, ramis ſparti, binum palmorum, nigris, geniculorum ternis quaterniſuè articulis: cuius ſapor mali cotonei eſt. Hæc planta non inter herbas, ſed frutices adſcribenda eſt: quòd arbuſcu-

lorum

lorum minatur altitudinem,ſti pite & ramis ſparti,id eſt,alterius geniſtæ,atro virore infectis,ternis rutæ foliis ex interuallo fuſis,ſapore indomito,radice lignoſa. Ex ramulis dependent ſiliquulæ ternæ & quaternæ ſimul compactæ, ab eodem germine, teretes:in quibus ſinapis ſemen haud abſimile. Vulgus geniſtulam, & trifolium lignoſum vocat.

Polypremnum πολύπρεμνος,herba Theophraſto cuius ſuccus caudicibus arborum illitus,arbores à noxa defendere traditur,& copioſiorem edere fructum. An ea Sedum maius ſit,dubitat Ruell.cuius ſuccus eodem remedio aduerſus beſtiolas vſus eſt Democritus.

Polytrichon πολύτριχον, Adiantum album eſt,quod officinis Capillus veneris: ſicut trichomanes Adiantũ nigrũ effigiatur,altera capilli veneris ſpecies. De quibus capita ſpeciatim fecit Dioſ.lib.iiij.cap.cxx.& cap.cxxj. Quære dict. Adiantum.

Poli,qui & cardines,& vertices dicuntur,ſunt puncta axem terminantia. Omnis enim linea duobus finitur punctis:poli itaque duo ſunt,Arcticus,& Antarcticus:alter Borealis,& Aquilonius,ac Septentrionalis:hic qui opponitur alteri, Antarcticus, & Noticus,ſiue meridionalis,à nobis nunquam videtur,ſed ab Antipodibus: quos eſſe certum eſt.Poli vtriuſque ſic deſcripſit Ouidius: vtrámque videlicet vrſam intelligens:

Magna,minórque feræ:quarum tenet altera Graias:
Altera Sydonias,vtraque ſicca,rates.

Pomum ὀπώρον,duntaxat fructus grandiuſculus,eo nimirum quo veſcimur,dictus:vt ceraſum,prunum,pyrum,meſpilum,appellatione poni veniunt:ab hoc quoq; quòd indigent potu,poma dici putat poſſe ex Varrone Geſnerus. Sunt præterea poma Serica,ſiue Syrica Columellæ,& Galeni zizipha:prouinciales Guyndolas vocãt. Officinæ Iniubas.

Pompholyx πομφόλυξ Græcorũ,eſt quod iſto ſeculo à Myropolis Nil appellatur:ſpecie ſola,non genere à Spodio,diſtat: Siquidem ſpodium nigricat, & plerumq; ponderoſius eſt,palearum pilorúmque plenum:Pompholix verò pinguis eſt, & candida,vſque adeò leuis,vt in auras euolare poſsit:Cuius duo fluxerunt genera, vnum ad aëris colorem vergens,ſubpingue: alterum magnopere candidum, ſummámque lenitatem nactum. Dioſc.lib.v.cap.xij.

Populus alba λεύκη,altera nigra αἴγειρος. Albæ populi primus in folia germinis partus in vnguentũ cũ oleo,pingui & hyoſciami ſucco,adito pingui,cogitur ad pleraque valde vtile:nigræ verò folia cũ aceto illita vtilitate doloribus podagricis illinuntur. Reſinam fundit coniectore Dioſcoride, quæ in malagmata additur. Semen potũ,quod neutiquam mihi viſum eſt, ex aceto comitialibus vtile eſt. Quære plura in dict. Electrũ. Dioſcorides lib.j.cap.xciij.

Porrigo πιτυρίασις,eſt tenuiũ,ac furfuracearum ſquamularum ex capitis ſuperficie,citra vlcerationem,reſolutio. Barbaris Methodicis Furfur appellatur. hoc malum à pituita ſalſa mixta vitellina gignitur cholera.

Porrum capitatum πράσον κεφαλωτὸν,& ſectiuũ,quod eſt aricinum, vti deniq; Tarentinum dictum κατὰ ἐνίους γηθυλλὶς porrũ namque agreſte,ſiue vineale ἀμπελόπρασον eſt:ſtomacho magis aduerſatur,quàm ſatiuum, & plus excalfacit. vrinam,& menſes vehementius ciet:& contra ſerpentum morſus eſſe conuenit. Dioſc. lib.ij.cap.cxliij. Quære dict. Ampelopraſum.

Portulaca ἀνδράχνη,Serenus pulli pedem vocat:ſed portulacas ſylueſtres tres vocari authores ſcribunt:vna,quæ ayzoi ſpecies,quibuſdam telephyon, id eſt, faba inuerſa:altera ſcrophularia:tertia peplion. Quære dict. Peplis.

Poſca φοῦσκα,potio eſt quæ fit ex aqua & aceto Græcis ὀξύκρατον denominata & refrigerationis vires ſortitur. Sed vt Aëtius author eſt,ſi ſimplici ratione conſtruatur,refrigerat,& humectat:condita tamen & calorẽ ſibi,& ſiccitatem adſciſcit. Conſulúntque medici Græci poſteriores ea potione abſtinendum,quòd facilè putrilaginem concipiat qui ex eo contrahitur humor: item propter noxam quam neruis infert.

fert.Ruell.lib.j.capit.centeſimoquadrageſimoquarto.

Potamogetum ποταμόγητον,folium betæ ſimile habet, hirſutum, paululum ſupereminens extra aquam:ea creditur eſſe herba,quæ in vadis fluminum frequēs emicat,betæ foliis,ſed minoribus,ſuper aquam expanſis.Caſtor radice ſanabat ſtrumas, & duritias:quæ eius deſcriptione videtur Equiſetum,non Dioſc. potamogetum lib. iiij.cap.lxxxvj.Ruel.lib.iij.cap.cxxj.

Poterium ποτήριον,καὶ νεῦρας,ſpinoſus frutex,lanugine ſpiſſus,ramulis longis, mollibus,lentis,tenuibus:foliis paruis,rotundis:flore exiguo,candidi coloris:ſemine nullius vſus,ſed guſtu acuto,& odorato.Naſcitur in aquoſis,& collibus.Galenus ſub hoc nomine Neuras Poterium intellexit: vtrumque tamen diſtinxit AEgyneta. Dioſ.lib.iij.cap.xv.Ruell.lib.iij.cap.xv.

Præcordia ὑποχόνδρια,humida & frigida,tum venæ pulſatiles,ac nerui frigidi, ſimul cum carne quadam ſpongioſa. At præcordiorum ſanguis in mulierculis trāſit quodammodò in lac,ſic dictum,ſucculentum.Quære dict.Hypochondria.

Primula veris,officinis herba paralyſis:in eduliis,& acetariis non inutilis,neq; ad medicinam inſalubris.Quære dict.Phlomitis,quoniam hæc ipſa eſt.

Pothos ποθός,flos duûm generum,alterum hyacinthi flore:alterum ſine colore candidum,quo ſepulchra mortuorum olim coronabantur:quaſi deſyderatis eſſe dicatum,& à quo nomen.Floret æſtate vtrunque,diuturnius tamen candidum. hæc ex Theophraſto,& Plinio,Geſnerus. Ruell. lib.ij.cap.cxlv.

Principium,eſt quod cum nō ſit ex aliis,neque ex alterutris,ex ſeipſo alia omnia fiunt,hoc eſt,res naturales omnes.Res autem naturalis,eſt quæ cōſtat ex naturis: ſed rerum naturalium genera, ſunt elementa, animalia, vegetabilia, mineralia, mixta, imperfecta.

Principium in morbis trifariā ſumitur,primùm propriè,primus exquiſitè inſultus,ſeu prima morbi inuaſio: quæ ſimplex eſt, & omni latitudine caret, appellatur. Secundò,principiū,eſt quod latitudinē obtinet,& ad tertiū vſq; diē extenditur. Tertiò,principium,eſt quod maximè à medicis intelligitur,totius morbi pars, quæ coctionis ſignis definitur:tunc enim primùm finitur morbi principium, cum coctionis ſigna manifeſta apparuerint.Quære dict.Augmentum.

Priapiſmus σατυρίασις,καὶ σατυριασμός,eſt pudendorum palpitatio, phlegmoſum quendam ſeminalium vaſorū affectū ſequens,arrigeente & intēdente ſe interim hominis genitali.Nomen huic malo fecit prona in venerē Satyrorum Iuuentus.

Praſion πράσιον,Marrhubium album,ſiue odoratum eſt:frutex ab radice ramoſus,candicās,ſubhirſutus,ramis quadrangularibus.folium pollicem æquat, ſubrotūdum,hiſpidum,rugoſum,guſtu amaro.ſemen in caulibus,& interuallis. flores verticillato ambitu,aſperi.naſcitur propter rudera,ruinas,& ædificia. Ex eo ſerapium ad ſtomacho malè habentes,& pleuriticos factitatur.Dioſc.lib.iij.cap.xcix. Quære dict. Marrhubium.

Prodromon vinum,& protropon ὁ οἶνος πρότροπος, ἢ πρόδρομος: è trānſmarinis in Leſbo naſci dulce ſcribit Athenæus.Galeno Leſbiū vinum, vt pote generoſum ſemper laudatū,quod crediderim vectitium vinum è creta,hodie Candia,ad nos trāſlatum,nomine Maluaticum omnibus appellatum:non quale Maluenſe quod ad Rhodani tumulos Allobrogum,& Arecomicorum vicinia,naſcitur,& bibitur: haud maiore quidem cęteris deliciarum vel palato,vel ſpectaculo.Vini genera quæ ſint docet Dioſco.lib.v.cap.v.cum cæteris ſubſequentibus cap.

Porpago,vetula vitis eſt,quæ per inflexos arcus ſuppreſſa obruitur,vt ex vua plures emergātur,id eſt,palmitū altera plantatio:ſiue ex vetere vite in nouam reductio.

Propolis Largo,cera ſacra eſt:nonnullis quoque prima iuuenum apum fœtura: aliquibus tamen aluearis ſuperficies,hoc eſt,ab ipſius oſtiolo manās ſuperfluus liquor: ruſticis cera virginea appellata.Dioſc.lib.ij.cap.lxxvij.

Prunus arbor,ἡ κοκκυμηλέα,καὶ κοκκυμήλεον fructus: damaſcena item prunus, & ſylueſtris:cuius fructus auſterus,& adſtringens experitur.Satiuæ autem fructus ſtomachum malè habet.Dioſc.lib.j.cap.cxxxvij.

Pruna

Pruna hordeacea priſcorum, Cerea eſſe ſuſpicantur medicinæ peritioribus: atque genus occurrit aliud, minus cæteris, quod Myxon Græcis, & Myxarium: Myropolis noſtratibus Sebeſtem appellatur. Quære dict. Mixa Prunellus, Virgilio Spinum dictum, eſt prunorum ſylueſtrium frutex, ſiue arbuſcula, vnde ſeplaſiarij ſuã deſumunt Acaciam: de qua loco ſuo dictum ſatis. De pruno meliore cultura fructum mitiorem ferente: hęc luſimus:

Horrida Prunus eram vili neglecta colono,
Cuius damnabat me quoque poſteritas.
Errabunda malas inter remorata ruinas
Degebam, vepres inter & ipſa graues.
Hiſpida tum fio, valuit quia pauperis horti
Improba vis, fuerim cortice plena rugis.
Carpebant paſſim capreæ mea membra ſecaces:
Carpebant humilem me comitéſque feræ.
Infecitque meos depaſto germine partus
Formica: eſt peſtis ſed Scolopendra mihi.
At bene ſucceſſit domini properata mei mors:
Solerti alterius digna labore frui.
Corporis hinc noſtri partes diduxit inultas:
Neglectam me-me noluit eſſe diu.
Siue erumpentes circum radice nepotes
Perſtrinxit, lubrica falce deinde ſecat.
Atque loco tranſſert viſa telluris, & aura:
Siue ſerit facili me comitante manu.
Quæ quondam fueram ſenio prærepta fugaci:
Nunc iterum domino naſcor adulta meo.
Et pario celeres mira dulcedine fructus
Guſtanti, cuius ſtrinxerat vlla manus.
Deiectos ſtomacho reuocant, primúmque palatum
Reſtituunt, variis complaceántque modis.

Podagra ſeu arthritis ἀρθρῖτις, mala eiuſdem ſunt ſpeciei. differunt itaque nõ toto genere: ſed locis patientibus: in vtroque enim, articulorum eſt imbecillitas, & humor à natura alienus ad hos ipſos cõfluens. Quapropter ſi in pedibus conſtiterit hæc fluxio, podagra appellatur: ſi verò reliquos artus occuparit, Arthritis, id eſt, morbus articularis nominatur. Generant autem hoc malum cruditates, ſuperfluus rei venereæ vſus, vini nimia potio: & his ſimilia. Fuch. lib. de Medend. morb. iij. cap. liiij. Hoc quoque de podagra medicamentum emplaſticum, ad Huguetum Solerium, virum iudicio, & experientia candidum, poſt aliquot vnà haud inſuetas confabulationes, direxi:

Exus longæui farctum pinguedine corpus
Anſeris, à pluma ſepoſitúmque ſua.
Inteſtina dein neglecta è ventre reuellis
Impiger, has partes colluis inde fece.
Pulmonis viſcus, iecoris viſciúſque cruentum,
Et caput, & latos protinus abde pedes.
Infarcis vacuum vulpis de corpore ventrem
Anſeris: hoc primùm eſt conficientis opus.
Sit caro fruſtatim inſciſſa, in partéſque minutas:
Et cute diuulſa quæque terenda, teris.
Hinc maris adde ſalem, tanto cum pondere mellis,
Metitus fracta poſt poſitáque faba.
Pondere ſint æquo ſagapenon, bdellion, opo,
Terbynthi lachrima & pondere iuncta comes.
Pingue recens miſces Arabo cum thure ſuillum:

Verue

Veruecis in pingui propolidémque liquas.
Et quos pinguis habet tellus putredine vermes:
Et quod Caſtorium pharmacopola vocat.
Fermentum tritici,farriſque ſiliginis æquè
Admiſces:gummi conglomeráſque pila.
Conglomeras maſſam vulpis cum carne doloſæ:
Anſer erit pleno denique ventre ſatur.
Componis flammis redolentia ligna,focúmque
Et tereti figis dum decet iſta veru.
Quod quoque deſtillat ſtagnato vaſe recundis:
Vngis & affectos molliter articulos.
Et quoſcunque vides detentos ſæpe podagra:
Et quoſcunque vides deperiiſſe gelu.

Pſydracia ψυδράκια,ſunt exiles eminentiæ, & excreſcentiæ puſtulæ ſimiles, in ſumma capitis cutis ſuperficie erumpentes.Sic etiam ἐξανθήματα, capitis cutis ſunt vlcerationes ſubrubicundæ,& aſperæ.Manard.lib.vij.Epiſt.ij.

Pſeudanchuſa ψευδαγχοῦσα,doris eſt, anchuſæ ſimilis, lanuginoſior, & minùs pinguis,tenuioribus foliis, radice ſuccum rubrum fundente. in ſabuletis prouenit. Rura Orcanetam vocant,& lanarum infectores.

Pſeudocaſia ψευδοκασσία, eſt,inquit Geſnerus,guſtu,neque acri,neque odorato, corticibúſque medullæ adhærentibus.Similior caſiæ, quàm explicari poſsit, inuenitur:quæ guſtu coarguitur,cum nec acris,nec odorata ſit,hærentémque medullæ corticem habeat.Dioſ.lib.j.cap.xij.Quære dict.Caſia.

Pſeudocinnamomum, ψευδοκινναμώμον,καὶ κινναμῶμις, inualidi odoris, ſolutarúmque virium.vocatur etiam zingiber,cùm tamen ſit xylo cinnamomum,præbens quandam cinnamomi faciem.Dioſc.lib.j.cap.xiij.Quære dict.Cinnamomum.

Pſeudobunium ψευδοβούνιον,Bunij genus æmulum,foliis napi acribus: palmi altitudine fruticat,agri guſtu. Tormiã,atque ſtranſguriam , laterũque dolores ſanant quaterni eius rami poti in aqua:cum vino & ſale ſtrumas diſcutiunt.Quære dict.Bunium.Dioſc.lib.iiij.cap.cix.

Pſilothrum ψίλωθρον,καὶ ἄμπελος λευκή,id eſt,vitis alba, ſiue Bryonia. quandoque pro ſucco,ſiue ſpiſſamento Amerinę ſalicis,cum nitri pari pondere pſilothron eſt,id eſt,depillatorium.interdum pro eiuſdem arboris ſemine vſurpatur. Quære dict.Bryonia.

Pſora ψωρά ποα,aut à ſcabro herbæ habitu,aut quod ſcabiei medeatur Aëtio dicitur : cuius vſtæ arborum fumo erucæ moriantur.ea eſt quæ vulgò Scabioſa , ex Ruellio,& Geſnero,ſuſpicatur:cùm nomen idem prætendere videatur.Inferiores Allobroges Abrotanum fœminam Scabioſam vocant.

Pſora ψῶρα, καὶ λέπρα,paſsio vtraque,ſummæ cutis aſpritudo eſt, cum pruritu,& abſumptione corporis.Lepra autem altiùs,circularibúſque eroſionibus cutem depaſcit,& piſcium modo ſcamulas ex ſe remittit.Pſora verò ſummam corporis cutem exedit,& varias habet figuras,furfureáque magis ex ſe corpuſcula edit. Latinis Scabies dicitur.

Pſyllium ψύλλιον,pulicaria herba eſt,quod ſemen ſit effigie pulicis:ſiue quòd ſua facultate pulices euocet,nominata eſt.Eius ſemen in mucaginem excipitur: cuius deinde vſus medicis frequentiſsimus.Dioſc.lib.iiij.cap.lx.& lib.vj.cap.x.

Ptarmice πταρμική, quòd ſternutamenta ſiet,herba Sternutatoria dicta eſt : à quibuſdam pyretrum ſylueſtre notatum : aliis Tharco hortenſis, ſiue Sthargum à Ruellio,reclamante tamen Geſnero,exiſtimata.Herba hęc mea quidem ſententia veteribus indicta,quæ olitorum diligentia,& induſtria nobis in vſu venit:folio eſt hyſſopi,longiori tamen,quòd dum editur,ſaliuam prouocat ſua caliditate.eſtur in acetariis cum ſale,& oleo.hæc C.Stephanus.

Pterygium πτερύγιον Græcis,pinnaculum Latinis eſt medicis,hoc eſt, carnis in-

crementum circa vnguẽs tum articulorum pedum,tum digitorum manuum, partẽ eorundem operiens,quòd in formam pinnæ euehatur : diſsimiléque paronichio eſt: cuius quære dict.

Pteris πτερὶς,filix eſt:quæ duplex occurrit,mas videlicet, & fœmina : nomine alio Nymphæa,& geniorum fuga,quia ſpiritus nequam fugare ſuſpicio eſt: ſed fabulę. Quære dict. Filix.

Pthyas,inter aſpides ſerpens refertur,de quo Plinius verba faciens ait : verùm ex iis quæ referre fas ſit,impubium puerorum contra ſaliuas aſpidum, quas pthyadas vocant,quoniam venena in oculos hominum expuant:per quæ & mordendo etiam repente interficiunt. Verùm ante mortem cogitur percuſſus ad vomitum crebrum, & conuulſionem. Gal.in lib. Theriaces ad Piſonem.

Ptiſana πτίσσανή,hordei cremor eſt,non autem repurgatum hordeum, & integrum ad edulium paratum. Eſt quoque cum aqua ſimplici ebullitio, de qua bibunt qui ægrotant febrientes cum quopiam ſerapio. Lege Hippocratem in lib. de ratione victus in Morbis acutis:vbi ptiſanæ faciendæ docet modum.

Pueri purgationibus planè inepti exiſtunt,cùm nondum iuſtam incrementi perfectionem conſequuti ſint. Si igitur eorum aluus fuerit adſtricta, mel cibo adiiciendum aut reſina terebinthina, quæ liquida eſt, qualis Seguſiana, quæ ciceris quantitatem æquet,exhibenda. Vide AEgynetam libro primo,capit.ſeptimo. Puerilis item morbus,epilepſia eſt:quoniam ſæpiùs in infantia,& pueritia,quàm in alia ætate, corripiuntur.

Pus optimum eſt,quod candidum,corpulentum,minimé que fœtidum:&,vt optima vrina habeat ſedimentum candidum,æquale ac minimè fœtidũ:ex quibus quidẽ indiciis febr.diaria cognoſcitur. Gal.lib.j.de Diff.febr.cap.viij.

Pudendorum naturalium vlcera,ſunt quæ quãdoque citra inflammationem oboriuntur,interdum attritu ex longa continuáque equitatione cum inflammatione fiunt:ob idque mendicamentis indigent ſiccioribus,cuiuſmodi ſunt ex charta cõbuſta,anethum vſtum aridum,aloë arida,cuius præſens remedium eſt, & piſtolochiæ radix. Curationis author Fuch.de Medend.morbis lib.iij.cap.xliij. Gal.de Locis affec. lib.vj.cap.vj.& ad Glauc.lib.ij.

Pugillus medicorum,eſt id quod compræhenſis alterius manus digitis complecti poteſt,differtque à manipulo,quo medici in formulis notandis ſimplicium,vtuntur: quoniam pro menſura florũ experimendorum,altero abutuntur medici poſteriores.

Pulegium γλήχων,fragrantis odoris herba,præſertim quæ montium iuga colit, atque interdum valles:quæ in mare purpureos habet flores, in fœmina flores albos producit:mare hæc efficacior ab authoribus traditum eſt. Vires, non formam docet Dioſcorides lib.iij.cap.xxx. Eſt deniq; pulegiũ ſylueſtre,Calaminthæ ſimile,ſed maius,odoréque haud abſimile:vt lib.eodem Dioſc.docet,cap.autem xxxiiij.

Pulicaria ψύλλιον Græcorum eſt,Latini hodie idem nomen retinuerunt. pulicaria epota,corpori toti frigus,& torporem cum exolutione,& mœrore quodam affert:ita vt animum deſpondeant. Cui antidota omnia quæ exhauſto Coryano auxiliantur. Dioſc.lib.vj.cap.x.

Pulmo νεὐμόν,cordi quatuor fibris,quæ λοβοὶ dicuntur,circũdatus eſt, duabus in dextra ipſius parte,duabus in ſiniſtra. Præter has,quinta in dextra Thoracis parte exigua admodum apparet,quæ alterius velùti ſoboles eſt. de pulmonis affectibus, & in dypſnea,& in voce affecta petendus eſt Gal. locorum affect. libro quarto,capit. vij. viij.& ix.

Pulmo νεὔμών,arterioſus ex lenibus,& aſperis arteriis compoſitus, reſpirandi organum à natura confectum,cuius meatibus obturatis ab humoribus craſsis,lentiſq;, ſuboriuntur varij morbi:ex quo ipſum corpus colliquatur miſerè.

Pulmonaria δια πύρος conſiligo, vel pata-Leonis, ſuſpicatur : & Enneaphyllon Plinij Geſnero videtur. Nam pulmonaria, quæ alioqui Pepanos vocatur, Bu-

glof

gloſsi folio albore maculato conſpicitur, ſed promiſſo magis, atque leuiori inſtar pulmonis notato,& flore cum rubedine purpureo apparente,inde nomen traxit. Valles colit humidas,& nemora.

Pulmones,ſecundum varia atque diuerſa animantium genera,facultate ſua operantur: vt marinus pulmo recens,tritus,& illitus,podagras, peruionéſque emendat. Suillus & agninus,vrſinúſque pulmo impoſitus,attritus à calceamentis cõtractos, ab inflammatione tuetur. Vulpinus verò ſi arefactus bibatur,ſuſpirioſos aduiuat.adeps quoque liquefactus,infuſúſque,auris dolorem finit. Lupinus quoq; hepaticos affus, eſúſque emendat, quemadmodum rabioſi canis,rabioſos homines ſanat:vt gladiatoris quoque occiſi iecur prodeſſe epilepticis ſcribit Largus.

Pumex,probabilior tofus,quàm lapis,cuius probatio,vt magnoperè leuis, ſpongioſus,ſciſsilis,nec arenoſus,item teri facilis,& candidus: poſtquam operoſè crematus eſt,adſtringit,gingiuas abſterget,purgat cum calfactione,quæ caliginem pupillis offendunt.explet vlcera,& ad cicatricem perducit.excreſcentia cohibet.

Punica malus,ῥοιαὶ,καὶ σιδη,vulgò Granata arbor, & malum punicũ fructus: contractum à regione nomen. Punici mali differentiæ ſunt, Apyrenum, ἀπυρήνον, cui lignoſus nucleus abeſt:communes nucleos habentium quinque ſpecies, dulcia, acria,mixta,acida,& vinoſa. Quære dict. Malum Punicum.

Pulſus,eſt qui in arteriis extremas membrorum partes occupantibus, per cyſtolem & dyaſtolem cordis motu inquieto diſcernitur,dignoſcitúrque:à quo ſiue tandẽ temperies,ſiue intemperies prædicitur. Vel,pulſus, eſt cordis motus, & arteriarum, ſenſilem,quò attolluntur,& ſubmittuntur,demonſtrans effectum.

Pulſus duplex eſt vſus,ſublatione ſeu dilatatione, quæ διαςολὴ eſt: aër frigidus attrahitur,qui vitale robur,vnde ſpiritus quoque animalis gignitur, excitat, & recreat. Submiſsio autem,ſeu contractione arteriæ,συςολὴ nominatur. Galenus in lib. de Vſu pulſuum:& de Pulſibus.

Pulſuum genera ex Galeno ſecundum ordinem ſequentem,comprætenſis etiam differentiis,cognoſcuntur. Primum ergo genus, eſt quod ex motionis tempore ſumitur,& tam in ſublatione,quàm ſubmiſsione conſideratur. Diuiditur autem in celerem,tardum,& mediocrem:pulſus celer,eſt cum modico tempore mouetur arteria:tardus,contrà:qui longo tempore modico mouetur interuallo:vel, qui multo tẽpore finit motum.

Pulſus mediocris,eſt qui quod ad motum attinet, quodã modo medio ſe habet.

Pulſus genus ſecundum,à quantitate ſublimationis, hoc eſt, dyaſtoles, ſumitur, nam quælibet arteria tanquam corpus tria ſortitur interualla,longum,latũ, & profundum.

Pulſus longus,eſt qui longitudine naturali pulſu maior inuenitur. Latus, eſt qui latitudine notatur:altus verò profunditate.contrarius his,breuis,anguſtus,& humilis,magnus,qui longitudine,latitudine,& profunditate,auctus appræhenditur. paruus contrà,qui apparet imminutus.

Pulſuum tertium genus,à robore virtutis deſumitur:cuius tres differentiæ ſunt, vehemens,languidus,& mediocris. Vehemens,eſt qui tangentis medici manum valdè pulſat,ferítque:languidus,eſt qui inualidior, atque imbecillior perſpicitur. medius,qui quandam proportionem ſeruat ad vtrunque.

Pulſuum genus quartum,in arteriæ conſiſtit corpore,atque ſubſtantia: diffunditur autem differentias tres,durus,mollis,& mediocris. Durus,eſt cùm ſiccus, coriiq; modo rigidus in occurſu apparet arteria.mollis, cùm carnoſus, ſpongioſusvè apparet.mediocris,qui inter medium ſe habet.

Pulſus genus quintum,eſt quod ex quantitate infuſionis, ſeu plenitudinis arteriæ pendet:à quo pulſus plenus,vacuus,mediocríſque. Plenus, qui arteriam pleniorẽ oſtendit,& ſubmiſsionem eius ſucco impeditam. Vacuus,qui bullæ modo ſublationem efficit.mediocris,cùm arteria mediocriter plena eſt.

Pulſuum genus ſextũ,à qualitate caloris qui in corde habetur, & in arteria quo-

dam modo magis euidenter apparet,deſumitur:cuius tres ſunt differentiæ, calidus, & frigidus,mediocriſque.

Pulſuum ſeptimum genus,in tempore conſiſtit,cuius differentiæ tres ſunt: creber,rarus,& mediocris. Creber,frequens ſeu denſus eſt,cui breue quietis,hoc eſt, interualli tempus eſt. Rarus,cui longum quietis tempus eſt. Mediocris,cui mediocre.

Pulſuum octauum genus,ſecundum rhytmum eſt. Rhytmus verò, eſt proportio temporis ad tempus:cuius differentiæ tres occurrunt,pararhytmus, heterorhytmus, echrytmus.

Pulſuum genus nonum,quod in omnibus prædictis generibus iuxta æqualitatē, & inæqualitatem inuenitur. Pulſus æqualis abſolutè,eſt vbi omnino pares ſunt differentiæ pulſuum:inæqualis autem,contra.

Pulſus deficiens,eſt quando non ſolùm in vno,aut etiam pluribus magnis, vnus minor apparet:ſed totus nonnunquā quoque motus aboletur. hinc eſt, quòd non ſolùm ad duas,ſed ad tres,pluresvè percuſsiones,immobilis manet arteria.

Pulſus intercidens,eſt cùm expectata quiete in medio tāquam ſuperuacua aliqua percuſsio intercidit:& eſt deficienti cōtrarius. Pulſus mutillus, ſeu decurtatus, μειοῦρὸς Græcis,eſt quando primo pulſu ſecundus paulò minor fit:& tertius ſecūdo,quartúſque tertio pari modo:ídque deinceps,vſque ad plures.

Pulſus deſinens,ἐκλειπτὸν μεῖουρὸς,eſt qui perpetuò diminuitur, neque vnquam decreſcere ceſſat,in immobilitatem, ac quietem prorſus finit: atque in ſe agit varia differentia.

Pulſus capriſans,eſt cùm aliquantulum interciſus videtur, deinceps multò citatior apparet:dictus à caprarum ſaltatione.

Pulſus vndoſus κυ'ματώδης, fit quando non ſimul vniuerſa materia dilatatur, attolliturvè ſed primò pars eius prima, deinde ſecunda, mox tertia, ab hac quarta, motu continuo manente,in modum vndarum ſeſe eleuantium: ſic quidem vt altera vnda ſemper priorem excipiat.

Pulſus vermiculans σκωληκίζον, eſt quando vndoſus in paruitatem deſinit, ac immutatur: ita formicās pulſus hunc ſequitur,qui fit cum motibus multis amiſsis in vnum,eúmque prorſus exiguum deſierit. Huic adhæret pulſus hecticus, qui ſemper cum febre hectica ſui ſimilis manet.

Pulſus conuulſiuus,eſt qui vtrinque ab extremis retractus, conuulſus videtur. Turbulentus verò,eſt in quo nihil tale cum cæteris reperitur.

Pulſus ſerratus,eſt ἐμπρίων cum alia pars arteriæ dilatata, alia minùs, ob ipſius duritiem eſſe videtur.

Pulſuum decimum genus,ex inæqualitate profectum,ex ordine,& inordinatione naſcitur. Pulſus æqualis,eſt omnino etiam ordinatus: inæqualis, etiam inordinatus exiſtimatur,

Pulſus iræ,eſt qui magnus,vehemens, celer, & creber ſentitur. pulſus lætitiæ, eſt qui magnus,rarus,& tardus:at vehementia à ſuperiore differt nihil. Pulſus triſtitiæ, eſt paruus,languidus,tardus,& rarus quoque depræhenditur. Pulſus timoris recētis, & vehementis,eſt celer,vibratus,inordinatus,inæqualíſque:ſed inueteratus,iam Triſtitiæ habet ſimilem. Galenus librorum quatuor,de Pulſuum different. & de vſu pulſuum eſt voluendus:& Fuch. Comp. medic. lib. cap. vltimo.

Purgatio,eſt humorum qui in ſua qualitate moleſtant,euacuatio. neque enim hîc per qualitatem intelligenda eſt caliditas,frigiditas,humiditas,aut ſiccitas: ſic enim alteratio citra vacuationem ſufficeret: ſed qualitas hoc in loco nihil aliud ſignificat,quàm genus humorum vacuandorum,& corpus moleſtantium. Itaque humorum vacuandorum qualitas perpendenda eſt, vt quod genus humoris ſeu qualis vacuandus. Obſeruandum denique Hippocratis dictum ſic inquientis: Inſpicere oportet regionem,tempus,ætatem,& morbos,in quibus conueniat,aut non. Gale. lib. j. Aphoriſ. Hippoc. parte ij.

Punctura,ſeu punctio,affectus eſt cùm ab acuto,ac gracili caro vulnerata eſt: ſi verò

verò à graui,cōtuſio,aut concuſsio dicetur. Quod ab eroſione oſsi cōtingit,τερηδὼν, id eſt,caries:in aliis partibus,vlcus appellatur. quin & alio modo nuncupare licet. Gal.Conſtit.Artis.

Pupillæ,alioqui vuea,foramen eſt quo oculi acies notatur: atque in eo hæ fiunt paſsiones,vt μυδρίασις,quando pupilla colore nihil euariat,ſed multò quàm cōſueuit,latior fit:vt interdum iridis circulo appropinquet. Latinis pupillæ dilatatio & effuſio dicitur φθίσις,contrarium planè malum eſt:in eo enim pupilla anguſtior, obſcurior,rugoſiórque fit:Latinis diminutio, & tabes pupillæ nominatur. ὑπόχυσις, καὶ ὑπόχυμα,eſt vbi humor lentus,& glaciei modo inter corneam, & cryſtalloydē concretus circa pupillam ſubit. Vulgus medicorum Cataractam vocat.Fuch.Comp. medic.lib.j.cap.xxvij.

Puſtulæ ſeu veſicæ oculi φλύκταιναι,ſunt exiguæ bullæ quædam ſupra corneam eminentes:quales iis potiſsimum accidunt qui exanthematis affliguntur: ab ebullitione,& feruore,quaſi ἀπὸ τοῦ φλύειν,ſic dictæ.Gal.in lib.de Oculis Theorem. vj. cap.x.in quo tractat de Oculorum vulneribus,ſcabie,& vngue cum curatione.

Puſtulæ nocturnæ ἐπινυκτίδες,vlcuſcula ſunt ſponte naſcentia,puſtularum figura,ſubrubra:quibus diſruptis ſanies cruenta defluit. Nomen hinc acceperunt, quòd interdiu quidem non multùm infeſtent,noctu verò grauiore dolore torqueant. Sunt & φλυκτίδες, καὶ φλυκταιναι,paruæ puſtulæ veluti bullæ, ſimiles iis quæ in corpore à feruida aqua torrefacto,contingunt. Hippoc.φλυσεις dicuntur.

Purulenta excreatio ἐμπύημα,καὶ ἐμπυίκοι,eſt ſuppuratio, hoc eſt, ſuppurati ſeu purulenti qui vocantur.Fit quando abſceſſus in mēbrana intrinſecus coſtas ſuccingente:aut aliqua alia thoracis factus aceruatim rumpitur, & in vacuum thoracis locum effunditur inter pulmonem,& membranam coſtas ſuccingentem. Interdum propter ſanguinis eruptionem vlcere ad cicatricem non perducto, aut cùm fluxum ex capite illuc manantem,vt in angina: & qui ea liberantur,his ad pulmonem vertitur.Curationem docet Fuch.Medendor.morb.lib.ij.cap.viij.

Pyrgitis,vnum ex nominibus eſt phyllitedis:cui vulgare lingua ceruina contigit: quoniam verò vmbroſis in locis,ſed non omnibus naſcitur.Quære Phyllitis.

Pylorus πύλορος,chirurgis portonarius,exitus fundi,id eſt, ſedis: poſt quem ſequitur γάςρος,καὶ εκφυσις,deinde Ieiunum inteſtinum, &c. Quære dict.Inteſtina.

Pyronoeides,vertebræ ſecundæ ceruicis proceſſus imaginatur,dictúſque:quia tur binata figura eſt:ſurſum autem ſpectat,atque ab anterioribus vertebræ ſecundæ partibus proficiſcens,valido quodam rotundóque ligamento capiti alligatur: eíq; ſumma vertebra locum cui aptè ac tutò inuitatur, præbet: in eadémque tranſuerſum quoddam ligamentum oritur,quod illi intus aduoluitur. Hunc ipſum proceſſum Anathomici à dentis ſimilitudine odontoeide vocant. Hippocrates autem totam ſecundam vertebram,dentem denominauit. Vide plura apud Gal.in lib.de Oſsibus.

Pycnocomon πύκνοκόμον,coniectoribus Dioſcoride,& Plinio,ea herba eſt, quæ vulgi ſententia Barba capræ vocatur.hæc habet Erucæ folia,craſsiora tamē, & acriora:radicem rotundam,lutei coloris,terram redolentem:caulem quadrangulum:florē Ocimi paruum,tenuémque.hæc Io. Agricola.

Pyrethrum πύρετρον,à feruido ſapore herba dicta: vulgaribus per-Alexandrinus,ab ignea,cauſticáque,necnon adurente vi, dictum: qua manſu potentiùs, quàm pro caloris modo elicit:vnde & Saliuaris quoque Latinis dicitur.Dioſ.li. iij.cap. lxix. Galenus Simpl.lib.viij.

Pyraſtrum ἀχρὰξ,ſylueſtre pyri genus,quod tardiſsimè matureſcit: folia ſalicis vulgaris ſimillima habet,decidua,albicantia:fructum intus & extra herbaceū quod ad maturitatem non peruenit.ſtrangulat edentem. Ad pagum Pontis aquoſi Montis argiui viciniam me ſemel pyraſtrum cum fructu vidiſſe, & guſtaſſe fructum, memini, non ſine meo & comitibus periculo, Dioſcorides libro primo, capit. cxxxij. alia atque diuerſa deſcriptio eſt.

Pyrina,ὀξυακανθα,officinis Berberis: ruſticis ſpina vineta: de qua plura in dict.

Spina acuta, & Oxiacantha leges.

Pyrites lapis, de quo æs perficitur: Marquaſita æris dicta quibuſdam putatur. poſtquam pyrites lapis aduſtus eſt, & in calcem redactus, nonnullis diphryges appellatur. Tam crudi, quàm vſti vis eſt, excalfacere, abſtergere, offuſam caliginem expurgare, duritias concoquere, & concoctas diſcutere, reſina exceptus excreſcentia in carne cohibet. Dioſc. lib. v. cap. lxxxix. Galenus Simpl. lib. ix. Geberus Metamorphoſeos metallor. lib. j. ij. & iij.

Pyritis Galeno πυρῖτις, Nardus montana videtur, & Neris, aliud quàm Nerion ſimplex. Deſcriptionem habes in dict. Nardus.

Pyrus arbor, ὄχνη ἄπιος: pyrum pro fructu ἄπιον ὄχνη: ſylueſtre autem pyrũ παρὰ τὸ ἄγχειν, id eſt, à ſtrangulatione dictum: quod quidem pyraſtrum dicimus: & pyraſter quoque ἄχρας. Sicut Itali, & Romani pyris ſua indiderunt nomina, vt conſtat ex Columella, ſic etiam Galli, cæteræque orbis gentes, à figura, ſapore, odore, & interdum loco, regione, & ſerentibus nomina ſuis finxerunt arboribus, præſertim pomis, & pyris: hîc memorare ſuperuacuum duxi Dioſc. lib. j. cap. cxxxij.

Pyropus πυρωπὸς lapillus, officinis Rubinus: plurimus in inſula maris Indici, dicta Zaylon, Ludouico Romano Patritio referente. hic inter gemmarum lapidumvè fragmenta, Arabibus maximè medicis adnumeratur, & vſui recipitur.

Pyxos πύξος, Buxus arbor noſtras, pyxidas componentibus ad medicamenta reponenda vſui quotidiano à Myropolis, perfamiliaris. vnde Alabaſtrum omne in quod odorata, & exquiſita reconduntur, cuiuſcunque materiæ ſit, Pyxis appellatur. Arbor, producit ſemen humores egregiè per inferna ad drach. duarũ. p. euacuans. Quære dict. Buxum.

De lite

De litera Q.

Q*uadrans*,aſsis quarta pars eſt, hoc eſt , vnciæ tres:quoties autem de numaria ſermo eſt, quadrans , æreus numulus eſt, qui & triuncis,à tribus vnciis,vocatur. Vt enim ſeſtertius quarta pars denarij eſt: ita quadrans aſsis quarta pars. Quadrans,cùm de menſuris in re medica loquimur,quarta pars Romani ſextarij, hoc eſt, cyathi, vel vnciæ tres. Quadrans pedis, digitorum quatuor menſura eſt , quam etiam palmum minorem vocamus. Vide plura in Coſmogthia P. Apiani, cum Appendic.Friſij.

Qualitas ποιότης, eſt ſecũdum quam quales dicimur:quæ in varias, diuerſáſq; difunditur per elementorum facultates , quibus omne viuens diducitur : nã tantam varietatem,ab his qualitatibus primis,ſcilicet calore,frigore,humiditate, & ſiccitate mundi machinam gubernari Deus voluit. Has qualitates tanquam metas actionum conſtituit,& earum actiones monſtrauit,vt inde iudicari cauſæ poſsint multarum in corporibus mutationum.

Qualitatis vacuæ abundantia citra humorem eſt vel caloris,vel frigoris, vel humoris,vel ſiccitatis etiam exceſſus:quòd in dict. Abundantia demonſtratum fuit.

Qualitates contrariæ in eodem corpore vnà conſiſtere non poſſunt , vt calidum ſimul & frigidum:ſtatuũtur tametſi omnes quatuor,vt in ſe agere inuicem,patíque poſſunt. itaque qualitates primæ omnes actiuæ ſunt, calor nãq;, & frigiditas actiuæ qualitates dicuntur:cæteræ verò, vt humiditas & ſiccitas paſsiuæ : ideo oppoſitiones duæ exiſtunt,altera in qua calidũ frigido aduerſatur : altera, in qua humidũ pugnat cum ſicco. Qualitates autem ſinceras quæcunq; corpora ſuſcipiũt, ea calida humida, frigida ſicca prorſus exactéque ſunt,Gal.de Temperament.lib.j.

Qualitates temporum anni ſunt : ver calidum humidum, vt eſt ſanguis in nobis: eſtas calida ſicca,vt cholera:autũnus frigidus ſiccus,vt bilis atra : hyems frigida humida,vt phlegma in nobis. Sanguis à natiuitate ad xxv.annum dominatur: cholera à xxv.ad xxxv.annum:atq; tum ibi caloris in venis,arteriíſq;,principium,bilíſq; corpori vniuerſo imperat. Deinde ſequitur ſenectus,quam virilem tamen ætatem Galenus eſſe dicit,in melancholia verſatur,frigida ſicca,ad quadrageſimum quintum circiter annum:incipiuntq; ab hoc humore cæteri cum ſuo natiuo colore imminui:ibique cum phlegmate occurrit decrepita ſenectus.

Quantitas,eſt quę non ſolùm molem,& menſuram,verùm etiam facultatis ordinem,ac gradum & numerum adhibendorum medicamẽtorum continet : hæc omnia definiunt magnitudo affectus,propria corporis natura,virium robur, partis cõditio. Quære Acakiam ad Glauc.Galeni,lib.j.

Quantitatis abundantia,eſt vel cibi,vel potus, vel humorum in vaſis exuperantium plenitudo. Repete dict. Abundantia,& Plenitudo.

Quartana febris intermittens, eſt quæ ab atra bile extra vaſa putreſcẽte, oritur. Sic accepit nomen,quòd duos intermittat dies,& quarto reuertatur : quod copioſiùs in dict. Quotidiana exquiſita explanatur. Gale.idẽ author eſt li.ij.de Diff.febr.cap.v.

Quartana exquiſita alterum genus febrium intermittẽtium eſt,quę ſolo atræ bilis humore putreſcẽte generatur. hæc quidem non primo ſtatim die cum rigore inuadit vehementi,ſed talis eſt,qualis iis qui vehementi gelu frigeſcunt: progrediente autem ipſa atque aucta , vnà etiam rigor augetur , inualeſcítque quotidie vſque ad totius morbi incrementum, ſenſúſque eius non pungentis, ſtimulantisvè cutem , ſicut in tertiana, verùm vehementem algorem inducentis, & tanquam oſſa frãgentis eſt. Cætera ex Fuch.de Morb.medend.lib.iiij.cap.viij.petes.

Quartana ſanè ſi longiſsima eſt, acceſsiones breuiores, puriores , & longiore interuallo repentes habet,minùs, quàm quotidiana , periculum adfert : quia nonnunquam morbos alios hæc tẽporis diuturnitate parit deteriores : vt lienis tumores, hy-

dropas,& alia id genus mala.Cæterùm quartana febris vagis febribus ferè ſuccedit: nam diuturnitate corporis habitum reſiccant,ac humores adurũt, propter pituitam. Phlegma enim non aqueam ſeroſámque humiditatem , ſed ſiccam , ac retorridam, craſſamque pituitam ſignificat.Inareſcit enim ac craſſeſcit hæc febrium longitudine, quales erraticæ,vagæque ſunt. Vagas, ac erraticas vocat Galenus libr. j. ad Glauco. quæ incerto tempore,ac non eodem modo repetunt.

Quaternarii circuitus ἐπίδηλοι, καὶ θεώρηται, hoc eſt, indices,& contemplabiles dierum circuitus, quòd in iis ſcilicet quales futuri ſunt dies proximi indicatorij, contemplari liceat:atque adeo quòd ſequentes dies decretorios indicent. Quartus ſiquidem dies ſeptimi,vndecimus decimiquarti: trigeſimusſeptimus quadrageſimi index eſt:& ſic deinceps vſque ad centeſimum.Etiam hebdomadæ hoc modo numerantur.Igitur dies vigeſimus tertij ſeptenarij nouiſsimus erit, perinde atque ſexti ſeptenarij quadrag.dies,& minimè decimusquintus, & vigeſimusprimus: queãdmodum nonnulli poſt Hippocratem,falſò opinati ſunt.

Quies,eſt quæ motui,& labori exercitatiori opponitur: eſt autem vbi conueniẽs eſſe poſsit vſus,tum videlicet vbi ex multa motione corpus defatigatum fuerit.cuius rei certè author Hippocrates,ſic inquiens: In omnis corporis motu vbi quiſpiam cœperit laborare,quies ſtatim laſsitudinem aufert.Lib.ij.Aphoriſ.xlviij.Aph.

Quercus δρῦς ἡ μερίς, id eſt,veteribus Galliæ philoſophis,arbor placida : differt tamen quercus à robore.Glandes autem,gallas,& viſcum,quòd Græcis ἰξὸς,dicitur. Adſtrictoriæ facultatis tota arbor,cum frondibus,& glande experitur. Dioſco. lib. j. cap.cxxj.

Querendula,quæ ſturdo paulò maior auis eſt: vulgus Gallicum Strona nominis appelationem dedit,retinétque.Neque ea eſt,quæ à Varrone de Re ruſtica lib. iiij. vt Scholiaſtes putat,inter eas aues,quę non contentæ ſolùm terra ſunt,ſed aquam quoque requirunt:vt Anſeres,Anates,Mergi,& Olores:ſed inter Sturdos qui mortem viſco veſcentes ſibi cacant,numeratur: cuius caro ſtomacho optimè conficitur. perdicis etiam carne ſuauior.

Quinquefolium πεντάφυλλον, idem Seplaſiariis nomen retinet,quam nonnulli ab hextaphyllo herba,vulgò Tormentilla,diſtinguendam volunt: ſed foliorum tantùm numero,minimè viribus:quoniam variato tum propter natiuitatis,tum fertilitatis locum,eſſe non eandem ignari contendunt.Gal.lib.v.Comp.pharmac.Eupatorium etiam quinque folia habere ſcribit,interpretibus Leoniceno,Manardo,& Ruellio.Aduerſus venenata,& peſtilentes affectus radix efficax habetur. Dioſcorides lib. iiij.cap.xxiiij.

Quincuns,recipit vncias quinque.Vide Vncia.

Quiſquilium κόκκος, granum Ilicis aquifoliæ: vnde quiſquiliata veſtis, vulgò eſcharlata, & *vermillon*. Hos κόκκους officinæ grana tinctorum hodie vocant. Aduertat etiam diligenter candidus lector Ilicem apud Vergilium pro robore quandoque accipi,& Robur pro Quercu vulgari:atque ex genere diuerſo facultates diſsimiles quoque adeſſe,cùm Quercus aliud,quàm Ilex ſit:omnibus deſcribitur.Ruell. lib. iij.cap.xcviij.Quære dict.Granum tinctorium:& Coccum Cnidion.

Quotidiana continua febris,cum quotidiana exquiſita, quod ſcilicet diebus ſingulis acceſsionem faciat, depræhenditur. Quartana continua intermittente, quia quarto quouis die acceſsionem habeat: quæ tamen ad inuicem differunt: vt ſuprà paulò ſcriptum reliquimus.

Quotidiana exquiſita,quam Græci ἀμφημερινὸν vocant, fit pituita dulci extra vaſa putreſcente:& ſic appellata quidem eſt,quod diebus ſingulis redeat.Non temerè quidem adieci dulcis pituita, Fuch.authorem grauiſsimum ſequutus : nam ſi vitrea pituita modicè putreſcit Epialon febrem inducit:de qua Gale. in lib. de Inæquali intemperie.Quære dict.Epialos.

De lit

De litera R.

R*Acemus* ὁ γυμνὸς καὶ ἄνευ ῥαγῶν τοῦ βότρυος,id eſt, quibuſdam propriè ſcapus,vulgo grappa, appellatur : etſi plerumque cum vua confunditur. Cæterùm quot genera vini experiũtur,tot racemi ex vuis diuerſis locorum ſunt conſtitutione. diuerſitatem autem docet Dioſcorides.

Raia mas,ὁ βάτος, καὶ ἡ βατὶς,piſcis vulgò Raya,hoc autem nomine βάτος appellatus eſt,quod eius tota ſpinis cauda horreſcat. Piſcis hic, vt cartillaginea omnia, carnem mollem, & concoctu facilem habet,vt eſt author Galenus quod edentibus coniicere licet.

Radicula ϛρούθιον, Saponaria herba,& fullonia,quòd ſaponis vires oſtentet, deinceps nominata eſt. Præterea eſt & radicula, Rauonella,& Rafortis,lingua ruſtica, appellata:quæ ex ſale & oleo cum aceti momẽto,vel ſolo etiã garo,eſtur:inde inter acetaria guloſis adnumerata eſt, hanc quidã temerè Raphanum crediderunt. Renium, vreterarum,& veſicæ calculos frãctu contumaces terendo expellit:copioſam necnon vrinam euocat.Quære Struthium,& Raphanus.

Radix ῥάφανος ἡ raphanus,Celſus radicula vertit.Cæterùm raphanus apud veteres ſimplicium medicamẽtorum ſcriptores Græcos, & Latinos, pro Braſsica etiam vſurpatur:caule aſſurgit vno,ferè arboreo,vt in ſinapi cernitur:Græcis quoque nonnullis Dendrolachana,quaſi olus arboreſcens,appellata eſt. Tantùm illud notandum eſt,Radiculas alias eſſe dulces,alias ſubacreis,alias omnium acerrimas: quarum ſucco cum oxymelite,Galenus vſus eſt ad vomitum excitandum. excalfacit, flatus gignit,ori ſuauis eſt,ſed ſtomacho aduerſatur,ructus ciet.Dioſc.lib.ij.cap.cv.

Radix ſylueſtris altera, κερὰ apud Theophraſtum nominata:quæ rapa ſylueſtris adiudicatur,aliquibus quoque armoracia ſuſpicata:folia ſatiuo raphano ſimilia, ſed magis Lampſanam imitãtur,radix,tenera,ſubacris, in cibo cum folio radix ipſa mitioris eſt facultatis. Quære dict. Armoracia,& Lampſana,& Struthion.

Radix ſylueſtris tertia ἄπιός ἡ, καὶ ἰσχὰς: quibuſdam eam eſſe placet radicem, quæ raphanus ſylueſtris appellatur Syluio coniectore. Eſt & nigra radix Hippocrati ῥίζα μέλαινα ἀσπαλάθος: atque ab eodem ῥίζα λευκή, id eſt,radix alba:Galeno dracontij,hoc eſt,ſerpentariæ radix. Quære dict. Apios.

Radicis Cynthiæ ῥίζις κύνθιδος, apud Hippocratem in fouendis fœminarum locis,mentio eſt:verùm quænam hæc ſit,niſi fortaſsis Dioſc. Izopyron , adhuc incertus hæreo. Ruel.lib.iij.cap.xcvj.

Radix ῥίζα Hippoc.dici vult Gal.quoddam genus ſati,ſine flore,ſine ſemine:tribus tantum foliis, ſed oblongis, & in terra ſtratis, duorum digitorum magnitudine, ſimilib. Anchuſæ, radice purgandi viribus exilibus. Dioſc. Onoſma Geſnero videtur: mihi Doris,vulgò Lupi lingua. Quære dict. Onoſma,& Anchuſa.

Ramex,C.Celſo authore,herniæ vitium,continens ſub ſe parocelam, quæ cùm ex abceſſu aliquo circa ſcrotum materia induruit : Sarcocelam, quum in ipſo ſcroto cõcreuit caro:Cirſocelam,quum venæ intumuerunt,ex quibus teſticuli dependent: Bubonocelam,quum ipſi teſticuli intumuerunt,& ex inflammatione dolorem inferũt. Celſus Artium lib.vij.cap.xxiiij.

Raphanus ἡ ῥαφανος, radix : veteribus Græcis braſsica κράμβη , nam raphanus ſylueſtris χέρια, id eſt,armoracia dicta eſt, hodie rapiſtrum. Quęre dict. Armoracia,

Ramex inteſtinorum ἐντεροκήλη, fit peritoneo rupto cùm inteſtina in ſcrotum labuntur. Inguinalis ramex βουβονοκήλη, eſt vbi ſupra inteſtina in inguinibus hærent. Aquoſus ramex ὑδροκήλη , ſi humor aliquis in ſcroti parte colligitur. Carnoſus σαρκοκήλη , cùm caro dura intra teſtium tunicas increſcit. Omenti

ramex

ramex ἐπιπλοκήλη, quum omentum in ſcrotum deuoluitur. Sic vbi venæ vltra modum repletæ,& dilatatæ glomerãtur, κυρσοκήλη, hoc eſt ramex, cùm C. Celſo, varicoſus, nominatur. Curationem docet Fuchſius Medend. morbor. libro tertio, cap.xliiij.

Ranunculus βατράχιον, flore luteo,interdum purpureo,herba:cuius quoque radix tuberculoſa inuenitur.officinis Apium-riſus,corui pes,vlceraria, Apuleio ſcelerata,& verticillum,appellata eſt.Eſt & genus alterum lanuginoſius, pluribus foliorum inciſuris,altiore caule,guſtus acerrimi, quod priuatim Apium ruſticũ. & Riſus apium nominãt.Hæc ex Plinio Ruel. Sardonia etiam herba à Sardinia inſula in qua plurima frequẽtiſsimáq; naſcitur:poëtis,& hiſtoricis celebratiſsima:de qua olim toxici genus Hiſpanos confeciſſe Strabo author eſt,cuius hauſtu vrgente vi maiore citra dolorem ipſi ſibi mortem conſciſcebant. Dioſc.li.ij.cap.clxviij.

Rapum ſiue napum,aut rapa: ἡ γόγγυλις, genus oleris in vſu frequentiſsimum, præſertim in cõdiendis iuſculis.Sunt enim napi ipſis rapis congeneres:cæterũ vtriuſque variæ ſunt ſpecies,olitoribus perfamiliares. Radix rapi alit: inflationem parit: humentem ac fluxam carnem creat:venerem ſtimulat: decocto podagræ,pernionéſque fouentur,& contrito impoſitóque iuuantur. Semen antidotis, & theriacis idoneum eſt. Radix quoque napi inflat:modicum alit,flatus vehementer creat,turbulentámque aluum reddit.ſemen eius potum venenorum vires hebetat. Dioſco. li.ij.cap. ciij. Theophr.li.vij.cap.iiij.Plin.li.xviij.cap.xiij.& xix.

Rapum ſylueſtre γογγυλὶς ἀγρία,hodie rapunculum vt docuit Ruel. Deſcribitur enim cubitali altitudine aſſurgere, fruticoſum, in cacuminibus leue, folio glabro,lõgitudine digitali,aut interdũ maiore.Fructum fert in ſiliquis calyculatis,dũq; ſeminum inuolucra dehiſcunt, alia intus continetur ſiliqua, in qua paruula ſemina concipiuntur,foris nigra,intus candicantia.ex Ruel.hæc Geſnerus. Eſt præterea rapum terræ κυκλάμινον,officinis panis porcinus. Quęre Cyclaminem.

Ranula βάτραχος,tumore phlegmonodes,ſub lingua cõſiſtens,maximè iu pueris.Linguæ proprium quid euenit ἀγκυλογλῶσσον AEgyneta vocat:ſub hoc breuior fieri lingua videtur, duratis, diminutíſque membranis linguam continentibus, aut duriore cicatrice ex vlcere derelicta: quam ſequitur linguæ flammatio, quæ nomine vulgari Ranula,vt diximus,nominatur.Eidem alij quoque affectus accidunt,reſolutio videlicet,conuulſio,excellens magnitudo,vſtio,prominentia, rhagada,& tumorum genera omnia:de quibus in dict. Lingua tractatur ſpeciatim.

Rarefaciens,eſt quod poros cutis dilatat,calidum modicè, ſiccum minimùm, tenuium partium:vt chamæmelum,althæa,malua,viola,parietaria, melilotus, & huiuſmodi:cui contrarium denſans probatur.

Raucedo βράγχος, eſt vbi ad guttur, & aſperam arteriam humor deſtillat. Tres ſunt in genere diuerſæ deſtillationes:vna κατάῤῥους. fit Galeno teſte lib.iij.de Symptom.cauſis,vbi ad os,ac fauces humor delabitur: altera κόρυζα, id eſt, grauedo: fit dum ad nares decumbit humor:tertia βράγχος, id eſt raucedo Latinis: atque ob varias cauſas accidere ſolet.Fuch.li.j.de Medend. morb.cap.xxiij.

Reagar, in genere eſt arcenici, in iiſdemq; fodinis inuentũ eruitur:vires quoq; nõ habet diſsimiles,verùm paulò imbecilliores,lætales tamen. Quære dict. Sandaraca.

Regius morbus,ſiue ex Celſo aurigo,bilis modò flauæ,modò atræ per vniuerſum corpus effuſio. Græcis ἴκτερος, Latinis verò Regia, & arcata paſsio vocatur. Fit interdum iecore nihil patiente bilis effuſio ad cutem in morborum indicationibus: nonnunquam vbi citra febrem ſanguis ab extranea aliqua occaſione corrũpitur, ac billioſus efficitur, ſicut à venenatarum beſtiarum morſibus contingere conſueuit. Quin & fieri poteſt propter inflammationem,aut naturalis tẽperiei iecinoris,aut lienis permutationẽ:aut ob imbecillitatem veſicæ bilis,aut ob obſtructionem,aut debilitatem vaſorum, quorum ora ex ea ad iecur deferuntur, billioſum humorem non attrahit,atque adeo icteron efficit. Fuch.li.iij.de Medend.morbis.cap.xxj.

Remedium medicinæ, eſt auxiliorum medicinalium compoſitio, & victus ratio, in qui

in quibus rectæ operationis occaſione, & temporis obſeruatione opitulatur laborantibus medicus, arte & experientia præditus.

Renes νέφροι, ex vtraque parte paululum ſub iecinore, cauæ venæ adiacent: ex caua vena rami omnium eorum qui inde propagantur maximi, ſinguli in ſingulos renes ſubiectos mittuntur, quos meatus attractorios, vel venas emulgentes, aut venas ſanguinis ſerum deferentes, nominant. Renes enim calidi & humidi ſunt, naturæ ſiccæ proximi: quibus ſanguinis ſerum eſt.

Renibus quoddã peculiare corpus eſt ex fibris & carne conſtitutum, quod cũ alia parte nulla cõmune habent, & caro hæc dẽſa eſt, ne ſanguis ad ipſos qui defertur facili momẽto defluat, fundatur, abeátq; cum vrina. Sed & carnea hæc ſubſtãtia, non paucas habet inuolutiones, in quibus quoniã ſigillatim per ſubſtantiam lapides plerũq; generantur, fiunt in renibus grauiſsimi dolores. hæc Gal. in li. de Renum affectibus.

Renum paſsio, eſt in qua ſanguinis ſerum mingitur: quæ accidit propter ipſorum imbecillitatem, vrinam ſubinde ſecernere à ſanguine nequeuntium, aut propter amplitudinem oſculorum, ex vena caua vrinam ad renes excolantium.

Renum vlcera, ſunt quæ accidunt in iis propter venarum rupturam, aut ſuppurationem inflãmationis, & acres, ac mordaces humores huc delatos. Renum affectus deſcribuntur à Gal. Locorum affect. lib. vj. cap. iij.

Repercutiens medicamentũ, ſuccos occurrentes in altum repellit, frigidũ eſt, craſſarum partium: quod ſi etiam adſtringit, multò magis repellit, vt acerba, auſtera.

Res non naturales ſex ſunt medicorum neotericorum ſentẽtia: nam cauſæ conſeruatrices ad eaſdem natura hæc adminiſtrãte referuntur. Quære dict. Cauſę cõſeruat.

Reſpiratio ἀναπνοὴ, eſt aëris in animante reciprocacio, neque compoſita actio, vt quibuſdam placuit, partim ex arbitrio, partim ſponte proueniens, ſed planè animalis & voluntaria, quemadmodum docet Galenus in li. de Cauſis reſpirat. & li. ij. de Muſculorum motu. Siquidem ab electione atque ab anima fit reſpiratio, retineríque ad arbitrium poteſt.

Reſolutio παράλυσις, eſt vbi alterum latus, aut dextrum, aut ſiniſtrum ſenſum & motum perdit. Reſolutio propria παραπλήγια, eſt quæ ſequitur apoplexiam: proinde paralyſis generalius nomẽ eſt, quàm paraplegia, quòd hæc ſolam eam quæ ex apoplexia fit, illa verò omnem reſolutionem ex quacunq; occaſione factam, ſignificet. Eſt quoq; oculi reſolutio πάραλυσις, vbi obliquæ motiones, & quæ ſurſum atque deorſum fiunt, expediri non poſſunt. Gal. li. iij. Locor. affect. cap. x. & li. j. de Sympto. cauſis: & li. iiij. Victus Acutorum, cap. xxiij.

Retentrix facultas, eſt quæ conceptam Idęam, attractãque memoria retinet, eouſq; per neruos in partes omnes animales diffundatur: altera quoque retentrix facultas eſt, quæ videlicet attractum ſuccum retinet, donec alteratrix eum in naturam partis quæ nutritur, mutauerit. hæc alteratrici facultati miniſtrat.

Ratiocinatrix item facultas λογιστὶκη, eſt quæ ſenſum & motũ per vniuerſum corpus, ac intellectũ, fouet: cuius animalis facultas diſtributio eſt. Quære dict. Facultas.

Reticularis plexus δικτυοειδὲς πλέγμα, rete mirabile vulgus medicorũ vocat, ex iis quæ veniũt in caput arteriis cõficitur, cùm primùm caluariam trãſgreſſæ, ad ipſam cerebri baſim ſeu fondamentum concurrerint: ibi enim nõ exiguam regionem natura quaſi thalamum, ſeu cauernã quandam modicam à craſsiore cerebri mẽbrana circundatã, reticulari huic plexui præparauit. In quẽ quidem locũ ab arteriis Carotidibus appellatis, non parua quædam portio, vno ſcilicet ex vtraq; parte ramo promiſſo, peruenit, quæ poſtea in multiplicem ſobolem diſciſſæ, retis formam cancellantis fibris conficiunt.

Rete enim ex aëre, & igne, cuiuſmodi piſcatorum naſſæ ſunt, contexuit natura: piſcatorum naſſas Græcis κύρτους, quas niſi quis priùs conſpexerit, Platonem conſequi mente non poterit. hæc Gal. ſuper Timæo Plat.

Retractio vacuationis ἀντίσπασις, quæ vbi humor adhuc in fluxu eſt, & vbi locum iam obſidet, deriuatio: nam vbi pars fluit, iam locum obſidet vtroque remedio, nempe retractione, & deriuatione.

Reſina lentiſcina μαστιχὴ, omnium iure præſtantiſsima, & laudatiſsima, fulogre quodam ignis ſplendida, candore ceræ Tyrrhenicæ. deterior eſt viridis, & nigra AEgyptia dicta, aut Pontica, bitumini nigredini ſimilis. Gal. li. viij. Simpl. & lib. j. & ij. Compoſ. pharmac. Quære dict. Maſtiche.

Reſina terebinthi τερμινθίνη ῥητίνη, vulgò Tormentina: huius vice hodie Peücina, vel Laricea vtimur. Aëtius autem Lariceam reſinam ad omnia eſſe accommodabilem ſcribit, ad quæ Terebinthina. Dioſc. lib. j. cap. lxxv. & lxxvij. Quære dict. Lentiſcus, & Larix.

Reſina ῥητίνη, ex variis arboribus lachrima, ſiue liquor, qui deſtillat, vt Larice, pinu, piceáque, ſumitur.

Rha-Ponticum, radix Pontica Celſo dicitur: Gal. lib. vij. Compoſit. medic. vocat ῥῆον ποντικόν: Actuarius βάρβαρικον ῥῆον, καὶ ποντικον, καὶ ἰνδικόν.

Rha, Rheon, & Rhacoma ῥᾶ, καὶ ῥῆον, Rha Ponticum aliquibus interpretatum, quod hodie Rhabarbarum dicitur. Sanè veterum ſcriptorum Rha-Ponticum Cētaurium maius eſt: longéque à Rhabarbari radice differt, ignota veteribus Græcis & Latinis. Quære dict. Centaurium maius.

Rhamnus ῥάμνος, frutex ſpinoſus, gruſelerus aliquibus falſò interpretantibus. Eſt item Rhamni genus alterum quod Burga-ſpina, vel Neprus vocatur, fructu myrti, foris nigro, intus viridi: ob id ad colorem tingentibus idoneo. Cortex arbori ſubniger, & nitidus quaſi ceraſo: intus virens, poſt luteus: lignum extra candidum, interior medulla rubet. Ea arbore validos arcus Heluetij, & Rheti fabricant. Ex Dioſcoride Itali ſpinam cerualem in hunc diem vocant, ab eo tempore quo ſub Marco Anthonio & Regina Cleopatra, in Italia & AEgypto, militabat. Dioſcor. libro primo cap. cij.

Rhamnus præterea alius eſt εἶδος ῥάμνου τρίτον, id eſt, ſpecies tertia Rhamni, in afflatu maris naſcens, frutice nonnunquam arboreſcente, prælongis ramulis, qui rigidis ſpinis armantur, aculei mucrone ſæuientibus, bacca folliculari ſpecie, verticillata: primùm cādida, poſt maturitatem rubeſcente, foris flauida, intus vliginoſa, quam paſtores pecorum pabulo decutiunt. Videtur Rhamnus hic, quo Iudæi vecordes & inſani Ieſu Chriſto, generis humani redemptori, coronam rigidis ſpinis in mucronem aculeatis, munitam texuerunt, & capiti violenter affixerunt illudentes. hæc ex Ruell. Geſnerus.

Rhyptica, ſunt quæ ſpeciatim ſordem à cute, & vlceribus tantum tergent, non etiam obſtructa liberant, quia ſunt amaris imbecilliora, ſalſa ſcilicet, & dulcia: vt ſal, mel, hordeum, faba, amygdalum dulce, quibus contraria ſunt emphractica.

Rhodia radix ῥοδιὰ ῥίζα, naſcitur in Macedonia, non diſsimilis Coſto, minoris modò ponderis, inæquali cute, odorem roſæ cùm teritur reddens. Vtilis capitis doloribus, ſi madefacta fronti, & temporibus imponatur. hæc Geſnerus. Hæc aliter deſcribit Fuch. atque aliam facit longè à Rhodia radice differentem, & à Geſnero diuerſam. Sed authoris vtriuſque diligentiam candidus lector perpendat, veritatem nimirum nomini præponens.

Rhododendron ῥοδοδένδρον, quod florem roſæ ſimilem habeat, vulgarem ſumpſit denominationem, quam ſubinde retinuit, Roſago: Dioſcoridi Nerion, & Rhododapne ſcribitur: frutex notitiæ vulgaris, longioribus, quàm amygdala foliis, aſperioribúſque: flore in roſam conformato: fructu nuci græcæ ſimili, corniculato, qui patefactus quandam lanoſam naturam oſtendit, ſpinarum pappos repræſentantem: radice longa, guſtanti ſalſa. naſcitur in amænis, maritimis, & ſecus amnes. flores, & folia animabus pleriſque venena ſunt: ſed hominibus contra venenata præſentaneum remedium cum vino pota. Quære dict. Nerion.

Rhododaphne, rhododendron ῥοδοδάφνη, ῥοδοδένδρον, eſt quibuſdam rhodonia, & nerion, ſiue Oleander, roſagináque. Eſt & Rhodonia ῥοδωνιά, roſæ planta, & roſarium: eiuſque flos ῥόδον, id eſt roſa: vti rhododendrum ῥοδοδενδρὸν ipſum roſariū.

Rhœas ῥοιάς, familiare ſegetibus papauer eſt, folio oblōgo, coacto, per ambitum

diſcecto

diſcecto:flore fœniceo in purpuram vergente: in calice ſemen poſtquam maturuit nigrum eſt,& guſtu ſubamarum; flos in potu cum vino pleuriticis principio morbi auxilio eſt: ſed tota herba inutilis. Quære dict. Papauer.

Rhus, arboris pumile fructus racemoſus, eſt cortice acido, adſtringente, repellente, nunc medicamentorius tantùm: olim etiam culinarius: ſtomacho valde idoneus fructus perhibetur. Arbuſcula eſt in petris naſcens, binum cubitorum altitudine, foliis oblongis, ſubrubentibus, in ambitu ſerratis, acino vuarum gracilium, denſo, magnitudine terebinthi, quadamtenus lato. facultatis adſtrictorię tota eſt. Viorna arboris genus hoc vulgò ſuſpicatur.

Rhus ῥοῦς ἄγριος, ſyluestris herba, foliis myrthi, cauliculis breuioribus, quæ tineas, & venena pellit: cuius officinis ſuccus Sumach appellatur. Rhus Plinio, vocata Erythros, qui & Syriacus, dictus videtur: & Magiricus, quod obſoniis aſpergeretur: differtque à Byrſodepſico. hæc Geſnerus.

Rhombus piſcis ῥυμβὸς, vulgus piſcatorium *Turbot* vocat: intra nomina paſſeris piſcis ab Ariſtotele comprænenditur.

Rhombus autem vox Græca, propriè figuram quadratam, & ſolidam ſignificat, cuius latera æqualia habentur, anguli verò omnes obliqui: ad quam ſanè figuram piſcis hic effictus eſt. Conſtat Martialem in hoc verſu exametrico

Quæ nunc Theſſalico lunam deducere Rhombo, intellexiſſe de figura mathematica, qua mulieres veneficæ, & ſortilegæ, in magiſteriis ſæpenumero ad Lunam deducendam, vtebantur: non autem de Rhombo piſce, quãuis epithetum addiderit, carminis cauſa, Theſſalico. Tibullus:

Hanc ego de cælo ducentem Sydera vidi. Scholiaſtes paulò aliter.

Ricinus κροτὸν, id eſt, cici officinis cataputia maior, palma Chriſti, Arabibus Kerua: vnde Myropolis oleum de Kerua nominatum: Græcis autem Cicinum κίκινον. Herba hæc paruæ ficus altitudine arboreſcit, folio platani, maiore, leuiore, & nigriore, ramis caulibúſque cauis, in arundinis morem: ſemine in vuis aſperis, quod corticibus exutum, ricinũ, vulgò lachon, in bobus, animal repræſentat, ex quo oleum nomine κίκινον, exprimitur, cibis fœdum, lucernis, emplaſtríſque vtile. ſemen hoc ad gr. triginta, purgatorium eſt. Dioſc. lib. iiij. cap. cxlv.

Rigor, vt Galenus finit, eſt motus multus, citus, & denſus: id eſt, numeroſas habẽs motiones, cum impetu, breue quoque habens quietis tempus. quod horror quidem omnia hæc habet, ſed remiſsiora, frigus verò ſine vllo motu in cute ſentitur. Acakia ſuper Gal. ad Glauc. lib. j.

Rhabarbarum, radix temporibus noſtris vſui medicinæ familiaris, miniméque operoſa: apud Scenitas Arabiæ legitur: vnde Rha Sceniticum AEgynetæ, & Actuario ſi cognitum, ita quoque appellatum. flauæ bilis purgandæ vim obtinet.

Rhacodes ſeu abſceſſus in pus verſio ῥακώδης, eſt quando cutis ita à pure ſinus eroditur, vt attritæ veſti ſimilis reddatur, vt poſtea medicamentis vis coäleſcat. Huius eſt interpres Acakia lib. ij. ad Glauc.

Rhinenchites, cornu eſt quo caput rebus infuſis per nares purgatur: vt hederæ ſucco per ſe, vel betæ ſucco cum exiguo flore æris, vel cyclamini ſucco mixto lactis momento, & huiuſmodi.

Ribes Arabibus, Groſelerius noſtras, cuius fructus racemoſus eſt, acidus, acerbus, frigidus ſiccus ſecundo ordine, ſitim extinguens. Frutex Gallis Celticis Poterium rubrum eſt: occurritque genus alterum, Rhamnum eſſe quidam volunt: quod Poterium fructu albo, eſt. Neque Serapionis tamen Ribes cum planta noſtra topiaria conuenit: fruticoſa ſiquidem & racemoſa ribes noſtra apparet: Serapionis verò herbacea imaginatur, & adhuc incognita nobis deliteſcit: at quæ noſtras inter frutices vſui eſt adſeruanda: de cuius etiam fructu Rhus, in conficiendis Sirupis, atque aliis prætera conditis elicitur.

Rimæ ſedis ῥαγάδες, ſunt quæ in muſculo anum claudente, Sphinterem nominant, aut in circulo, & extrema corona ani fiũt, ſimiles iis, quæ in labiis ob Boreæ fla-

tum aſperiorem, accidunt: aut ob acrium humorũ defluxum, aut inflãmationem, aut condylomatum, hoc eſt, rugarum, reduplicatis ani corpuſculis, præter naturam inſurgẽtibus, in extenſionẽ eueniunt. Curatio. author eſt Fuch. li. iij. de Med. mor. cap. xvj.

Robus ῥοβὸς, tritici genus pondere, & nitore præſtans: fitque ex eo grano panis candidiſsimus, & cibo pergratus. ὁ κάλλιστος πυρός, χόνδρος, ἤ εἶδός αὐτοῦ τι.

Robur δρῦς ἀγρία ἀλισφοῖος, quercus duriſsimæ genus eſt, cuius glans, quàm vulgaris quercus gratior creditur: arbor foliis nunquam decidua, ſed viridis ſemper proſpicitur. hac arbore abundat Narbonenſis Gallia.

Rodora Gallis appellata herba, ſcriptore Geſnero, nuſpiam apud Græcos, & Latinos authores tradita poſteritati: quæ iuxta populos infrugiferas naſcitur, caule inſtar ficulneæ virgæ articulato, foliis vrtice in medio albo quopiam maculatis, quæ proceſſu temporis tota rubent, flore argenteo: præcipua contra tumores, feruoréſq;, & collectiones, per ſe, vel cum vetere axungia tuſa impoſita.

Roratio ſiue niuatio ἡ ῥοάς apud Theophraſtum ſcribitur, quoties acini racemis defluunt: vulgus vinearum colluram & racemorum, iam flore excuſſo, dicit.

Roſa ῥόδον, flos, & roſalia, coronæ ex roſa, & roſarium, ſiue roſetum ῥοδωνιά, locus roſis cõſitus. Verùm roſa canina κυνόρροδον, frutex, & Græca, λυχνίς. quidã interpretãtur Rhodon inſulam à roſa ſumpſiſſe nomen, poëtarum figmẽta, pro hiſtoriis vſurpantes: quòd Auguſt. Eugubinus in fine libri ſui Coſmopeiæ apertè refellit.

Roſa canina κυνόρροδον, rubus vnguentariis Euglenterius appellatus: diſtinguitúrque ἀ κυνοβάτο ſpongias non producente: quas hic pro re medica gignit. Rubi canini ſpecies altera etiam inuenitur, quæ canina alioqui ſentis, humi fortè repens, opinatur: à qua quoque fructus, morus Celſi dictus colligi Myropolis ſolet.

Rotula ſeu patella μύλη, καὶ ἐπιγονάτις genu ſupræmum contegens, nominatur: hæc vſum mouendi crus, diducendíque & vires miniſtrat: quoniam ea ablata mouendi ampliùs crus ſiue genu ipſum ſpes tollitur.

Roſmarinus λιβανῶτις, frutex non ingrati odoris. Eum autem fruticem Plinius Libanotida ad Græcorum imitationem, vocat li. xix. cap. xij. his verbis Libanitis, inquit, locis putridis, & macris, ac roſcidis ſeritur ſemine. Radicem habet oluſatri, nihil à Thure differentem. vſus eius poſt annum ſtomacho ſaluberrimus. Dicitur itaq; Libanotis à Thure, quòd eius folia, & radix thus oleant maximè. Sunt autem ſpecies multę Libanotidis: vna enim ferax, quæ duplex eſt, mas & fœmina, folia habet Roſmarino noſtro ſimilia: ſed vmbellam gerit quemadmodnm Anethum, in qua vmbella, eſt Cachry: cuiuſmodi in canina roſa apparere ſolet, atque in ipſo Cachry ſemen complexum eſt. Cæterùm hæ duæ Libanotidis ſpecies nobis ſunt incognitiſsimæ. Eſt & alia Libanotis, quæ ſterilis appellatur, eáque ſimplex: ramos ſeſsiles habens, ac folia noſtro Roſmarino ſimilia: ſed neque ſemen, neque ſemina gerit, paſsímque apud Peſſularum Agatham reperitur. Eſt inſuper alia Libanotis nobis cognitiſsima, Galeno lib. vij. Simpl. Coronaria vocata, quòd ad coronas cõtexendas ſit vtilis, eámque, inquit, Romani Roſmarinum appellant. hæc C. Stephanus. Dioſco. li. iij. cap. lxx. & lxxj. Quære Libanotis, & Cachrys.

Rubia ſatiua ἐρυθρόδανον, tinctoria radix officinis eſt, vulgò garancea: cuius fructus ad capitis defluxiones, & dolores continuos miros in adſtrigendo, & retinendo habet effectus. Eſt item ſylueſtris rubia, vulgus ſtellariam herbam vocat Dioſc. lib. iii. cap. cxxxvij. Quære dict. Erithrodanum, & Aparine.

Rubigo ἡ ἐρυσίβη, morbus ſatorum è frigore & pruinis: in vitibus carbunculus. in aliis plantis vredo, & rubigo vel robigo. hinc Varrone authore libro j. Rei ruſticæ, Robigo dea, & Robigus deus, quem veteres crediderunt robiginem amoliri.

Rubus βατός, frutex ſpinoſus, Rura ronceam dicunt: Eſt denique rubi genus alterum χαμαίβατος, humile flagellis humi reptantibus, & crebro ſe radiantibus. Sunt & ſentes inoperoſè cultis paſsim reptantes, ronceas agricolis appellatas: & englenterius officinis vulgaribus herbariis. Iterum caninus rubus eſt, κυνόσβατος, quem Io. Agricola Cornum arborem exiſtimauit. Quære dict. Cynos batos.

Rubus

Rubus Idæus βατὸς Ἰδαία, vulgus Gallicum flãboyſiam: Allobroges Ampoyam: ſuo more dicunt. Plinius locorum ob infrequentiam ignarus, in Ida Phrigiæ ſylua naſci tantùm putauit, Dioſcoridis ſententiam ſequutus: ſed iam hodie vbique luxuriat, ac paſsim frequens habetur. Iuga montium inter dumeta colit, & amat: cæteris quoque Rubis aculeis mitior. nam ferè viduus reperitur. Dioſ. li. iiij. cap. xxix. & xxx.

Rumex λάπαθον, ὀξαλὶς, dictus agnoſcitur, quòd ſuccus eius acidus perinde ſeu ruma, id eſt, mamma ore exugatur. Oxalis tametſi ab hoc, cæteriſque priuatim, nomine & facultate ſeparatur. Rumicis genera ſuo loco diſtinximus in dictione Lapathum, & Oxalis.

Ruſcus ὀξυμυρσίνη, Myropolis, & herbariis peregrinis vocatur Bruſcus: Latinis ſylueſtris Myrtus, ſiue Ruſcum. folium producit myrti, latius in formam lanceæ mucronatum. baccæ per maturitatem rubeſcunt, rotundæ à medio folio dependentes, oſſeo intus nucleo. ramuli cubitales, fractu contumaces folioſi: radice graminis ſimili, acerba & ſubamara: qua vtuntur medici in decoctis variis ad vrinæ ſtillicidia, & renum calculos. Dioſc. li. iiij. cap. cxxix.

Ruta πήγανον, eſt & ſylueſtris ruta, ſatiuæ viribus potentior: itaque audenter hortenſi variis in antidotis quia mitior: & ad peſtillentes affectus medicamentorum remedium primum. Sylueſtris Ruta Moly, Beſanum, Beſaſa, & πήγανον pharmacopolis, dicitur. Hermolaus Syrin protulit. Gal. lib. viij. Simpl. & li. Compoſ. pharmac. ix. Dioſc. li. iij. cap. xliij.

Ruta muralis, noſtris etiam medicis hodie Saluia vita, atque hæc ab iiſdem inter Capillares adnumeratur. Sed quoniam frãgendi in renibus calculum vires ſufficientes habet, Saxifraga recto nomine appellanda venit.

Rubor oculi ταράξις, eſt oculi cum rubore humiditas, & calore præter naturam ex adnata membrana, non ex corpore, ſed adueniente cauſſa aliqua, veluti, fumo, ſole, puluere, aut alio aliquo oborta. Aliquibus ophthalmia ὀφθαλμία nõ vera, & perturbatio oculi nuncupatur.

Rufa vrina ſeu aurea, eſt quæ auro puro ſimilis apparet. Græci πυῤῥὸν nominant: & ſubrufa paulò tenſior eſt. Ea ſi ſic colorata meiitur, & concocta apparet, ſanitatem portendit. Quære dict. Subflaua vrina.

Ruptura, quæ ῥέγμα Græcis dicitur, in carnoſis muſculorum partibus ex diſtenſione proueniens, appellata eſt: cùm autem filamenta ſimiliter tenſa rumpuntur, conuulſio eſt. Galenus lib. de Conſtitut. Artis.

Ruptura oculi ῥῆξις, eſt vel ab ictu, vel ab alia quapiam cauſſa in alto integras membranas ſecans, vt humores etiam quibus adminiſtrandi viſum facultas datur, effundat.

Rarum, denſúmque vocabula non perinde euidenter ipſos corporis affectus ſignificant: duplex enim eorum nominum vſus obſeruatur, alter eorum qui propriè loquuntur, alter abutẽtium. At tantùm propriè dicimus quod poros magnos per totum obtinet: ſicuti contrà, denſum, quod paruos. per methaphoram autem hæc de laxo coctóque dici audias.
Galenus de Sanitate tuenda libro ſecundo.

De litera S.

Sabina βράθυ, potius frutex, quàm herba, quæ ῥοδοδένδρος quoque Græcis cognominatur: duplex inuenitur, mas quæ fructum cypreſsi ſimilem profert: & fœmina, quæ ſterilis eſt: vtriuſque folia arida & in pollinem ducta antiqua vlcera ſanant, nomas ſiſtunt, collectiones illi- ſu mitigant: & cum melle nigritias ſordéſque repurgant: ſuffitu fœtus trahunt. Dioſco. li.j.cap.lxxxviij.

Sacchar σάκχαρ, eſt velut liquor mellitus in arundinibus maritimis collectus, & ſpiſſamenti modo candidus; deinde arte vt concretus. Quod autem ad nos ex India vehitur Sacchar, à regione Indum officinis nominatur, vi ſolis gutta extra cannas extracta & denſata. Similiter Arabum ſacchar, quod Zucharam ipſi vocant, re ipſa eſſe apparet, ſolo differens compoſitionis modo per coctionem, & expreſsionem: Varroni Maſsilienſi his verſibus, qui eidem authori referuntur, cognito, dum ait:

India non magna nimis arbore creſcit arundo,
Illius & lentis premitur radicibus humor:
Dulci cui nequeant ſucco contendere mella.

Dioſcorides libro primo, capite ſeptuageſimoquarto: Eſt & aliud concreti melli genus, quod Sacchar nominatur. In India verò, & felici Arabia in arundinibus inuenitur. ſalis modo coactum eſt, dẽtibus, vt ſal, fragile. aluo idoneum, & ſtomacho vtile, ſi aqua dilutum bibatur. vexatæ veſicæ, renibúſque auxiliatur. hæc Dioſcor. Repete dictionem Melaërium, vel Aërium mel.

Sambucus ἀκτή, frutex qui arboreſcit: cuius ſemen poſt maturitatem in tingendis telis, aptiſsimum: & acini qui intus inueniuntur ad aluum exonerandam purgandámque triti & potu mediocriter exhibiti iuuant. Eſt præterea Sambucus humilis χαμαιάκτη Græcis, Ebulus Latinis: quæ facultates quas habet Sambuco æquat: niſi hæc fuerit acinis in purgando pronior, radicéque in medendi vſu ob id etiam aua ra manu admittenda eſt. Quære dict. Ebulus.

Sacculi ſunt quæ veteribus fomenta arida appellabantur: componuntur autem ex radicibus, floribus, herbis, ſeminibus, quæ coquũtur ex aqua & vino, dein expreſſis ſicci apponuntur ſacculi. Quære dict. Fomenta.

Sacer morbus Epilepſia eſt, aliquibus conuulſio. Hippocrates ſacrum quoque morbum magnum vocat, vt ardentem febrem, & peſtilentem: quod Græcis nimirum ſit magnos morbos, ſacros, & res magnas, ſacras: hoc eſt, execrabiles, vſitatum dicere. & apud Vergilium, *Auri ſacra fames.* Quære dict. Epilepſia, & Conuulſio.

Sagapenum σαγάπηνον, ferulaceæ herbæ ſuccus Dioſcoridi eſt, Galeno frutex ferulaceus, ex quo is ſuccus Sagapenum nomine, fluit, deſcribente lib. viij. Simpl. Plinio verò quod in Italia gignitur, in totum tranſmarino alienatur: illud enim Ammoniaci lachrimæ ſimile, Sagapenium vocatur: Myropœis Serapinum. Quere dict. Ammoniacum.

Sal Indus, Arabibus Zuchara eſt, quem Io. Agricola contra Leonicenum Dioſc. eſſe Sacchar contendit, non è genere ſalis, quod cibis admiſcetur: ſed mellis roris, vel aërij. Repete paulò ſuprà dict. Sacchar.

Sal ἅλς, vt regionum profert diuerſitas, ſic cum denominatione, ſuas vires demonſtrat: ſal enim foſsilis efficacior eſt, cõmuniter, ſi eſt candidus, calculis vacans, & perſpicuus, dẽſus, æquali cõpage. peculiariter Ammoniacus natione laudatur, ſi modò fundi facilè poſsit, & in recta ſegmenta diduci. In marino ſale eligendus eſt, cãdidus æqualis, dẽſus. Salis natura in cõmune perquam vtilis eſt, adſtringit, abſterget, ex purgat, diſsipat, reprimit, extenuat, & cruſtas inducit. ſed hoc inter eſt, quòd alius alio ſit preſtantior. quin & à putredine vindicat, medicamentíſque admiſcetur.

Sal foſsitius, vulgò ſal gẽma, ſal nitri, officinis ſal petræ, ſal Armeniacus, qui & foſsitius: ſal alkali, id eſt, axungia vitri Aromatariis, quæ fex materiæ, de qua vitra conflantur, cæteráque corpora dyaphanica, eſt: vulgò autem ſal vitri. ſal Ammoniacus ſimilis ſchiſto lapidi: & omnium laudatiſsimus ſal marinus, qui in vſu frequentiſsimo hominibus habetur.

Salſus ſapor, terreus, calidus, hinc digerit, deterget: illinc cogit, contrahit, denſat, vtroque ſiccat, & ſalſa à putredine vindicat.

Salar, Trutta noſtra vulgaris eſt: cui tergus guttis purpureis diſtinctũ eſt, inter piſces Saxatiles concoctu facillimus: ob id quoque delicatiſsimus menſis magnatum deprænhenditur.

Salis flos, aliquibus maris, lacuum, & Nili fluminis ſpuma, quæ ſuper his innatat. aſſumendus qui crocei coloris eſt, odore ingrato, ſeu gari. interdum longè magis virus olet, guſtúque mordacior, & pinguiter lentus. qui ſyncerus non niſi oleo reſoluitur, alioqui impurus notatur. Ad vlcera, quæ cacoëthe vocantur, & phagedænas, genitalium nomas, & purulentas aures, efficax eſt. Dioſc. li. v. cap. lxxvij. Galenus li. xj. Simpl. ſpumã ſalis ab eiuſdem flore dinſtinguit, ἅλος ἄνθος, καὶ ἅλος ἄχνη, vtrunque nominans.

Saluia noſtras ἐλελίσφακος. quæ differt à Sphacelo Græcorum, quia folio maiore, ſqualidiore, ſcabrioréque conſtat, Saluia agreſtis exiſtimata eſt: noſtras verò breuiore, leuioréque folio eſt: atque ex Theophraſti verbis noſtra Saluia francha Sphacelon exprimere videtur. Gal. lib. vj. Simpl.

Salamandra lacertæ genus eſt: iners, varium. quod fruſtra creditum ignibus non vri. hæc ad certum vſque terminum ab igne nihil patitur, vritur autem ſi longiore ſpatio igni ſit admota. Gal. Temperament. li. iij.

Sagitta τὸ κλήματος μέρος ἔσχατον, καὶ ἀπόξυ, purulẽtioribus ruſticis, id eſt, nouiſsima pars ſurculi, ſiue quia longiùs à matre receſsit, & quaſi ecuit, atque proſiliuit: ſeu quia cacumine attenuata prædicti teli ſpeciẽ gerit, vocata eſt. hæc Geſnerus.

Salmaris herba πύρεθρον, quòd ſaliuam oris eliciente feruore cieat, appellata: officinis pes Alexandrinus, hortis Gallicis familiaris. Stargónque olitoribus, quòd nimirum eſu ſaliuam moueat, dicta: & acetariis non parum commendata. Dioſc. lib. iij. cap. lxix. Quære dict. Pyrethrum.

Salinucam Geſnerus Nardum Celticam, vel Gallicam, κελτικὴν νάρδον, exiſtimat: quam Satureiam Columellæ & Cunilam, eandem eſſe herbam, vel plantam facit. Dioſcorides libro primo, capite ſeptimo, duo ſcribit genera: vnum naſcitur in Liguriæ Alpibus, Salinuca patrio nomine appellatum, iucundi odoris. alterum montanum, quod ab aliquibus Neris appellatur. neque caulem, neque fructum, neque florem profert: atque ad eadem ad quæ Celticum efficax. Quære dict. Cunila, Neris, & Nardus Celtica, ſiue Gallica.

Salix arbor ἰτέα, neque infrugifera, cùm ad multa remedia foliis viridibus, tomento, & ſemine vtilis experiatur. Eſt & Amerina ſalix, cuius tradidimus rationem loco ſuo deſcriptam. Dioſc. lib. j. cap. cxvij.

Salmo, piſcis ex mari fluuiatilis, ſquamoſus, carne firma, vt boum, rubra, cibi delicatiſsimi quibus facit ad palatum, exiſtimata. Frequens eſt hic piſcis in Ligeris ad Rhodanum vicum, oris, vt copia charris Lugdunum Galliarum vrbem longè mobilem, recens vehatur.

Salpa ἡ σάλπη, piſcis ab Ariſtot. li. v. de hiſtoria animalium, & ab Athenæo Dipnoſophiſt. li. vij. deſcriptus: ſed cuius tẽperamenti, facultatíſq; ſit, aut magnitudinis, & figuræ, adhuc me neſcire fateor. Quęre Gillium de Piſcium Gallic. notitia.

Salicaſtrum ἀμπέλου ἀγρίας εἶδος, id eſt, ſpecies vitis agreſtis, in ſalictis quæ naſcitur: ſimilis viti ſylueſtri cauſticæ: recentioribus, flãmula Iouis appellata. hæc Geſn.

Salutis, & mortis ſigna alterius generis in morbis ſunt, quæ nimirùm cum vrina, alui excrementis, ſputíſque excernuntur: facilis ſpiratio, leuis tollerantia, bonitas pulſuum, facilis ſomnus, facies ſimillima ſanis, decens decubitus, ſudor, & iis contraria:

quæ ſingula ex Hippocrate in præſagiorum libris ſunt petenda. Tertij generis indicatoria ſigna dicuntur ἀποσκήμματα, & horum quidem natura duplex eſt: aliqua enim tanquam cauſæ & ſigna ſunt, vt vomitus, excrementa alui, & huiuſmodi. Aliqua verò tanquam ſigna ſolùm habentur, vt delirium, vigiliæ, & huius generis alia: quæ omnia indicatoria ſigna, & κριτικά appellantur. Secundum verò eorum propriam ſubſtantiam conſiderata, quatenus ſcilicet morbos ſequuntur, Symptomata indicatoria nominantur.

Sandix, color eſt qui fit ex ceruſſa, ſed primùm ex ſandaracha vſta, & ex eadē toſta cū æquali rubricæ parte in Sādicem vertitur. quanquā ex Dioſ. Galeníq; lectione Sādix ſtatim ex Ceruſſa vſta redditur, Aëtius li.ij.cap.lix. Potuit quandoquidem fieri vt apud Vergil. AEgloga tertia pro Sādice Scandix legeretur: cùm de herba minimè que de colore certaret. quapropter deceptus fortè Plinius lib.xxv.cap.xvj. Vergiliana lectione, pleriſque cum Seruio, errandi cauſam tradidit.

Sandaracha, non ſolis natalibus, ſed etiam tota natura affinis, vt coctione ſola naturæ videatur hæc arſenicum vincere: id enim vſtione Sandaracha fit, vt Ceruſſa trita, mota, probè vſta, in Sandaracham tranſit pictoriam, Vitru.lib.vij.authore. Ad hæc Sandaracha licet rubra ſit, aqua tamen ſoluta luteum colorem intenſum facit: floridum autem colorem luteum reddit Arſenicum: quod Chymiſtis abſolutè eſt album naturale & foſsicium. Vide ne cum Arabibus Sandaracham voces gummi Iuniperi, neuè vires illius huic attribuas. his plura Syl.lib.j.de Medicamen.ſimplicium natura. Dioſc.li.v.cap.lxxj. & li.vj.cap.xxix.

Samara ὁ τῆς πτελέας καρπὸς, hoc eſt, vlmi arboris ſemen, vt ſcriptū reliquit Geſnerus: verū Fraxini ſuſpicādum, vlmus noſtras in foliis ad veſicæ ſimilitudinem poma profert, in quibus liquor continetur, referente hæc etiam Dioſcoride, medicamentis vtiliſsimus. ſemen præterea nullum animaduerti. Dioſc.lib.j.cap.xcv.

Sampſuchus, & Sampſichum σάμψυχον, id eſt, amaracus, maiorana: Rura interdum Origanum maioranam lentiorem, ſed abuſiuè, vocant: medicis aliquibus Maron. Dioſc.li.iij.cap.xliiij. vbi Sampſuchus, Maiorana, & Amaracus pro plāta eadem vſurpatur. Quære dict. Maiorana, & Amaracus.

Sanamunda notitiæ vulgaris herba eſt, quæ alioqui Garyophillata, & pentaphyllon, herbariis poſterioribus denominata: atque ab olitoribus, culinariiſque in acetariorum venit vſum penè quotidianum. Quære dict. Pentaphyllum.

Sanicula herba, ex pentaphyllorum genere non eſt, quamuis ſic voluerit Ruellius: quæ ſi priſcis authoribus cognita non legitur, nouum nomen agnoſcat oportet: quale iſtud quod recens ei à Gallis traditur. vulnera agglutinat tuſa, & impoſita. pro amuleto mulierculis Pariſinis ſuſcipitur.

Sanguis purus ac ſyncerus, eſt calidus, humidus, & dulcis. ſanguis namque intelligendus eſt animalis ſecundum naturam habentis: nam is verè ſanguis eſt. Melancholicus, aut picrocholus, aut pituitoſus, aut ſeroſus, aut putridus, ſanguis eſt mixtus ex ſanguine vero, & ſucco, aut ſanie illi permixta. Gal.lib.x.Simpl.medi.

Sanguis naturalis ſiquidem eſt, reliquis humoribus, qui illi commixti ſunt, dominatur, & ſanguis ſimpliciter dicitur: ſed ſi præter naturam affectus fuerit, ipſe ab vno, aut à pluribus ſibi mixtis humoribus ſuperatur, & non ſimpliciter, ſed cum adiectione, vel ſanguis bilioſus, vel pituitoſus, vel melancholicus, appellatur.

Sanguis naturalis, vnus eſt qui in venæ ſectione, & vulneribus vacuari videtur: hic quidem pituitæ, & bilis vtriuſque, à dominio ſic appellatus, particeps eſt. Alter autem purus, & ſyncerus eſt, nec cum humoribus aliis mixtus.

Sanguinis naturalis color ruber eſt, & eius loci conſtitutio, venæ, & arteriæ: diſtat tamen ſanguis, qui in arteriis eſt, ab eo qui in venis habetur: eo quòd calidior, & magis tenuis, flauiórque exiſtat, Galeno teſte libro primo Locorum affect. capite primo, atque eiuſdem ſanguinis officina, ac primarium inſtrumentum iecur exiſtit: authore eodem Galeno lib.iij.de Vſu partium.

Sanguis facit moderatos, ridibundos blandos, venuſtos, ac floridos: ipſius quoque

vſus,vt nutriat,& dominatur ab hora noctis nona,vſque ad horam diei tertiam.

Sanguinis profluuiũ à naribus euacuationis genus quidem eſt,quod præcipuè ce rebri obſtructionibus,à capitéq; deſtillationibus confert,multóſq; alios morbos indi cat. Gal.de Criſibus lib.iij.Fuch.curationis author eſt de Meden.morb.li.j.cap. xxix.

Sanguinis profluuij narium ſigna ſunt hęc,ſplendores ante oculos ob humorem flauum apparentes,hebetudines,ſpontaneæ lachrimæ ob fluxus multitudinẽ: rubor in malis,& naribus apparet:hypocondriorum ſine dolore tenſio: ſpirandi difficultas: & capitis graues dolores,calidi & pulſantes.

Sanguinis ex veſica eruptio,eſt quæ fit interdum vena in veſica rupta, & ſanguinem foras mittit, partim intus in grumos denſat: poſt verò æger pedetentim animo linquitur,ac palleſcit,pulſúſque languidos habens mœrore refrigeratus angitur, & viribus deſtituitur.

Sanitas,de Symptomat. Gale.authore eſt naturalis affectus functionis effectrix: nec inter eſt,an affectum ſtatum-vè,qui actionem efficiat,dicas,an actionis cauſam: ſimiliq́ue modo nec ſi illud naturale auferes,quicquam refert.

Sanitas,æquabilitas primorum quæ nobis inſunt humorum, ex calido, frigido, humido,& ſicco temperatis,ſymmetria:inſtrumentalium verò partium ex commoda magnitudine,numero,forma,& ſitu conſiſtit. Acakia ſuper lib.j.Galen. ad Glauconem.

Sanguinaria herba πολυγόνον,duplex ex Dioſ.lectione inuenitur: mas ſeu polygonum:& fœmina ſiue polygonatum:quarum ſuo loco petes dict. Polygonum.

Santalum lignum,σάνταλον:triplex officinis oſtentatur,candidum,rubrum,& luteum,vulgò citrinum appellatum:quod quidem Aſpalathi,quã ſui generis ex nomine,lignũ creditur:in quo etiam calida nõ frigida facultas experitur. Græci neoterici, qui de re medica ſcripſerunt,cum Arabibus,poſterioribus Latinis memoriæ prodiderunt:& India ad nos vehitur. Syl.de Medic.ſimpl.nat.lib.j.

Sapa ἕψημα,καὶ σιραῖον,eſt quæ fit ex muſto ad partem tertiam decocto: quod defrutum appellari tradit Pli.lib.xiiij.cap.ix. Quære dict. Muſtum.

Sapor,eſt ex quo medicamentorũ temperatura,vt in variis cibariorũ generibus, deprehenditur:vt qui vel adſtringens,vel auſterus,vel acerbus,vel acidus, vel dulcis, vel amarus,vel ſalſus,vel acris eſt. Adſtringentia,auſtera,& acerba, atque acida exactè,hoc eſt,nulla ſenſu notabili alia qualitate participantia,omnia frigida ſunt.

Saphatum ἀχῶς,eſt malum tenuibus admodum foraminibus capitis cutem perforans,è quibus glutinoſa ſanies excernitur.hoc mali genus in pueris plerunque fit, & à tinearum in veſtibus ſimilitudine,tinea capitis nominatur.

Saphyrus,precioſus lapis,qui potus ictos à Scorpio iuuare creditur:inteſtinorum vlcerationes potu emendat. Saphyrus melior ex cæruleo, flauus ſeu cæruleus ex purpureopuluere aureo interſperſus,ſeu nubibus obſcuris,& ſubrubris:ob id ſubobſcurus eſt melior perſpicuo. Dioſco.libro quinto, capit. nonageſimotertio. Gal. Simpli. lib.nono.

Sapinea στέλεχος ἐλάτης τὸ κατώτερον, ὁ μαλῶν, καὶ χώρις ὄζων τράχυτῆτος,hoc eſt,inferior abietis pars,enodis. Vitruuio ita ſcribente:cuius pars ſuperior ſuſterna appellata eſt.

Sardis,lapis precioſus,vulgò cornalinus,colore ruber, craſſus, tranſparens, paruus:cui ſi candor ſeu vnguis miſcetur, Sardonix dicitur. exhilarare,& ingeniũ acuere creditur.

Sarcocolla σαρκοκόλλα gũmi genus arboris Perſicæ orbi noſtro incognitæ. Dioſc. hæc refert,Sarcocolla,lachrima eſt arboris in Perſide naſcentis,pollini thuris ſimilis, rufa,guſtu amara.emplaſtris inſeritur. Gal.lib.viij.Simpl.

Sardonia herba βάτραχιον ἕτερόν,id eſt,Apiaſtrum:cuius genera plura ab Authoribus deſcribuntur:ſicuti adnotatum in dict. Ranunculus reliquimus.

Satyrion σατύριον,quod & triphyllon officinæ ſub teſticulo ſacerdotis adnumerant.eſt & erythroneum ἐρυθρόνιον ſatyrij genus,lini ſemine maiuſculo,& firmiore

quàm viticis, nitido,ac leui:ex Plinio fertur in montium iugis inueniri. Satyrion ite rum Indicum ſub Bucheidis nomine,& ſub Syri herba:cuius notitiam nondum legi. Ex Theoph.& Ruellio plura recenſuit Geſnerus.

Satyrij genus eſt tertium,βασιλικὸν σατύριον ita Græci vocant. Latinorum offi cinæ Chriſti palmam,foliis nigra plumbagine maculoſis,reliqua ſuperficie cynoſorchi ſimilis:cuius radix inſtar manus effigie ramoſa foditur. Galliarum Myropolæ Cicum,id eſt,Keruam herbam, Latinis Ricinum, à folij figura etiam palmam Chriſti nominant.

Satureia τύμβρα,rura ſauoream,& ſarrietam.plebeij autem maioranam Anglicam,vocant. Deſcripta eſt in dict. Cunila.

Saxifragum σαξίφραγον Dioſcoridis,iudicatur Ruell.ea, quæ noſtro ſeculo Saluia vita,vulgò parietaria,vocatur:multis tamen,& recentioribus herbarum ſcriptoribus plures eodem nomine inſigniuntur. σάρξιφαγον Græcorum à noſtra vulgari Saxiphraga diuerſum eſt,tamen vtrunque calculos confringere certiſsimum : quod eſſe Betonicam ſiue Ceſtrum ex Dioſc.& Galeno affirmat Syluius : quinetiam à ceſtro Betonicam lib.v. Sanitatis tuendæ videtur ſeparare Galenus.

Satietas πλησμονή,ex cibi abundantia eſt : quæ duplex deſcribitur ſic à Galeno Aphoriſ.lib.ij.comment.xvij.vna ad vaſorum amplam capacitatem,vt hinc diſtendi ventriculum contingat:altera ad virtutem,vbi ſcilicet plus cibi ingeritur quàm natura,aut facultas corpus noſtrum gubernans ſuperare poſsit.

Sarda,& Sardinas ex hoc dictas Galenus putat, quòd ex Sardinia importentur, vt coniicit Scholiaſtes:verùm quo argumento ductus,tacet: cùm genus hoc piſciculorum in mari Maſsiliotico venetur copioſiſsimum. Recens concoctu facilis hic quidem piſcis eſt:qui ſale conditur,difficilior.

Scirpus σχοῖνος ἕλειος,id eſt,iuncus paluſtris & enodis : cuius genus multiplex enumeratur:vnum σχοῖνος ἀνθὸς,id eſt,Iuncus odoratus à flore: officinis palea Chamelorum appellatus. Quære dict. Iuncus.

Scammonium σκαμμωνίον, καὶ δυακρύδιον,herbę Scammoniæ ſuccus, appellatũ: aliquibus verò lachrima,neque tamen arboreus frutex,ſed in totum herbæ plãta eſt: à cuius radice vulnerata primum lachrima, deinde contuſa ſuccus exprimitur, noménque poſtea herbæ retinuit:vt tandem Scammonium, & diacrydion idem dicatur. Dioſc.lib.iiij.cap clij.

Sarcoticum,id eſt,carnem gignens in cauo vlcere,eſt ſiccum gradu primo, detergens modicè & ſine morſu,non adſtringens:vt hordei farina,thus,& quæ plurima lib. Methodi à Galeno deſcribuntur,& Simpl.li.v.

Scandix σκάνδιξ,in genere ſylueſtrium olerum eſt Græcis,gyngidio,id eſt Cheræphyllo,ſimilis:amara,ſubacris:in cibos cocta vel cruda admittitur,eſtúrq;.Inter ſegetes ſub nomine Acus paſtoris,& pecten veneris,quod in vertice corniculato acus aut pectinis repræſentet effigiem,appellatur. Dioſ.li.ij.cap.cxxxij.

Scabioſa ψώρα Aëtij quibuſdam imaginatur,non autem Stœbè antiquorum, officinis Iudaica herba nominata. Ruell.li.ij.cap.cxlij.

Scapus καυλὸς ὄρθειος,caulis Latinis dicitur,vulgò grappa racemi,& aliorũ fructuũ corymbantiũ,ſi in ſtyli modũ ſurſum prorepat,aut in altum feratur.

Scarificatio συκασμός,eſt quæ quoties in aliqua corporis parte inter cutem & carnem ſanguinẽ impurũ,cute priùs diſcecta cultro raſorio,id eſt,nouacula, & cucurbitula loco affixa,quantum par eſt,detrahimus:quam laudat plurimùm Gal.in lib. de ſanguinis miſsione per venas. Quære dict. Sycaſmus.

Scariola ſeu ſeriola, Sonchi ſpecies minùs ſpinoſa Manardo videtur: aliis à ſeride, id eſt,Cichorio nomen,deprauatum. Vtut eſt,inquit Syluius,cùm hæc omnia cichorij ſint differentiæ viribus affines,vnum pro reliquis ſumi poteſt.

Scincus Dioſ.deſcriptione li.ij.cap.lix. Crocodillus terreſtris,non Niliacus,eſt:quẽ vulgus officinarum Stincum vocat,& Lacertam aquatiquam Scincum eſſe opinantur:deceptíque ea pro Scinco vtuntur.

Sciſt

Sciſtus, Galeno Compoſit. pharmaco. lib. iiij. lapis eſt, Hematites lapidis vim perſimilem, ſed infirmiorem habens. Dioſc. lib. v. cap. xcj.

Scyllæ σχοῖνος bulbi genus vnum Hipp. ſic nominatum, vt interpres eſt Galenus: nam Scylla σκίλλα, quæ Varroni Squilla dicta eſt, retinuit apud poſteros nomē: aliquibus Cepa marina, quia ibi frequentiſsima, hoc eſt ad maris ripas, naſcitur, & ad multa vtilis remedia colligitur, vim acrem atque feruentem habens. Dioſc. lib. ij. cap. clxiiij. Quære dict. Pancratium.

Scitale, ſerpentis genus, varietate tanta tergoris notarum gratia præfulget, vt ipſum ſe videntes ab itinere retardet: calidus adeo exuuias non vt ad ver, aut autumnum, quemadmodum ſerpentes cæteri, ſed hyeme deponat. Lucanus poëta:

Et Scitale ſparſis etiam nunc ſola primus
Eximias poſitura ſuas. &c.

Scabies ſeu pruritus palpebræ ψωροφθαλμία, pruriginoſa palpebrarum ſcabies: σκληροφθαλμία verò durities eſt, & difficilis cū dolore & rubore citra humiditatē oculi motio: ξηροφθαλμία autem, eſt pruriginoſus ſine fluore palpebrarum affectus, qui lippitudo arida dici quidem poteſt.

Scapulæ ſeu ſcoptula, ὠμοπλάτται, poſt thoracem opertæ, ſitæ ſunt: atque ipſarū proceſſus ſuperior, & vertex ἀκρώμιον, quaſi ſummus humerus, nominatur. Ceruix ſeu collum ſcapulæ eſt quod in acetabulum definit. Sceletos σκέλετος, eſt humani corporis oſsium inuicem cohærentium vniuerſa compactio. Gal. in lib. de Oſsibus.

Scientia, eſt habitus præceptionum, opinionem firmam, & immutabilem ſub orationis forma appræhendens, & nunquam à ratione aberrans. vel, Scientia, eſt conueniens, firma, & nunquam à ratione declinans, cognitio: vt eſt author Gal.

Scirrhus σκίῤῥος, tumor eſt præter naturam doloris expers & durus, ſed non ſine ſenſu, niſi exquiſitus omnino ſit. Gal. ad Glaucon. lib. ij. & lib. v. de Simpl. medic. facult.

Scolopendrium σκολοπένδριον, ἄσπληνος, aſplenium, vulgò ceterach: referēs Schenilíæ vermis villoſi imaginem, Græcis σκολοπένδρα nominata, herba ſubinde nomē retinuit. Scrib. Largus herbam σκολοπένδριον Calciphragam eſt interpretatus capit. cl. ad calculos expertam. Quære dict. Aſplenium.

Scolymus σκόλυμος, carduus ſylueſtris, vt Cinar altilis: ſed Dioſc. à Cinara Scolymum diuidit ſubdiuerſis capitibus. vide quæ reſtant in dict. Atractilis, & Caucalis.

Scombrus ὁ σκόμβρος, ex genere lacertorum eſt: qui & Lacertus aliquibus mare incolentibus: aliis Auriolus: Lutecianis verò populis Macareus eſt appellatus: boni ſucci, plurimíque alimenti eſſe creditur: ob id etiam εὔχυλον Hiceſius apud Athenæum appellat: hæc Scholiaſtes.

Scopa regia βούνιον, eſt caule quadrangulo, apij folio, flore anethi, ſemine odorato: quam violam flammeam, & ſideritim, quæ latiſsimo eſt folio, appellauit Plinius. Gallis Carpentariam exiſtimat Ruellius dictam, quòd Carpentariis ad vulnera curanda expetatur. Scopa regia Scrib. Largo oxymyrcine, id eſt, Ruſcus, interpretatur.

Scoria, eſt metallorum omnium ſpurcitia, recrementúmque, & velut ferri ſtercus, cæterorúmque metallorum: Rubigo ferri, ſicut ſcoria plumbi propriè dicitur. Reſtringit rubigo, ſiſtítque fœminarum profluuia admota: potúque præſtat ne cōcipiant. Dioſc. lib. v. cap. xlvj.

Scordion σκόρδιον, Latinis Triſago, & quercula paluſtris, vocatur: ex Myrepſo Fuch. ſic ſcribit, Herbula eſt Scordion virgulas mittens quadratas, rectas, oblongas, folia adſtringentia, florem rubicundum. ſcordium dictum eſt ab odore. & acrimonia Scorodi, hoc eſt, allij ſatiui, & ſegetalis. Eſt & Scordiotis, quaſi Alliaria herba dixeris, cuius folia cùm primùm emicant, circinatæ ſunt rotunditatis, violæ nigræ ſimilitudine, verùm adulta in angulos exeunt, allij odoratu cùm teruntur. Trita herba adeo allium redolet, vt in iuribus pro eo ſuſtitui cœperit: inde nomen ei dederunt officinæ.

Scoro

Scorodum σκόροδον,allium ſatiuum, agreſtéque eſt : vtrumque notitiæ vulgaris: differtque à Scorodopraſo σκοροδόπρασου,allij porríque promiſcuam naturā referens.coctum dulceſcit,& porri modo eſtur.officinæ allium porrinum appellant.

Scorpius ſiue Nepa σκορπιός,ſemen habet ad ſimilitudinem caudæ Scorpij animalis,& folia pauca.Eſt alia denique nominis eiuſdem,effectúſque, ſine foliis, aſparagi caule,in faſtigio aculeum habens:cui inde nomen.Eſt item Scorpioides,quæ differt à Scorpiuro,hoc eſt,helyotropio,ab effigie ſcorpij caudæ,quæ in floribus habetur:quanquam & hoc nomen Scorpioidi tribuitur. Iterum eſt Scorpis, ſeu ſcorpidiū Nic.Myrepſo herba,quam nomine alio metipſe Ceterach, vt Pharmacopolæ,herbariíque vulgares,appellat.Quære dict.Nepa.

Scrotum ὁ σχεὸν,commune vtriuſque teſticuli,omniúmque interiorum velamētum,quod rugoſum apparet:& morbi qui in eo proueniunt,ſpeciatim ſuis locis deſcribuntur,ſub differentiis hydropiſis.Eſt & Scrotum animalculum,nomine alio Ricinus,cuius repete dict.

Scotoma σκότωμα,malum eſt in quo obtenebrationes,hebetudinéſque oculis obuerſantur,& omnia circumagi,& rotari videntur : nomine alio Vertigo hic morbus appellatus.Quære dict.Vertigo.

Sebaſti σέβαςοι,καὶ μύξα,Romanis Myxaria in honorem Auguſti dicta: retinuerunt quoque fructus & hi nomen Sebeſte Myropolis.Quære dict. Myxa.

Secale ζρυζα ex Galeno,eſt & quorundam recentium ſententia,vna ex trita litera,Secle,vulgaris notitię triticum,à frumento nobili grano tamen diuerſum : quanquam genus omne frumentationis,loco farris ſæpe repoſuit Cæſar Iulius in Commentariis Gallicis.Plinius paulò aliter granum hoc quàm poſteritas,deſcribit.

Secta αἵρεσις ,eſt dogmatum plurimorum ad ſenſus artificioſè compoſitorum, quæ ad finē vnum referri poſſunt:ſed adeo inoleuit odióque habetur hoc nomē hæreſis iſto ſeculo,vt ſuſpectum veniat hominibus ignaris, minimè verò probatis, ſi de controuerſia quandoque certandum eſt.

Sedes affecta partium corporis humani,& ipſius diſpoſitio,qua via, & ratione ſimul cognoſci poteſt,tractat fuſiſsimè Galenus libro ſecundo,de Loco.affect. notitia, capit.tertio.

Securidaca ἡ δισαρὸν,πέλεκινος, hedyſarum ſcriptoribus noſtris ſuſpicatur: officinis faba lupina,herbum,& grana,nominum diuerſitate appellata, confuſa legitur. Dioſc.lib.iij.cap.cxxiiij.

Sedum ἀείζωον μεῖζον, triplex eſt idem nomen retinens, id eſt, ſemper-viuum maius:alterum medium Thelephyon,id eſt,faba inuerſa,vt aliquibus placet: Geſnero vermicularis,& cauda muris vſurpata eſt.Intelligendum ſuſpicor de minore Sedo,cuius vnum excalfactoriæ facultatis,& alterum frigidæ,depræhenditur : tertium Sedi genus.Quære dict. Aizoon.Dioſ.lib.iiij.cap.lxxiiij.

Secunda ſeu ſecundina χορίον,membrana tertia eſt,quæ extrinſecus circumpoſita eſt,tenuis quidem,verùm fortis,totam integens vuluam interiorem.

Selago πόα τὶς ὁμοία βραθύι,id eſt, ſimilis herbæ Sabinæ : hanc, inquit Ruell, contra omnem perniciem habendam prodidere Druydæ Gallorum,& contra omnia oculorum vitia fimum eius prodeſſe.

Seli Hippocrati,σέσελι Græcis,& Latinis nominatur:triplex reperitur, vnū Maſſilienſe laudatiſsimum:alterum AEthiopicum:tertium Creticum. Dioſco. libro iij. capit.quinquageſimoprimo.

Selinum σέλινον,apiū vulgare aliquibus eſt,quod petrapiū, & petroſelinū, id eſt, perſillum vulgare peritioribus medicis depræhenditur.Quære dict.Hypoſelinum.

Semodius,menſuræ genus,libras viginti quatuor capit:ſelibra verò, id eſt, libræ pars dimidia,quæ & ſemis dicitur,ſcrupula habet centum quadraginta quatuor.

Seitargum ſeu ſtarchon Indum,Lepidum vult eſſe Syluius:alij Iberidem malunt: ſed viribus parum variant,vt etiam cardamomum, & cardamine pro his poni poſſint.Quære dict.Iberis.

Semen

Semen σπέρμα, eſt quod à cerebro, ſpina dorſi, arteria & vena, excernitur, & per prolifica vaſa in genitalia, vt elaboretur, demittitur: quod fit idem de muliebri: ſed retentum vt in viris, non eiaculatur, ſicut author eſt Gal. in lib. de Semine.

Semen humanum gignentia & prouocantia, ſunt calida, flatuoſa, bene nutrientia, vt bulbi, fabæ, ſcincus, Satyrion, eruca, gallinacei teſtes: extinguentia verò, ſunt refrigerantia, corrumpentia, deſiccantia, omnibus ſubſtantiis contraria, vt nymphæa, Sic ruta, agnus-caſtus, qui eſt vitex, ſuo calore ſeminis ſubſtantiam conſumunt: ſed ſupprimunt frigida alimenta, & medicamenta ſumpta, aut admota, vt lactuca, blitum, portulaca, ceraſum acidum, & huiuſmodi.

Seminis profluuium γονόῤῥοια, eſt excretio ſeminis præter voluntatem, citra pudendi tentiginem: fitque ob retentricis in vaſis ſeminariis facultatis imbecillitatem, aut ob aliud malum, quod ſeminariorum vaſorum partes eodem modo, quo expultrix ſecundum naturam facultas mouet: velut in comitialibus, & aliis violentioribus conuulſionibus, contingit.

Semitertiana, eſt febris continua quæ ad integritatem nunquam quidem deducitur: nec diuturnior febris eſt, quòd Agathinus medicus putauit: vt docet Gale. lib. ij. de Differen. febr. capite decimo, & vndecimo. Quære dict. Febres.

Senecio ἠριγερῶν, vulgaris notitiæ herba eſt: cauliculo cubitali, ſubrubeo, foliis continuis, diuiſura erucæ: luteis floribus, qui celeriter vaneſcunt in pappos. Tota herba cruda, coctave & cibo ſumpta ſuſpirioſos adiuuat. Dioſcorides libro quarto, capit. octogeſimoſecundo. Quære dict. Erigeron.

Senſus, eſt à neruis vicariis animæ affectus, qui res corporeas denunciat, & rerum creditarum ſenſorium reddens inſtrumentum: cui ſenſile obnoxium eſt. Hinc ſenſibile eſt quod viſu, auditu, guſtu, odoratu, tactu percipiuntur.

Senſoria autem inſtrumenta ſunt, oculus, lingua, nares, & auris. Senſus, ſunt viſus, guſtus, tactus, odoratus, & auditus: qui omnes à cerebro defluere, ab ipſóque ſeptem neruorum ſyzigia coniugationesvè oriri: à ſpinæ verò medulla reliquos, certum quidem eſt. Quære Galenum in libro de Oculis Theoremate ſecundo, capit. primo, & capit. iij.

Senſus communis, eſt vis ordinata in prima concauitate cerebri, recipiens per ſe ipſam formas omnes, quæ imprimuntur quinque ſenſibus: cuius obiectum eſt ſenſibile. Prima operatio, eſt iudicium ſenſibilis operationis: ſecunda, eſt ordinare ſenſata, diuerſorum ſenſuum.

Imaginatiua, eſt virtus retentiua eius quod impreſſum fuit in ſenſu communi: cuius obiectum eſt imaginabile ſimilitudine ſpirituali, cuius actus eſt imaginari. Imaginari enim eſt cùm volumus facere præ oculis aliquam imaginem, quæ adhuc præparat. imagines aliis potentiis operantibus in ipſa.

Cogitatiua, eſt vis inquirens ſingularia decem prædicamentorum. AEſtimatiua, eſt virtus appræhendens de ſenſato, quod non eſt ſenſatum, ſicut ouis inimicitiam lupi, cuius obiectũ eſt illud quod non eſt ſenſatum. actus eſt determinare fugã, vel imitationem propter conueniens, vel diſconueniens.

Fantaſia, eſt motus in potentia mota ſuſcipiens à ſenſu ſpecie ſenſibilẽ, cuius obiectum ſunt imaginationes.

Operatio, eſt componere, & diuidere ad eliciendum conueniens, & fugiendũ noxiuum, cuius corruptio eſt, quoniam corrumpitur, vel diſturbatur ſinciput.

Memoria, eſt conſeruatrix intentionum, quas appræhendit æſtimatiua, & redit in rem per ſpeciem apprehenſam, & conſeruatam: cuius obiectũ eſt intentio rei illicita tempore præterito: cuius actus eſt per intentionẽ venire in imaginẽ, & per imaginem in rem priùs acceptam.

Reminiſcentia, eſt ingenium reuoluendi eius quod oblitum eſt: & habet coniunctum ſibi actum rationis, & in quartum exigitur, ſcilicet actum rationis, principium determinatum à quo procedit: res determinanda in qua procedit, & tempus præteritum. Et hæ ſunt Animæ, ac humani Cerebri facultates, & functiones.

Septum

Septum tranſuerſum διάφραγμα,& φρενὲς,necnon à Plinio præcordia,quòd ſcilicet cordi prætendantur,ſunt appellata.oritur veluti muſculus rotũdus,& magnus, vbi ſpuriæ coſtæ in amplam cartilaginem deſinunt.vel: Septum tranſuerſum, eſt membrana neruoſa continens,ac ſegregans quæ in ipſo compræhenduntur thorace: ſubter illud autem viſcera. Galenus Septi tranſuerſi affectus docet lib. v. Locorum affect.cap.iij.

Sepia ἡ σηπία piſcis:de cuius natura,& figura cum facultate, lege plura in dict. Lolligo. Dioſ.lib.ij.cap.xix.

Serapias,orchis altera eſt σεράπιας: aliqui canis teſticulum vocãt.de qua re quæ reſtant,quære in dict.Orchis.

Serica σηρικα,καὶ ζιζυφα,vulgus Iuinbas vocat. Quære dict.Zizypha.

Sericum crudum μέταξα ὠμη Actuario,cuius compoſitio diacoccum eſt, hoc eſt, confectum Alkelmes. Sericum arborum propriè quod arborum foliis Seres Scthyæ populi depexebant ad veſtes,nunc ad ſerum,id eſt,bombicum vermium fila tranſtulerunt Græci recentiores.

Serapium ſeu ſyrupus,fit quando ſucci medicamentorum cum melle depurato, vel ſacchare defecato donec concreuerint,coquuntur. In breue & longum diſtribuitur ſerapium;breue quod parum aquei humoris in ſe habet,& commune vocatur: lõgum,quod humoris aquei plurimum obtinet,& decoctum appellatur. Cæterum ſerapia omnia cum ſtillatitiis liquoribus plantarum commiſcentur, ac ſic potãda præbentur,ac quantitas vniuerſa vncias cum ſemice non tranſcendat à medicis pleriſq; nunc obſeruatur. Apud Actuarium, Meſuem, Nicolaum, Fuchſium, & Syluium habes Serapiorum varietatem.

Seriphum ſiue Seriphium σέριφιον,planta hæc relata eſt in Abſinthio:quanquam etiam medicorum non pauci Barbotinam hanc eſſe contendunt. hoc eſt,Santonici ſemen:alij verò Coralli ſemen.

Seris ſeu Intybus σερὶς,καὶ κιχώριον. duũm generum:altera ſylueſtris, quæ picris & cichorium vocatur:altera ſatiua,latioribus foliis conſtat:ſtomacho quàm hortenſis vtilior. Quæ iterum in duas ſpecies digeritur,vna latiore folio prodit,lactucarũ ſimillima:altera anguſtiore eſt folio,& guſtu amaro. vtraque refrigerat,& adſtringit. ſtomacho vtiliſsima. Dioſc.lib.ij.cap.cxxv. Quære dict.Intubus,& Cichorium.

Serpillum hortenſe,& agreſte ἕρπολλον κηπαῖον,καὶ ἄγριον, oſtentatur. quod hortenſe eſt odore ſampſuchum imitatur:folia & ramulos origani habet,in maceriis multò procerius aſſurgit. Sylueſtre Zygis appellatum,non ſerpit,ſed in altitudinem increſcit,ramulos ædens tenues,ſurculoſos, foliis refertos longioribus quàm rutæ, & durioribus,anguſtis.flores iucundè olent,guſtanti acres. Naſcitur in ſabuletis, & petris,ſatiuo efficacius,& ad medendi vſum aptius. Dioſc.lib.iij.cap.xxxvij.

Sertula campana herba μέλιλωτος,idem vulgò etiam melilotus:quibuſdam Regia corona,& pratenſis appellata :ſuauiſsimi odoris maturus flos quem profert, & multis aptus medicamentis. Dioſc.lib.iij.cap.xxxix. Quære dict.Melilotus.

Serpentaria noſtras,Dracuntium,ſiue Dracuntea maior vulgò, Colubrea appellata:quæ non eſt tormentillæ ſpecies altera,quæ Biſtorta nominata eſt, annuente I. Agricola. Eſt & altera Serpentaria,nomine Aron,vulgus hominum Gerru, & vitũli pedem,dicit;quæ ſuperiore multò eſt inferior. Quære dict. Dracuntea,& Aron.

Serum lactis cuiuſcunque,quod implicitum in lacte ipſo continetur:quod vbi diſceſsit ab eodem lacte,multò potentiſsimum ad purgationes redditur. Datur quibus ſine acrimonia volumus deiectionem moliri, vt melancholicis, comitialibus, lepris, elephantiis,& erumpentibus toto corpore papulis. Dioſcorides libro ſecundo, capit, ſexageſimotertio.

Seſamum,eſt Saſama σήσαμον,ſemen eſt peregrinum,cuius nomen nondum exoleuit:officinę enim Siſamum vocant,cuius planta Milio ſimilis eſt,ſed ſemen Orizæ ſimile. Eſt item Seſamum ſylueſtre σήσαμον ἄγριον, cuius ſemen cici, & ricinus: Kerua Arabibus appellatum. Nomen hoc Seſamum Heliotropio maiori aſcribi vult Geſnerus. Repete dict. Ricinus.

Seſamoides magnum σησαμοῖδης,σήσαμος,& helleborum Anticyrenſe, quòd in Anticyra naſcatur,appellatum.Eſt denique Seſamoides minus:de quibus lege Dioſcoridem lib.iiij.cap.cxxxv.

Septicum,id eſt,putrefaciens medicamentum, etiam cauſticum & vrens, ſed parum vehementer:eſt calidum ſiccum minùs, eſſentię tamen tenuioris,exiguo morſu & dolore,aut nullo:vt arſenicum,ſandaracha, chryſocolla, aconitum, Galenus lib.v. Simpl.

Septenarius circuitus hic hebdomadis numerus non eſt,ſed indicatorius,ſiue criticus:qui à circuitu quaternario diuiditur: Septenarium itaque circuitum validiorē quaternario eſſe,poteſtate autem ſecundum quaternarium Hippocrates,& Galenus affirmarunt:& ab eodem futuram in ſeptenariis circuitibus iudicari indicationē. Vide plura in dict.Quaternarij circuitus.

Seſeli Maſsilienſe σέσελι μασσαλιώτικον: officinis Siler eſſe creditur: herbariis aliquibus non vulgaribus,maior Saxifraga iudicatur.Eſt præterea Hethiopicum Seſeli,quidam nonnulli Ambroſiam opinantur, à folij periclimeni ſimilitudine. non ignoratur etiam Seſeli Peloponneſiacum,vt Creticum.Quære Tordylium.

Seutlomalachon σευτλομάλαχον,vulgaris notitiæ ſpanachium eſt,tum hortenſe,tum ſyluaticū,à ſpinis in ſemine productis appellatum.olus maluaceam betam referens:fortè quòd figura & denticulato ſeminis habitu betam,& mollitia maluā mētiretur.Noſtris verò herbariis ab inſigni ſpiculorum ſeminarium nota Spinachium totam plantam appellarunt.Quære dict.Atriplex.

Sextans,ſexta libræ pars,vncias duas,ſcrupulos quadraginta octo,continens.Sextarius menſura,heminas duas,ſiue cotyle duo,pondere denarios centum & viginti, continet.nominatur etiam Triblion,quòd libras quoque duas, aliquibus ſelibram, recipit.Sextarius Italicus,autore Oribaſio,mēſura vini,capit vncias vigintiquatuor: in pondere libram,& beſſem.Sextarius mellis,libras duas,& S.continet. Sextarius olei,vncias octodecim pendet.Sextuns,pars eſt dimidia libræ,& vna duodecima,id eſt, vnciæ ſeptem:continet ſcrupula centum ſexagintaocto.Sextula,ſexta pars vnciæ eſt, id eſt,ſcrupulus additus drachmæ quaternus.

Signorum in morbis triplicium primi generis,ſunt coctionis, & cruditatis ſigna, vt alui excrementa,vrinæ,& ſputa.Egeſtiones quidem ventris inferioris vel coctionem vel cruditatem denotant:vrinæ verò venoſi generis, quemadmodū excreationes,& ſputa inſtrumentorum reſpirationi ſeruientium. Coctionis enim ſigna ſemper ſalutem,cruditatis autem vel omnino nullum futurum indicium, aut prauum, aut dolores,aut diuturnitatem,aut mortem, aut recidiuam portendunt. Hippo.lib.j. Epidem.Sectione ſecunda,& tertia.Quære dict.Salutis.

Singultus λύγμος,eſt ventriculi motus conuulſorius, à re ipſa noxia excitatus: ſiue etiam partium ventriculi motu violento aggregatarū contractio.vel,Singultus, eſt ventriculi motus,qui veluti eius conuulſio exiſtit ab expultrice facultate noxia extrudere valentis affectus.Contingit vel ex plenitudine,vel euacuatione,aut ob humores acres,& mordaces,& medicata qualitate præditos,aut cibos acres & mordaces.Interdum propter frigiditatem,& alimenti corruptionem.Gal.lib.de Symp. dif. Hipp.Aphoriſ.lib.vij.cap.iij.

Sinus cordis ſunt duo,dexter,& ſiniſter,pro quibus auricula vtraque ſub eſt cordi:de qua re ſcriptum reperies in dict.Corſinus.

Sinus κολπός,eſt cùm cutis vlceribus,quæ adiacet,multo ſpacio ſubiectis corporibus ſeparata eſt,& vt agglutinari ei non poſsit.Sinus calloſus deniq;, ſeu fiſtula σύριγξ,eſt magna ex parte ab abſceſsibus conſiſtens:ſic verò per tranſlationem à fiſtulis ex arundine,aut alia quapiam materia confectis appellatur fiſtula. Curationis authور Gal.lib.ij.ad Glauco.

Similacea ſubſidentia in vrina,fit vbi febris obſeſſa profunditate longè latéq; ſubſtantiam incendit,adeóque peſsima eſt:ſanguinis enim aſſationem,vel ſolidarū partium collicationem ſignificat.Si itaque candidæ, ſolidarum partium colliquationē:

ſin verò rubore,ſanguinis aſſationem monſtrant.Dicitur Similacea à furfureæ ſimilæ cribrato retrimento.

Sigillum Lemnium,id eſt,terra ſigillata,aliud eſt, quàm Aſter Samius:hic quia tenax,Lemnia verò terra parum:atque hac carere adhuc nos experimenti ipſius veritas docet.Itaque pro Lemnio gemino, Armenus bolus adulterinus offertur.

Sicula,& Sycla σικελὴ,καὶ τεῦτλον,Betæ genus,à quo medici ſuccum experimẽtes eliciunt,colutoriíſq; clyſmatibus ad alui deiectiones excrementarias imponunt.

Sicya σικυά,cucumis agreſtis eſt:nam Sicya atmetos colocynthis affirmatur,quæ cucurbita ſyluatica,vulgò coloquintha,vocatur.

Sicys σικὺς, καὶ ὁ σικυὸς ἄγριος,id eſt,cucumis ſylueſtris,& aſininus hodie appellatus:cuius ſuccus Elaterium tum ex radice,tum ex fructu nomen accipiens, elicitur.

Sycis σικὺς,πέπον,eſt quod melonem,& peponem,cum differentia plerique imaginantur:quod Geſnerus etiam Cucumeris hortenſis ſpeciem eſſe voluit.

Side,malus punica ῥοιά,id eſt,malus granata arbor paſsim frequentiſsima. Eſt & Sida planta paluſtris,papaueris ſimilis vaſculo mali amplitudine,roſeo flore, candidis membranis obducto,ſemine intus rubro,guſtu triticum æmulante. Caput & folia,vt vtraque Nymphæa,ſuper vndas emicant, ſed poſtquam tota ipſa emerſa eſt, ſemen ſpargit. Authores Theoph.Nicander,& Pli.

Sideratio,nunc per I.noſtrum,nunc y.Græcum quæ ſcribitur, ἀστροβολια, σφακελος Græcis:quando ſcilicet vaporum ſiccitate arbores moriuntur:ita membrorum partes humorum defectu vt intereunt,in ipſis ſyderatio eſt,morbus ſterilitatẽ membri ſignificans.Plinio autem lib. xvij.capit.xxij.Carbunculatio in arboribus appellatur.

Sideritis σιδηρίτις,inter multas variáſque plantas hoc nomen aſsignatur:nam prima Sideritis folio marubij veſtitur,quam vulgus officinarum Tethrait appellat: altera foliis filicis,& hanc Chymiſtæ Lunariam maiorem eſſe volunt,aliqui filicaſtrũ: tertia,mille folium:foliis coryandri,in vinetis,& maceriis proueniens:quarta ſideritis ἀχιλλειον etiam Græcis nominatur.hæc quoque comprehenſa eſt ſub hoc nomine Scopa regia lato folio herba σιδηρίτις,quam Ruell. Carpentariam aſsignat.

Sidium σίδιον,id eſt,malicorium,aſperum eſt mali punici putamen: vulgò mali granati cortex in fructu,non in arbore:quas Cytinus facultates,ſidium quoque poſſidet. Quære dict. Cytinus.

Siliqua menſuralis,κεράτιον,minimi ponderis menſura eſt,ſcrupuli ſextam partem,drachmæ verò decimam octauam,conficiens:ſex itaq; ſiliquæ conficiunt ſcrupulum,ſcrupula autem tria,ſiue octodecim ſiliquæ explent drachmam : ſextula autem, ſexta pars vnciæ eſt,vnde & nomen habet:continétq; ſcrupula quatuor, ſiue ſiliquas viginti-quatuor:continet itaque ſextula drachmam vnam, & tertiam eius partem. Repete Budæum de Aſſe.

Siliqua κεράτια,καὶ κερατωνία,Carrobea vulgò dicta:à qua Siliquæ vt in Siliqua AEgyptia arbore,caſsia fiſtularis fructus,συλοκέρατα κερατία.Verùm quæ Ioniis κερωνία appellata eſt,foliis ſemper comantibus,flore candido, cum vehementia odoris,pomo ſiliquæ:ob id nomen,longè alia eſt,quàm κερατωνια. Præterea Siliqua legumen eſt quod δολυχὸς appellatur:tum quoque pro granorum, & leguminum, & arborum,vt in caſsia fiſtulari,carrubiáque,tegumento accipi ſolet:quoniam complures tum herbæ,tũ frutices paſsim ſiliquantur.

Siliquaſtrum πιπερίτις,id eſt,peurea pedemontana:& coſtus hortenſis Ruellio: ſed pleriſque tametſi aliis cardamomi genus ſuſpicatũ eſt. Vide dict. Piperitis.

Siligo ὄλυρα,frumenti genus,quibuſdã Secale,vulgò *Seigle*, pro frumenti ſpecie vſurpatũ:quòd etiã olim Gallis Arinca,primariũ triticum eſſet,appellabatur.

Siler ἴτεάρ εἶδος τὶ χαμαιζηλόν,frutex in aquoſis qui producitur nunquam,vel rarò arboreſcens, quaſi pumila ſalix:cuius virgulta in calathis, cophiníſque texẽdis, colliguntur. Rura vſui commendant vinciendis vitibus.

Sina

Sinapiſmus,veteribus ex ſinapi cataplaſma componebatur & nomen retinuit: ex caricis pinguibus tepida maceratis atque expreſsis iniecto ſinapi polline,aut alterius, fiebat. Interdum ex oleis,coſti,caſtorici,ſinapis,euphorbij,ipſáque materia indita cū aceto & cera, componitur:ſecundum quas res benefacere viſum fuerit. Aëtius lib.iij. capit.cxcj. Actuarius li.v.de Comp.medicamen.

Sinapi σίνηπι,cum herba ſemen nominatum,facultatis eſt cauſticæ, adurentíſq;: ob id eo medicamenta cauſtica fiunt,& ſinapiſmi:emplaſtica quoque nonnulla. duplex reperitur,album nempe,& ſubnigrum:album aliqui eſſe Thlaſpi autumāt: alij ſylueſtrem Erucam:quibus omnibus facultas calida eſt.

Siſarum,& Siſer herba σίσαρον,id eſt,careum,vulgò Carni:cuius radix, vt paſtinaca,eſtur:vrinâſque vt ſemen,prouocat,& flatus infarctos inteſtinis & vētriculi extremo diſsipat. Columella li.x.prodidit Tyberium Cæſarem radicem hanc nobilitaſſe,eam flagitantem omnibus annis è Germania. Manardus rapa illa ſubflaua Siſarō, ſe authore eſſe credidit. Quære dict. Careon.

Siſon σίσων,ſemen exiguum eſt,apio ſimile,obnigrum,& molliter longum, feruētis eſſentiæ:nonnullis etiam medicis Amomum aromaticum ſemen puſillum, ſuſpicatur:niſi oblongius amomo videretur.

Siſymbrium σισύμβριον,varium multiplexque paſsim reperitur:vnū,quod mentha rubea,vel aquatica:item Tymbræa vulgò cognita,verùm quod ſylueſtre eſt,circa aquas prodit. Alterum Cardamine,à naſturtij ſapore officinæ naſturtium aquaticum vocant:vulgus creſsionem:quem Sium eſſe neque contendendum. Tertiū hortenſe,vulgò balzamitha:quæ in mentham odore degenerare creditur.

Sium σίων in Lauer ſiue Berula,& per contractionem Berla, degenerat: plerique etiam in Siſymbriū alterum,ſiue cardaminem,id eſt,creſsionem,abire putant.

Sitanium,σιτάνιον,ex Galeno Triticum eſt inſtantis anni hoc quod vere ſeritur, & candidum eſſe dicitur. Latinis trimeſtre triticum: vulgaribus verò Martiū, quod martio menſe feratur,& terno inde mēſe matureſcat,vocatum eſt. Sitos.σῖτος namque authore Hippocrate,in li.de Fracturis,genus omne frumenti appellatum eſt.

Sitis,eſt quæ fit aut ſolo caliditatis exceſſu,citra humoris conſumptionem, vt in hydrope:aut ſolo humiditatis defectu,citra caloris incrementum, vt in hydrophonia:aut in vtroque,vt in febre ardente,& tertiana exquiſita:Gal.li.j. ad Glauco. cum explanatione Acak.

Siriaſis σειρίασις,eſt inflammatio partium quæ circa cerebrum,& eius membranas,ſunt:infantibúſque accidit. AEgyneta li.j.cap.xiij.

Sigillum Salomonis vulgari nomenclatura, Dioſcoridis Polygonatum eſt, nulla reclamante etiam nota:quod tamen Barbarus aſſerit à Græcis Sphragida nominari. Quære dict. Polygonatum.

Sori,Chalcytis,Myſi eſſentiæ conſiſtētia,& ſitu differūt:nā Sori in fodina infimū & craſsiſsimū,ſcintillat friando,vt Myſi, olfactu & guſtu virus olet, ſubpingue eſt. Myſi grumoſum & fruſtuloſum,auro ſimile, & ſtellæ modo ſplendet. Chalcytis ſitu & eſſentia eſt media,æri ſimilis. Soreos pars extima,& ſumma in Chalcytim, & chalcyteos partes extimæ in Myſi tandē tranſeunt:in metallica fodina,& quo loco ſeruātur,quomodo æri innaſcitur ærugo. Dioſc.li.v.cap.lxv.lxvj.lxvij.& lxviij.

Smaragdus,inter lapides precioſos numeratur,quò quoque virentior,eò mollior: exhilarat,libidinē arcet,hemitritęū iuuat,epilepſię reſiſtit:ideo cardiacis admiſcetur.

Smilax hortenſis,σμίλαξ κηπαία,id phaſiolus hortenſis eſt:Eſt & Smilax aſpera,quæ ſpinis riget,& ſuccum lacteum auulſis foliis reddit:ſed quæ ſpinis vidua, lenis appellatur. Item Smilax arbor,nomine alio Taxus dicta. Dioſc.li.iiij. capi. cxxvij. & cxxviij.item capi.lxviij.

Smyrnium σμύρνιον,herba myrrham reſipiens:ea exiſtimatur,quam officinæ Lybiſticum vocant. Largus oluſatri ſemen eſſe ſcribit: aliquibus petroſelinum videtur: non differt foliis ab apio noſtro vulgari. Dioſco.lib.iij. cap. ſexageſimotertio. Quære dict. Libiſticum.

Smiris lapis, eo annularij ſculptores expurgant ſuas gemmas: nunc in vitrariis frequens vſus diuiſuris. Emeri illi lapidi vulgare hodie nomen eſt.

Solanum hortenſe στρύχνος: officinis Salatrum, & morella eſt: Item veſicarium ſolanum ἁλικάκαβος, id eſt, alkekengi, vulgò dictum. Soporiferum Solanum herba, quæ morella etiam marina ſolet appellari. Nam inſanum, manicum, ſeu furioſum. herbariis vulgaribus Solatrum mortale vocatur. Dioſcor. lib. iiij. cap. ſexageſimoprimo, ſexageſimoſecundo, & ſexageſimotertio.

Solutio vnitatis ſeu continui, eſt quæ ſimplex, & compoſita habetur: ſimplex in quinque differentias diſtribuitur, quæ enim in ligamentis fit, auulſio vel diuulſio nominatur: Græcis autē ἀπόσπασμα: quæ verò in carnoſa parte, vlcus ſiue ἕλκος: quæ in oſſe, κάταγμα, vel fractura: quæ in neruis, conuulſio: ſeu σπάσμα: in carnoſis verò partibus vbi accidit ῥῆγμα, & ruptio nuncupatur. Vide dict. Morbi compoſiti.

Silphium σίλφιον laſerpitij, ſiue laſeris caulis eſt: radix, magudaris, & folia ipſius laſeris, maſpetum, totam hoc modo diſtinguentes, vocauere regionis ſuæ homines. Laſer caule eſt ferulaceo, foliis apio ſimilibus, lato ſemine. radix panaci haud diſsimilis: quæ vulnerata illachrimat, id quod Laſer eſt: Myropolis Bēzoin appellatū. Quære dict. Laſer. Dioſc. lib. iij. cap. lxxvj.

Soda, κεφαλαργία, capitis dolor, qui potiſsimum non inueteratus eſt, non curando an per ſe accidat, aut alterius affectus ſymptoma ſit. Capitis namque dolor ex humorum diuerſorum qualitate dominante plerumque contingit: vt ex calore, frigore, ſiccitate, plenitudine,611 bilioſis humoribus, melancholicis, pituitoſis: quorum curam exequitur Fuch. lib. primo de Meden. morbis, cap. iij. iiij. v. vj. vij. & viij.

Solea βούγλωσσον Græcis, hoc eſt, bubula lingua: Varroni Lingulaca: Gallis, *Solle*: piſcis planè ſimilis paſceri, de quo ſuo loco dictum eſt. carnem mollem, & concoctu facilem habet: nam ſua lautitia perdix marina nomen obtinuit, ac poſtea retinuit.

Solutiones λύσεις, ſunt ex quibus perſpicuum fit, mutationes eas, quæ paulatim fiunt: vel ſcilicet virtute deiecta, vel morbo, non criſes, ſed ſimpliciter ſolutiones. Galenus de Diebus decret. lib. j.

Somnifera medicamenta ὑπνωτικά, ex eorum genere ſunt, quæ ſoporem molientia, aut ſomnum conciliantia, appellantur. nam huiuſmodi medicamentorum magni doloris, aut vigiliarum gratia vti conſueuimus.

Somnus ὕπνος, à fame, aut exercitio, non quidem omnis, & quocunque tempore factus: ſed is duntaxat qui fameſcente iam corpore, fit: qui etiam poſt matutinas deambulationes eſt factus, omniū maximè ſiccat: & qui à balneo eſt adhibitus. Hippoc. libro ſecundo, de Ratione victus: & Epidimia. libro ſexto, parte quinta, Aphoriſmo. xxxj.

Somnus ὕπνος, eſt animaliū facultatū quies: vel, eſt ſenſuū impotentia ab humore cerebrū imbuente, ac aggrauante proueniēs, vt ſi rectè adhibeatur, multa ſunt cōmoda. Sōnus enim cibum cōficit, quòd toto hoc tempore quo quis dormit, animalis facultas quieſcat, naturalis verò validiùs agat: humores concoquit, animi ægritudines obliuione delet, mentis inſaniam corrigit. Cæterùm, tempus, duratio, forma decubitus, & inſomnia ſanis etiam corporibus veniunt conſideranda. Tempus veſpertinum, aut nocturnum ſomno conuenientiſsimum: interdiu nocentiſsimum eſt: quoniam verò interdiu vigilare, noctu ſed quieſcere oportet. Hippoc. Pronoſtic. lib. ij. ex & Epidimiar. libro ſexto, Aëtius libro nono, capit. trigeſimonono, vult à prandio deambulationibus indulgendum, & animi aliqua laxamenta adhibenda, ſomnóſque diurnos noxios eſſe, niſi laſsitudinis ſenſus adſit, aut præcedente nocte nihil aut parum admodum quis dormierit, ſcriptum reliquit.

Sordes aurium κυψέλις, καὶ κυψέλη, quæ, quòd meatus foraminulentos à ſummo cerebro prouenientes obſtruunt, grauiorem auditum reddunt: vt interdum ſordium repurgandarum pigritia, ſurdi fiunt.

Soldanella, vulgari appellatione apud officinas, ea eſt, quæ Braſsica marina à

Dioſcoride nomen hactenus obtinuit. Quære dict. Braſsica.

Somphos σόμφος, cucurbitæ genus, non niſi in ſaxoſis proueniens: quæ quibuſdã ſylueſtris cucurbita, & marina appellata eſt. Noli putare genus hoc colocynthidẽ eſſe, cucurbitarum omnium amarulentiſsimam.

Sonchus σογχὸς ἐδώδιμος, Myropolis, & herbariis vulgaribus, Roſtrum porcinũ: Ruſticis, Lanceron: qui candidus, qui tener, eſculentúſque eſt. Hæc herbariis nonnullis Leporis pabulum dicitur: Apuleio Lactuca leporaria feſtiuiter eſt denominata. Huic occurrit & alius Sonchus σογχὸς τράχυς, niger, ſpinoſiórque eſt. Tertium iterum genus σογχὸς τρύφερὸς, tenerum, arboreſcẽs, latiore folio, in quo ramoſum caulem folia interſecant: atque à ſoli fœcunditate à Dioſcoride, inquit Geſnerus, deſcribitur.

Sorbus ὄα, καὶ ὄη, arbor notitię vulgaris: longéque differt à Corno frutice, qui interdum etiam arboreſcit: cuius quidem fructus eſtur reprimendi alui fluxus cauſa: ſic quoque edi ſolet Sorbi fructus, quòd adſtrictoriæ facultatis vterque depræhenditur. ſed prorſus maturum, miniméque præcocem eſſe oportet. Quære dictionẽ. Cornus.

Sphacelus σφακελὸς, Gangrena, & Syderatio eſt: de quo morbo fuſiùs in dict. Gangrena retulimus: & in dict. Syderatio.

Spadix σπάδιξ, termes eſt cum fructibus ab arbore auulſus, quod nomen in palmarum quoque fructibus colori eſt commune. Spadix namque ſiue phœniceus color exuperantiam ſplendorémque demonſtrat ruboris fructuum, non admodum Sole incoctorum, quemadmodum in palmę arboris fructu videtur.

Spadones κλήματα ἄκαρπα, ſurculi ſunt in vite, qui ætatis etiam teneritate, ſicut in arboribus, & fructetis nihil-dum attulerint, gettonos à radice prouenientes, rura appellant. nam Gettonus, Latinis Surculus eſt: cuius petes dict. Eſt quoque Spadonia laurus εἶδος τὶ δαφνῆς, quæ ſterilis, & infrugifera viuit ſuperſtes.

Sphagnos σφαγνὸς καὶ βρυὸν, arborum, rupium, & maris generali nomine Muſcus appellatur. Quære dict. Bryon.

Sphacelos σφάκελὸς, differt à ſaluia, quòd ſylueſtrior eſt, folio breuiori, & leuiori, vt ex Theophraſto Geſnerus retulit. Præterea Sphacelos σφακελὸς, καὶ ἀστροβόλια, tabitudo plantarum eſt, Latinè verò Syderatio, vulgò Tinea.

Sphæritis Aëtio σφαῖριτὶς, pro cupreſsi, ſabinæuè herbæ pilulis accipi ſolet.

Sphynter σφύντήρ, extremum inteſtinum eſt, chirurgis monoculum: per hoc venæ hæmorrhoides tetrum ſanguinem fundunt. Vide Inteſtina.

Sphenoeides σφένοειδὴς, os eſt quod inter maxillæ alia oſſa adnumeratur: quod ex omnibus tantummodo ſimplex, & coniugationis eſt expers.

Sparganium σπάργανιον καὶ ξιφύδιον, herba cum radice appellata, cuius folia gladioli ſunt ſimilia ſed arctiora, & in terram proniora. in ſummo caule veluti pilulæ prominent, in quibus ſemen. Radice tantùm ad venena vtimur. Quibuſdam herbariis, vt refert Scholiaſtes, pro Tormentilla vulgari falsò vſurpatum eſt Sparganium. Dictum eſt autem eo nomine. quòd folium ſimile habeat faſciis, quibus in cunis infantes vinciuntur. τὰ σπάργανα enim faſciæ Latinis dicuntur. Officinæ Spathulam fœtidam ab odorata dirimunt odore tantùm.

Spanacia σπάνακια ſiue ſpinachia, ab oleris raritate herba dicta: vel emendicato ſpinaceo nomine: éſtq; ex genere Atriplicis, non Bliti. Quæ ſupra Sentlomalachum.

Spartium σπαρτίον, ſine foliis frutex, quo vites in Italia vinciuntur, reſpondétq; geniſtæ gallicæ, ſi folio vidua nõ agnoſceretur. dubitat etiam num Plinius Spartum geniſtam interpretari liceat.

Sperma σπέρμα animantis ſemen: cuius facultas his comprænhenſa eſt verſibus:

Seminis eſt virtus animantis gignere neruos:

Qualiter ipſa caro naſci de ſanguine fertur. Repete ſupra dict. Semen.

Spica in frugibus ϛαχὸς, quod ſui faciat putatur à Varrone dicta: ſed ſpica mutila ϛαχὺς κολόβος ὁ μὴ ἔχων ἀθέρας, quæ nulla armatur ariſta. nam abſolutè Spi-

ca,aromatica ſpica,ſeu Indica,ſeu nardi,ſignificatur:Romana verò, Celtica eſt.Quęre dict.Nardus.

Spina ἄκανθα,pars eſt in plantis pleriſque, pomis, prunis, meſpillis, & præcipuè pyris nondum ſurco implantatis,rigida,& mucrone ſuo vulnerans.

Spina alba ἄκανθα λευκή,foliis eſt nigro Chamelæoni ſimilibus, anguſtioribus tantùm,candidioribúſque:caule cubitos duos ſuperante, echino florum purpureorũ faſtigiato.Quære dict.Chamelæo albus.

Spina AEgyptia,vel Arabica,Syria ἄκανθα ἀραβική,albæ ſpinæ videtur ſimilis: cuius genera duo,candidum ſcilicet,& nigrum.arbor tota ſpinis horret præterquam caudice,ſemen tamen in ſiliquis eſt.flos medicamentis vtilis.gummi profundit, non cortice,ſed in vaſculo:hæc ferè eadem de arbore Acaciam fundente.hæc Geſnerus.

Spina acuta ὀξυάκανθα,frutex eſt,qui vulgò Berberis, & ſpina vineta appellari ſolet:ex cuius radice ſuccus eruitur,qui Pœnica lingua Beügia vocatur. Quære dict. Ozyacantha.

Spina Ariana,vel Indica ἄκανθα ἀριανὴς, lachrimam fundit myrrhæ ſimilem. Eſt item Spina appendix,vulgi appellatione Albepinus,quibuſdam Palyurus Theophraſti lectione fultis.

Spina dorſi,vertebris quatuor & viginti conſtat: quæ ſi plures pauciorеſvè ſunt, ſicuti capita deprauatæ figuræ quæ faſtigiato ſunt vertice,præter naturam ſunt. Vertebræ colli,ſunt ſeptem : metaphræni duodecim, coſtas totidem excipientes: lumborum ſunt quinque,quibus ſubiacet os ſacrum : & os pubis.Gal.capit.ſeptimo, libri de Oſsibus.

Splen σπλὴν:id eſt,lien,viſcus in ſiniſtra animantis parte,παρέγχυμα vocatum, ratum,laxúmque ſpongiæ modo:vt faciliùs craſſos humores ex epate, & venis tum alliciat,tum ſuſcipiat:vnde ſcatet plerunque morbus nomine Atrabilioſus. Vide reliqua in dict.Lien.

Splenion,hemionitis σπλήνιον ἡμιονί τις,lingua ceruina vulgò dicta videtur:quæ quandoque falsò pro Scolopendra vſurpata eſt.Quære Hemionitis.

Spodium σποδιόν,id eſt,cinerula,quod in pauimento fornacum ærariarum recidit,albicans Pompholigi ſimile,ſed grauius,& impurius intra corpus non ſumendũ. Ebur verò vſtum,quod ſpodium Arabibus eſt,etiam ſumitur,ac ex radicibus arundinum,myrto,lentiſcovè vſtis:antiſpodia,id eſt,quæ pro ſpodio ponuntur.

Spondilion,vel Sphondilion σφονδύλιον,panacia ſylueſtris ſuſpicatur,in mõte Iura ſupra lacum Lemanum proueniens:aliis paſtinaca agreſtis eſt, folio in caudicis extremitate ficum,platanumvè repræſentans.Quære Sphondilium.

Spongia cynorodi,id eſt,roſę caninæ tuber: officinis autem Bedegar vocatur: ad malefica capitis,colliq; vlcera tuberoſa medici plerique ſeculi noſtri vtuntur. Spongiæ,veteribus authoribus,radiculæ altilium aſparagorum dicuntur: αἱ τῶν κηπαίων ἀσπαράγων ῥίζαι,id eſt,radices aſparagorum.

Subeth κάρος,malum eſt ſenſuum,vniuerſarúmque motionum priuatio, ſpirandi facultate illæſa manente,quod conſequitur.profunditate nanque ſomni correptos malum occupat,oculis perpetuò conniuentibus,ſentiendi facultate nõ amiſſa. Quære dict.Carus.

Subſtantia,eſt quæ rei nulli inhærere apparet,accidens,autem è contra: nimirum quòd ſubſtantia per ſe ſubſiſtat,accidens verò alteri inhæreat.

Subſtantiæ reſolutio,eſt maior,aut minor pro affectionis magnitudine,quæ intẽperiẽ ſequitur:quæ ſi leuis ſit, imbecillitatem:ſi verò magna, non hanc ſolùm, ſed & morbum affert.Gal.de Inæquali intemperie,& lib.j.ad Glauc.

Succus medicatus ſeu Rob,eſt qui primùm defecatur,ſubinde verò ſolis,vel ignis calore ſic denſatur,vt longiore tempore citra corruptionem aſſeruari queat. Ex hoc genere Mina eſt;quæ fit ex ſucco fructuum eouſque decocto,vt ſapæ,aut mellis conſiſtantiam accipiat.Meſue,& Nicolaus authores.

Sudor,eſt defecatio, & ſuperfluitas humiditatis tenuis , & ſeroſi in ſanguine: qui

ſecund

ſecundum morborum, & laborum diuerſitates in affectis, varius quidem depræhenditur. vniuerſalis ſudor in morbis acutis, calidus, temperatúſque, maximè ſalubris. at frigidus contra, præſertim ſi tantùm caput, aut thorax inſudat, omnium ſudorum peſsimus.

Suffocatio, eſt cùm vniuerſus ſanguis ad principium confluit, deferturque, differt etiam ab extinctione: eſt enim extinctio, ob perturbationis quæ à refrigeratione oritur, naturam fit. Quære dict. Extinctio.

Suffimenta ſeu ſuffitus, incenſavè θυμιάματα, ſunt medicamenta quæ incenduntur, aut ignitis carbonibus ad odorem gratum conciliandum, iniiciuntur: faciúntque ad alios pleroſque diuerſos capitis affectus naribus admotis. Texuntur ex caſtorio, ladano, thure, calamintha, ſtyrace, maſtiche, tuſsilaginis radice, ſtacte, ex oleo quopiam exquiſito. Actuarius li. v. Compoſi. medic.

Suffuſio, ſiue cataracta ὑπόχυσις καὶ ὑπόχυμα, eſt vbi humor lentus & glaciei modo inter corneam, & cryſtalloidem concretus circa pupillam ſubit.

Sumen ἐπιγάστριον, mẽbrana carnoſa quæ ſubiacet vmbilico, eſt, vt ſupra relatum fuit in Epigaſtrio. Quære dict. Abdomen.

Succinum ἤλεκτρον, lachrima defluens ex arboribus pinei generis: vulgus Ambrum dicit. Quære dict. Electrum.

Suffraginem (inquit Geſnerus) quia ſuffringitur, & exputatur, vt transferri aliò poſsit, Ruſtici nominant in vite virgas, qua è radicibus, aut caudicis lateribus eiet, quaſi partu nepotũ grauida doctiores, vt Columella, Plin. & Varro, ſobolem dicunt. Idque videtur ſignificare poſt ſciſsionem ramorum in arbore dum creſcit, quòd vmbilicum repræſentet.

Supercilium veneris ἀχιλλεῖος, Sideritis altera, ſiue Millefoliũ cõiectoribus pleriſque: ſicut ſupercilium terre ἀδίαντον, vulgò veneris capilli. Vtrumque ſimplex ſuo loco repoſitum legitur.

Surculus ταλὸς βλαστός, quod ex ramis ſimplex ac dimidium oritur, quale præſertim germen apparet, quod ex ſurculis naſci Pomp. Feſtus eſt author: vnde Germanos dici tradit, eadem ſtirpe genitos. hæc Geſnerus.

Spiritus πνεῦμα, eſt ſubſtãtia ſubtilis, aërea, dilucida, ex tenuiſsima quaq; ſanguinis parte producta, vt deferatur virtus à partibus principatum obtinentibus ad reliquas, ac proprias ædere actiones, poſsint. Spiritus, medicorum ſententia, triplex creditur, animalis nimirum, vitalis, & naturalis. Quære dict. Animalis ſpiritus.

Spirandi difficultas δύσπνοια, ea eſt difficultas ſpirandi, quæ propter craſſos & viſcoſos humores bronchia pulmonis obſtruentes accidit. Cuius explanationis Gal. author eſt li. vij. Comp. med. κατὰ τόπους, cap. vltimo. Plura in dict. Aſthma.

Subrubea vrina flauam ſequitur, quæ colorem ſimilem bolo armeno, obtinet: poſt quam & rubea, hoc eſt ἐρυθρόν, quòd ceraſis, quæ rubeum præ ſe ferunt colorem, ſimilis fit. Petenda eſt dict. Vinoſa vrina.

Subflaua vrina, eſt quæ rufam colore ſequitur: aut ſimilis floribus cartami, ſiuè attractilidis: quam etiam flaua ſequitur vrina, & ξανθόν Græcis. Actuarius autem croceam, à corycij croci ſimilitudine, nominat.

Subſidentia orobea, eſt quæ eruo excorticato apparet ſimilis, & vniuerſi corporis, vel renũ tantũ coliquationem portendit. Quod ſi ſic appareat, vniuerſum corpus, ſin citra febrem, renes duntaxat liqueſcere denotat. Repete Furfuream vrinam.

Succus χυλός, propriè eſt humor qui ex tota materia, partevè eius aliqua conſciſſa aut tuſa, tum manibus, tum torculari, aut igne, exprimitur. χυλὸν Græci interpretantur ὑγρὸν ἐκπίεσμα. Manardus li. xv. Epiſtola v.

Sudor, ſextũ genus eorum eſt, quæ corpus noſtrũ euacuãt: cuius quidẽ prouocatio tũ potiſsimum vtilis, & neceſſaria exiſtit, quãdo humor aliquis noxius circa corporis interiora verſatur: vt in febribus, & præſertim peſtilentibus, contingit: qui modis variis elicitur. Hippoc. li. iiij. Aphoriſ. xxxvj. additis Gal. commentariis.

Sudoris notæ ſunt, cùm potiſsimum febres ardẽtes ſoluũtur: quòd ſi criſi iam im-

minẽte præter rationẽm aluus,vel vrina ſupprimitur,rigorem expectare oportet. Si verò ambobus ſupprefsis rigor factus eſt,plurimus ſudor neceſſariò conſequitur.

Suppurantia, ſunt quæ in pus vertunt humorem tumefacientem & carnem contuſam:ſunt calida quantum pars ſuppuranda, ita vt eſſentiam caloris augeant, qualitatem non intendant,nec obtundant:humida ſunt & emplaſtica.Syluius lib.ij.Medic.comp.ratione.

Subſtantia,quoniam per ſe ſubſtat, accidentibus præbere fundamentum dicitur, quòd ſine illa ſubſiſtere non poſſunt : magno argumento in animantibus,& plantis. Atque ad alia pleraque transfertur hoc nomen Subſta ntia,vt ad ea à quibus alimenta ſumuntur,ex herbis nempe,fructetis, fruticibus, arboribus : ſeminibus ſerealibus, vt tritico,chõdre,id eſt,frumẽto barbato,olyra,id eſt,ſiligine,hordeo,zea,id eſt,ſpeltha,auena,milio,panico,& oriza:ex leguminibus,vt lẽte,vicia,fabis,piſo,cicere,cicercula, eruo, lupino , phaſeolo. Ex herbarum fructibus, vt cucurbita , cucumere, pepone, citrullo: arborum , malo , pyro , pruno, vua , moro , Sorbo, corno , meſpilo , nucibus , dactilis , id eſt , palmulis , atque huiuſmodi innumeris. Ex floribus, vt bugloſſo vtroque cappare, geniſta , braſsica, cynara , cichorio vtroque, viola , & perſico malo : foliis etiam cum reliqua planta, vt lactucæ , cichorij cuiuſuis , bugloſsi ſimiliter , braſsicæ , betæ , portulacæ , oxalidis vtriuſque , atriplicis cuiuſuis, maluæ cuiuſuis , apij , id eſt , petroſelini vulgaris , & ſimilium : radicibus , vt rapi, napi , paſtinacæ , carei , panacis , raphani , aſphodeli , ari , draconteæ , cæpæ , cæpulæ, allij , & porri. Etiam alimenta ex pedeſtribus ſumuntur animantibus , vt boue, ſue, oue , capra , dama , ceruo , lepore , apro , vrſo , capræa , glire , cuniculo , teſtudine ſyluatica , id eſt , quæ nemoris eſt. Ex volatilibus , vt ſtruthio , olore , anſere , grue, mergo, ardea vtraque , anate , hydrocorace, gallina, gallinagine , atagena , perdice, phaſiano, merula, ſturdo , paſſere, caſsita , galerita, palumbe, turture, ibide, id eſt, cyconia,coturnice. Aquatilibus,vt balena,id eſt,Cete magnũ,thonno,delphyne,mulo,cane,congro,gobione,perca,vmbra, aſello, oſtreis, purpuris,buccinis, cancris, locuſta,polypode,loligine,aſello,carpione,barbatulo,lucio, rana,anguilla, trutta,pertica,ſtinca,alece, rhombo. Alimenta alia ex aliis animantium partibus ſimiliter ſumuntur,vt roſtro,pede,ala,auricula,ventriculo,inteſtinis,vtero,carnibus,lingua,pulmone,hepate,liene,renibus,ſanguine,adipe,lacte,glãdulis teſtibus,cerebro,ſpina medullari,ouis,quæ auium tantùm ſunt, & teſtudinis ſyluaticæ : mel autem plantis , & animalibus velut agnatum eſt:ſed manna ex rore cœleſti gignitur: ſacchar autẽ arundinum ſuccus eſt. Sal marinum videlicet condimentum potiùs , quàm alimentum eſt,quia cum ſale,& amaris nullum animal nutritur.Cætera ex Galeni libris,& Oribaſii de Alimentis hauries.

Suffocatio ὀρθοπνοῖα,hoc eſt,extinctio altera: nã ὀρθοπνοϊκοὶ iidẽ etiam,propterea ꝙ thoracis figurã penitus rectã ſeruare cogũtur ob ſuffocationis metũ, dicuntur.

Suffuſio ſeu cataracta ὑπόχυμα καὶ ὑπόχυσις, eſt vbi humor lentus & glaciei modo concretus,inter corneam, & cryſtalloidem circa pupillam ſubit, quo viſus eatenus ſaltem impeditur , vt non poſsit diſcretas rerum ſpecies , & colores oculus appręhendere. AEgyneta lib.vj.cap.xxj.

Succus Syriacus,eſt qui ex Laſere planta colligitur : neque ſuccus, neque gummi, ſed lachrima defluens:quæ Dioſcoridi lib.iiij.cap.lxxxv.liquor Syrenaicus, & Medicus,& Synacus eſſe aſſeritur:quamuis Plinius à Syriaco Medicum differre faciat. Repete dict. Benzoin,& Aſa odorata.

Sumach ſeu Rhus ῥοῦς. officinis Rob Arabum more,& ſuccus medicatus:apud Dioſc.verò Rhus Syriacus legitur,& apud C. Celſum lib.vj.cap.xj. cui Plinius ſcribit nondum Latinum habere nomen. Vide dict.Rhus.

Sutura,compoſitio quædam eſt ad conſutarum rerum,vtpote quæ in capitis oſsibus habentur,ſimilitudinem:nam duæ capitis ſuturæ ſunt,vna obelea, id eſt,recta:altera ſagittalis,id eſt,tranſuerſalis.

Sulphur nobiliſsimum eſt ἄπυρον, id eſt, ignem non expertum : quò virentius,

oleoſius

oleoſius,pinguius,eò melius:nam & tale medicamentoſum apud Dioſc.& Galenum legitur:quoniam aliud deterius eſt. Geberus ſulphur ſpiritum non materiam eſſe affirmat,& Chymiſtis vſitatiſsimum.

Supercilia ὀφρύς,vbi frons à ſuperioribus deſcēdens definit,tanquā termini eminētes,& pilis cōſiti eam excipiunt.eius morbus depillatio,& interdū pediculatio eſt.

Spuma nitri ab Aphronitro differt,illa enim alba eſt farinæ triticeæ ſimilis, eiuſdem cum nitro facultatis,& naturæ:ſed eſſentiæ tenuioris. Quære dict. Nitrum.

Sputum,eſt quo exiſtit,vacuatio fit:cuius tum potiſsimum vſus eſt, cum thorax, & alia inſtrumenta reſpirationi ſeruientia expurgantur. Quapropter vbi ſputum fuerit exquiſitè ſimile illi quod ſecundum naturam eſt, integram ſanitatem inſtrumentorum,quibus ſpiratio ipſa perficitur,ſignificat: ſi verò impediatur, receſſeritque à naturali habitu,læſas partes eſſe demonſtrat.Hipp.Pronoſt.lib.ij.xliij.Galenus lib.j.de Criſibus,cap.v.

Sputum abſolutæ concoctionis,eſt leue, album,æquale, neque conſiſtantia liquidum,neque craſſum. Si tenue,non atrum,languidæ concoctionis indicium eſt.

Sputum liuidum,aut æruginoſum,aut atrum,ſummam perniciem oſtendit.nam ſi facilè educatur,conſtat eſſe ſalubre:contrarium verò,malum. Hipp. Pronoſt.lib.ij.

Sputum ſummæ cruditatis, eſt quod ſi ne quicquam expuitur, niſi prauum quod videatur:ſin humida educi incipiunt,ſed exactè cruda,ſubobſcura adhuc, inconſtans eſt tranſmutatio:definítq; tunc prima morbi pars,quæ principium dicitur.

Sputum maturum eſt,vbi pauca & matura expuuntur:continuóq; ſubinde plura & faciliùs educūtur,tum morbi incrementum inſtat:ſed exactè maturum,cùm plurima,ac facillimè excreantur,ad vigorem morbum peruenıſſe iudicandum erit.

Sputum ſanitatem repræſentans,eſt ſi natura facillimè,ſed pauciora, educuntur, amoto etiam dolore,ægérque facilè ſpiret,leuitérque morbum ferat,tunc certiſsima morbi declinatio eſt.

Sputum ſubflauum,ſubrufum,leuiter ſpumans,& tenue, ſolam cruditatem: malum verò nullum inſigne demonſtrat.Syncerè flauum,rufum,ſpumoſum,viride,viſcidum,rotundum,atque iis adhuc magis nigrum,prauum eſt.

Sputum cruētum ſanguineūvè,mediocre eſt:flauæ verò bilis, aut nigræ, difficile. Nam præter ſanguinem,quicunque reliquorum humorum ſyncerus fuerit, prauam oſtendit diſpoſitionem,à calore inflāmato generatam. Gale.Loco.affect.li.iiij.cap.vj.

Sphera σφαῖρα, eſt ſolida & corporea figura,vna quidem cōnexa ſuperficie contenta,in cuius medio pūctus eſt,à quo omnes rectæ lineæ, ad circunferētiam eductæ, inuicem ſunt æquales.hæc Theodoſius in lib. de Sphæris.aliter: Sphæra, eſt quando ſemicirculi manente dimentiente,circūductus ſemicirculus in ſeipſum rurſus reuoluitur, vnde incœpit circumaſſumpta figura. & hæc definitio cauſalis, & imaginaria eſt:vt eſt author Euclides Elemētorum li.xij.altera autē ſphære definitio,propria eſt.

Stachys στάχυς,herba marrhubio ſimilis,paulò longioribus tamen foliis,pluribúſque,modicè hyrſutis,& duris,iucundi quidem odoris,virgulis ab vna radice permultis,quàm marrhubii candidioribus. Apud officinas nullum habere nomen peculiare Ruell.ſuſpicatus eſt, quam tamen Ambroſiam appellari vult Geſnerus. Rura mollem Saluiam montanam ſiue etiam erraticam,vocant.

Stacte στακτή,liquor myrrhæ expreſſus: Myropolis liquidum ſtorax appellatur. Styracis nāq; vna calamytha,altera liquida habetur:quæ verò liquida,fœtēs:calamytha odorata eſt. Quære dict. Myrrha,& Styrax. Dioſco.lib.j.cap.lxij.

Stamina κροκοὶ,ἢ κροκαὶ, ἐν μέσῳ ἀνθῶν,florum ſunt,quæ veluti filamenta ab intimo floris ſinu profiliūt,id eſt parua capillamēta crocea in florū medio prouenietia.

Staphis agria σταφὶς ἀγρία, καὶ σταφυλή,id eſt,vua taminæa,cuius ſemine Seplaſiarij vtuntur,etiamnum ſub hoc nomine, herba pedicularis, quòd pediculos enecat, vt eſt author Largus. Plinius vuam Taminiam, & interdum Labruſcam, vocat. C. Celſus lib. iij. cap. xxj. Vuam Taminiam Staphida agriam Græcis dicit appellari. Dioſc.lib.iiij.cap.cxxxvij.

Staph

Staphylodendrum ϛαφυλῶδενδρον, arbor ſimillima aceri, alba in materia, fert ſiliquas, & in iis nucleos ſapore nucis auellanæ. hæc in tranſalpinis montibus inuenitur. vt author eſt Plinius. Contendunt nonnulli Theophraſti colyceam videri. Repete dictionem Colycea, & Acer.

Staphylinus ϛαφυλῖνος, paſtinaca eſt, quam vulgò vocant, Scharrotam & rubentem intus, & flaueſcentem alteram. vide plura in dict. Paſtinaca.

Stater ſtateris, aſſes ſignatos duos pendet, ſcrupula duodecim.

Stelis ϛελὶς, id eſt, quod in Larice, & abiete pullulat, dictum Hyphear Arcadibus, non viſcum. Quære dict. Viſcum.

Sternum, eſt pectoris ſiue thoracis os, totum ex cartillagine cõpoſitum, in ſe conſtans diuiſuris ſeptem, quibus coſtæ veræ excipiuntur. Vide dict. Coſtæ.

Stœbe ϛοιβὴ, odorata herba Galeno, quæ longè differt ab ea, quæ Scabioſa herbariis vulgaribus nominata eſt. Gal. li. j. de Antidotis. Vide Phleon.

Stœchas vel ſtichas ϛιχὰς, duûm generum eſt, vna citrina, quæ pro Agerato accipitur: altera Arabica officinis vocitata: quæ quia in Stechadibus inſulis frequentiſsima, accepit nomen. Dioſc. li. iij. cap. xxvij.

Status ſeu vigor ἀκμὴ, eſt tertium & vehementiſsimum totius morbi tempus. Quære dict. Declinatio.

Steatoma ϛεατῶμα, abſceſſus eſt in quo veluti pingue quiddã ſeu adeps ſubeſt: cui non diſsimilis apparet ἀθερῶμα itidem abſceſſus, in quo pulti ſimilis humor cõtinetur. Curatio eſt apud Gal. lib. ij. ad Glauc.

Stenoticum, id eſt, eadem ora conſtipans, & contrahens, ſi frigidum, adſtringens, craſſarum partium, non acre, vt bolus Armenica, & terrenorum corporum magna porcio.

Sterilitas, eſt quæ aut viri, aut mulieris ratione, aut vtriuſque interdum accidit: cùm in viro ſemen eſt vel feruidum, vel frigidum, tenue, aquoſum, languidum, vel craſsiùs, quàm oportet, vel mentula breuitate in receſſum vuluæ ſemen iaculari nequeat: in muliere, quòd vterum habeat vel igneum, vel frigidum, & ſqualentem, aut humidum, vel aridum, denſúmque.

Sterilitatis auferendæ curatio eſt ampla apud Fuch. de Medend. mor. li. iij. cap. lj.

Stimmi, id eſt, ſtibium, vulgò Antimonium: foſsitium quidem eſt. Gal. lib. ix. Simpl. & Sanitatis tuendæ, vj. Dioſc. lib. v. cap. xlix.

Stomatica medicamenta, ea ſunt quæ ad vuæ, faucium, & oris totius tumorem benefacere creditur: ſtomachica verò ad ventriculi oris, ſtomachíque imbecillitatem ſubueniunt.

Stigmata ϛιγμάτα, ſunt maculæ quantitate & forma hominis cutem & ſuperficiem decolorantes ac variantes: quibus etiam ἐξανθήματα, hoc eſt, tumores ſponte in cute florentes, à craſsis & cuti impactis humoribus nati.

Stomachus ϛόμαχος, eſt oſculũ & os ventris, vulgò orificium ſtomachi: in eo vis appetendi, & deglutiendi, veteres & id καρδία, hoc eſt, cor, vocabant teſte Galeno, vnde eſt etiam cardiaca paſsio, & cardiaalgia, quam Plautus cordiolum interpretatus eſt.

Stomachi vitium ἀτονὸν Græcis dictum, eſt quod cum ſiccitate, & ardore eius, & inrequiebili: inextinguibilíque ſiti conſiſtit: ab eo quòd exſiccat omnem ſtomachi humorem: cuius curationem apud Sc. Largum petes, cap. cv. in Diacolocynth.

Stomachus ſub eſt faucibus, in quo plura longua vitia incidere conſueuerunt. Nã modò ingens calor, modò hunc inflatio, modò inflammatio, modò exulceratio afficit: interdum pituita, frequentiſsimúmque eſt eius malum, quo reſoluitur: neque vlla re magis aut afficitur, aut corpus afficit. Vt diuerſa autem vitia eius, ſic etiam remedia ſunt. Vide plura apud C. Celſum lib. iiij. cap. v.

Styrax arboris Syriacæ lachrima, flaua, pinguis, reſinoſa, albicantibus grumis: deterior nigra, furfuroſa, cano ſitu obducta. Gal. lib. viij. Simpl. & primo Antidot. Dioſcor. lib. j. cap. lxviij.

Stranguria στράγγουρια, eſt cùm per interualla & guttatim vrina deſtillat, ac aſſiduam ad mingendum irritationem efficit : atque vrinæ ſtillicidium appellari poteſt. Vide in dict. Vrinæ ſtillicidium.

Strangulatus ſeu prouocatio vteri πνὶξ ὑστερὶκη, eſt vteri ad ſuperiora recurſus in conſenſum agens principaliſsimas partes, veluti carotidas, arterias, cor, & cerebri membranas. Quære dict. Vteri ſuffocatio.

Stolones πὰ ῥαβλαστήσεις, καὶ πὰ ῥαστπάδες, illa cauliculorum ſoboles, inutiliſque radicibus fruticatione : qui auulſi etiam arboribus, viuunt, plantantúrque. In vite ſoboles eſt, quæ in ipſarum & arborum radicibus attolluntur.

Stratiotes aquaticus, στρατιωτὴς ὁ ἐπι ὑδατῶν. Stratiotes Dioſ. li. iiij. cap. xcviij. Millefolium noſtrum Io. Agricola eſſe contendit, quod per omnia reſpondet hiſtoriæ. Quanquam autem & alia occurrit planta libri eiuſdem Dioſc. cap. ccx. deſcripta ſub nomine Myriophyllon: cuius dict. petes.

Striæ ἐ'ξοχαὶ, in plantis partes quædam ſunt protuberantes, ſicuti cana, canaculíque: hinc coles ſtriatos, id eſt, ſtriis præditos appellare viſum eſt, quaſi ſtriaturis exaſperatos. hæc ex Ruell. Geſnerus.

Strobilus στροβίλος, κῶνος, nux pinea, & globoſus cynarę vertex, à cynæ ſimilitudine. Pineæ arbores Italiam Strobili etiam appellantur Plinio referente. Pityides autem interni earum ſunt nuclei.

Strobus στρόβος, arbor imaginatur apud Carminianos populos, quæ ad odoris ſuffimenta fragrantia expetitur: & ſi Strobon Ladanum neotericis medicis affirmatur.

Struthium στροὺθιον, lanaria herba eſt, vulgò ſaponaria, vel fullonia: quam Dioſ. Raticulam appellat. Nonnulli docent apud officinas Condiſi voce barbara appellari. Dioſc. lib. ij. cap. clij.

Strutheia mala στρούθεια μηλά, Cydonia mala, ſiue mala Cotonea agreſtia ſunt: magna quidem habẽtur Struthia mala, ſed minùs vtilia, iis quæ rotunda forma, parua, & odorata ſunt: Quære dict. Cydonia mala, & Cotonea.

Strychnon στρὺχνον, pro Salano hortẽſi, hoc eſt, Salatro vulgari vſurpauit Manardus: verũ quia multiplex vbiq; locorũ naſcitur, Quære diuerſitatem in dict. Solanũ.

Strygis στρυγὶς Hippocrati, frumenti ſpecies, ſed tritico nobili grano lenior eſt, quæ plus etiam ventrem ſoluit. Granum hoc neque Tragum eſt, non tamen à ſpeltha degenerat videlicet niuore: nam apud Helueticos pagos ſpelthæ duûm generum agnoſcitur, ob id quoque Strygem ſpeltham minorem eſſe coniiciendum eſt.

Strumæ χοιράδες, glandulæ ſunt induratæ, quæ in collo, alis, & inguinibus ferè generantur, vbi glandulæ vaſis ſubſtratæ collocantur. Methodici vulgares Scrophulas, à ſuibus multiparis animalibus, & eo malo frequẽter laborãtibus, mutuato nomine, appellant. Curatio petenda eſt ex Gal. lib. ij ad Glauc. & ex AEgyneta lib. iij.

Strutiocamelus auis, à figura Cameli anĩmãtis proceri nominis habet cõpoſitionem: Auſtrix etiã nomine peculiari appellatur. Gale. autẽ affirmat στρουθιοκαμὴλον, non eſſe vocem veteribus conſuetam, qui eam auem μέγαλὴν στρούθον, ſemper vocauerunt. huius caro excrementitia eſt, & concoctu difficilis: ob idque inuſui eſt.

Sturio, vt Scholiaſtes coniicit, à vulgo vox eſt excogitata, ad ſignificationem maioris piſcis: Gallis *Eſtourgion*, omnium lautiſsimus, & mari mediterraneo valde frequens. Caro eius quadrupedis veriùs carnem repræſentat, quàm piſcis: priſcis quoque ſcriptoribus Silurus reputatus, vt ſcriptum reliquit Paulus Iouius, reclamante Maſſario: quorum Commentarios legens non nauſeaberis.

Sturnus, & Sturdus ὁ ψαρός, auis quæ nomine etiam vulgari Gryua dicitur: differtq; à Turdo gregaria aue notiſsima: cuius caro amara edẽtibus adeo eſt, vt veniat in contemptum: at alterius ſuauis & ſumentibus laudatiſsima, quàm Merulæ etiam auis caro. Sed plura in dict. Quercedula.

Suber ἡ ἰ'ψὸς καὶ ὁ φελλὸς, arbor glandifera Geſnero, tamen Ruellij ſententia: quæ quoque Lyegium, vt eius cortex, vulgò venit in appellationem.

Sura πτέρνη, cruris minus os nũcupatur: maius verò os κνημὴ, tibia & ei nomẽ eſt. Nam

Nam tota hæc pars,vt etiam tibia,ita & crus dicitur:vt in cubito. cuius petes dict.

Syce & Sycas συκῆ, καὶ συκὰς, σῦκον, ficus arbor, & ſycon pomum, Sycada tamen Polluci placet nouellam ficũ intelligi. Eſt & ſyce,peplos, συκῆ, πέπλος, id eſt, Eſula rotunda:de qua imperiti medici pro Turpeto, medicamenta pernicioſa populatim effingunt.

Sycomorus συκόμορος, arbor in AEgypto peculiaris, vtriuſque parentis nomen retinet ficus videlicet,& mori. Eſt etiam Sycaminos, ſiue ſycaminea συκάμινος, συκαμινέα, καὶ μορέα pro fructu, atque pro ipſa arbore appellatio habetur. Officinæ mora Celſi arboris quidem fructum eſſe appellatione,& re volũt. Gal. li.ij. Aliment. dicit poſſe reponi in medio mororũ ac ficuum:vnde huic nomen eſt etiã impoſitum.

Sycaſmos συκασμὸς ἐρινασμὸς, caprificatio à Plinio vocatur in arboribus,quoties per ver cortex cultello finditur,vt cõmodius prorumpant atque creſcant ſimilitudine caprifici,quæ ruptis muris intumeſcens exit. ſunt tamen qui hoc ſcarificationem malint appellare.

Symphona συμφώνη, alternis viridibus roſeiſque foliis ſecundum caulem herba quæ viſitur: eaque in poſca ſanguinem reiicientibus mederi opinio eſt. Apud olitores Geneſia herba,& heleſina, vocari cœpit: betæ ſimilitudine, niſi quòd ſingula folia bicoloria ſunt,partim rubra, partim herbacea.

Symphoniaca Apuleio ὑοσκύαμος, καὶ συμφωνιακή, id eſt, herba Apollinaris, vel hyoſciamus: quæ & Symphoniaca habet nomen: officinis corruptè Iuſquiamus. Quære dict. Altercum,& Hyoſciamus.

Symphytum σύμφυτον, quatuor generum depræhenduntur: magnum, alioqui conſolida Enulæ campanæ quæ folia habet:radicem extra nigram: intus verò albam glutinoſam,pollicis craſsitudine:altera,inferior multò atque in totum differt:Butalmus βούταλμος, ſiue Bouis oculus communiter nominatur:tertia, nomine alio Bellis,vulgò Margarita pratenſis,& hortenſis dicta,ob floris pulchritudinem:nullius tamen odoris,quæ pulchrè conuenit in puellarum coronis:ſed & quarta,Conſolida petrea dicta:& Symphytum petreum:Dioſcoridi Alus:cuius vide dict.

Symphyſis σύμφυσις, eſt quæ quaſi coälitu vnitur in duos proceſſus:in coronem videlicet, quę in acutum tendit, ac in ceruicem tantùm deſinit. Nam proceſſus ſunt apophyſis ἀπόφυσις, καὶ ὑπόφυσις. Symphyſis, id eſt, coälitus, tres ſunt differentiæ, quæ priſcis nominibus carent: recentioribus ea ab intermediis, hoc eſt, à cartillagine συγχόνδρωσιν, à neruis συννευρώσιν, à carne autem συσσάρκωσιν, appellari licebit, Synathroſeos, triplex ſpecies eſt, Sutura, Gomphoſis, & Armonia: ſuis locis repoſita.

Stypium στυπεῖον καὶ στυππεῖον, Phocionis grammati deſcriptione, generis Lini ſtuppa eſt: quia lini ſtypula poſtquam per maturitatem vulſa eſt, concutitur, & quaſi tota in ſtuppam conuertitur:eſtque adurentis facultatis:ſemen verò mucoſum, & facultatis emollientis. Stypium igitur Gnaphalium non eſt.

Syringias συριγγίας καλαμὸς, totus concauus calamus eſt, quia verò fiſtulis aptiſsimus ita dictus,quòd nimirum ei carnis ſit nihil,atque cartillaginis,vt Plinius exiſtimat. Dioſc. non hunc,ſed alterum,cartillagine craſſa, & carne, deſcripſit. Reliqua diſtulimus in dict. Calamus,& Arundo.

Syderatio σφάκελος, gangrena eſt,à qua poſt magnas enim inflammationes aliquoties ſequitur affectus,qui necroſis, vel Sphacelus Græcis, Latinis verò extinctio, vel ſyderatio,vbi ſcilicet pars priuatur vita, vocatur: vel ſimiliter gangrena dicitur, cùm videlicet pars nondum mortua eſt,nec ſenſu priuata,ſed emoritur,ad extenſionémque tendit. Author curationis eſt Galenus ſecundo libro ad Glauconem: cuius interpres Acakia.

Symptoma σύμπτωμα, eſt accidens,ſeu etiam in morbo acceſsio ipſius:Sed ſymptoma generatim ſumptum, eſt quicquid præter naturam animanti accidit: ſic & morbi,& eorum cauſæ internæ,ſymptomata dici poſſunt. Speciatim verò acceptum quicquid præter naturam ſe habet,exceptis morbis,& cauſis,denotat. Sic ſumptum

ſym

ſymptoma nihil aliud eſt, quàm affectus præter naturam, qui velut vmbra morbum ſequitur:hinc eſt quòd à non paucis medicis alio nomine ἐπιγέννημα, id eſt, ſuccedens, appelletur. Gal.li.j. de Sympt.diff. Symptomata ſpeciatim accepta trifariam diſtinguntur:de quibus ſuo ordine fit explanatio, vti diligens lector animaduertet.

Synanche συνάγχη, inflammatio eſt quæ in interioribus faucium muſculis oritur: παράσυνάγχη verò, quæ in exterioribus eorundem fit muſculis: vt relatum eſt in dict. Angina.

Syncope σύγκοπὴ καρδιακὴ, eſt præceps, ſeu affatim factus vitio cordis virium lapſus. vel, eſt vniuerſarum virium præceps, ſubitáque ruina, hoc eſt, κάταπτωσις ὀξεῖα, καὶ ἄθροα, δυνάμεως, quæ contingit, & interceptis ſenſibus, & liberis: quam animi defectus ſæpe antecedit, aliquando comitatur: aliquando verò ſolus affligit. Author Acakia ſuper j.li. ad Glauc. Gal.

Syncope ſtomachica σύγκοπὴ ϛομαχικη, eſt animi deliquiũ, ſeu virium lapſus, vitio oris ventriculi malè affecti eminens. Fit ob plurimam ſanguinis, aut ventris excretionem, motum vehementem, dolorem ingentem, vigilias, omnem immoderatam inanitionem, timorem, terrorem, & alias animi perturbationes:ob crudorum denique humorum copiam, inflammationis magnitudinem, vitioſos & erodentes humores, auræq; fœtidæ perſpirationem. Curatio integra eſt apud Fuch.li. ij. de Morb. cap. xj.

Sylibus & ſylibon σύλιβος, ſpina eſt lata, foliis chameleonti albæ ſimilibus, quæ recens nata coquitur cum radice, & cum oleo, ſale & aceto iniecto manditur: Rura bonum carduum vocant. Canarorum verò monticolæ caucalim eſſe ſuſpicantur, rapi forma, ritu vè in eduliis edentes.

Syndrome ſeu concurſus σύνδρομη, eſt quando concurſio ſignorum plenitudinis humorum non apparet, nec vlla eſt ſuſpicio compræhenſionis, aut duritiei inſtrumenti, cordíſq; intemperiei, certum eſt pulſus inæquabilitatem, aut interceptionem ab obſtructione profectam eſſe. Redi ad Acakiam ſuper lib.j. ad Glauc.

Synochus συνοχὸς, febris ea eſt, in qua vna acceſsio ab initio ad finem perpetuò manens in multos dies porrigitur. vel, eſt quæ omni mutatione magna vſq; ad indicationem caret:& hæc continens febris dici poteſt: cuius natura eſt duplex, quædam namque notam putredinis prorſus nullam habet, & hæc in diariis eſt. Quædam autem manifeſtam obtinet putredinis notam, & hæc putrida Synochus eſt: cuius curationem docet Fuch. de Med. morbis lib. iiij. cap. iij.

Synochus duplex eſt, quædam namque earum manifeſtam habent putredinis notam: quædam verò prorſus non habent, quas ex Diariarum febrium genere eſſe fuſiſsimè docet Gal. Method. medend. li. ix. & de Diffe. febr. li. j. cap. ix.

Synochi febrium tres ſunt iterum differentię, illarum quædam à principio ad finem æquali magnitudine ac vehementia perdurant:vel ſunt in eodem vigore permanentes. has Græci ὁμοτονοὺς καὶ ἀκμαϛικοὺς vocant. Quædam autem ſemper augentur & exiguum aliquid adiiciunt, incrementum quoque ſuſcipientes, aut inualeſcentes ἀναϐαϛικοὺς, καὶ ἐπακμαϛικους Græcis appellantur. Alię generis tertij Synochorum ſunt, quæ paulatim diminuũtur, ac decreſcunt: ideoque παρακμαϛικους, ſiue decreſcentes nuncupantur. Plura lecturus in dict. Febris continua.

Syſtole συϛολὴ, eſt contractio ſedis ſpirituum ſenſum non mouens, ſed ratione & conſequentia depræhenduntur: cuius contrarium, διαϛολὴ eſt, vt per arteriarum agitationem cor motu ſuo continuo, tam pulmonum motu, quàm ſua facultate omnibus in animantibus experitur. Vide Cor affectum.

Syrupus aut ſimplex eſt, vt zulapiorum ſpecies; vel ex multis compoſitus, ob effecta & plurima, & maxima, vt apozematum, hoc eſt, maiorum ſyruporum, formæ. Item Syruporum aliqui ſunt ſpecies oximellitis: alij denique aromata recipiũt, Actuarius, Meſue, Nicolaus, Fuchſius, & Syluius horum compoſitionis ſunt authores.

X

De litera T.

T*Abes* φθίσις, etſi omnem corporis maciē & diminutionem denotet, tamen eam extenuationem ſignificat, quæ pulmonis inſanabilia conſequitur vlcera. Fit namque propter humoris acris, & erodentis à capite in pulmones defluxum, & cum puris, aut ſanguinis eruptio in ſuppuratis, perineumonicis, & pleuriticis cohibetur. Eſt & pupillæ tabes φθίσις dilatationi in oculo malum: in eo enim pupilla anguſtior, obſcurior, & rugoſior fit.

Tactus, eſt index certus mollis, duri & aſperi, lenis: molle eſt, quod cedit noſtræ carni: durum contrà, cui noſtra caro cedit: illud quoque facilè patitur, alteratur, corrigitur: hoc difficulter. Aſperum quoque à ſiccitate, eſt lene ab humiditate: ob ídque medicamenta purgantia, præſertim virium violentarum, ſunt lenia, ſunt ſalubria, & alia ſimiliter, quibus præſertim & lenibus & aſperis in eodem genere eſſe contingit: aſpera, contrà. Tactiles namque actiones, ſunt durities, tenſio, ariditas, flacciditas, & cutis ſenum rugoſitas.

Talus ἀστραγάλλος, malleolus, & clauiculæ, tibiæ pars infima & extrema, vt recitat Gal. in lib. de Oſsibus. Vide quod eſt reliquum in dict. Aſtragallus.

Talchum, terræ materia, quæ præ ſe fert Samiæ terræ ſimilitudinē. Dioſc. & Gal. Aſter Samius à ſtellæ nota, vel etiā à ſtellæ ſplendore, appellata videtur. Ex Germania ad alias regionum orbis plagas, quia verò illic copioſa foditur, referente I. Agricola, & defertur. Quære dict. Aſter Samius.

Tamar Indicum, vulgaribus medicis, & officinis Tamarindi, Indiæ dactili ſiue palmulæ ſylueſtres, qui fructus Arabum diligentia ad poſteriores medicinæ profeſſores magno cum beneficio peruenerunt. Hos priſca Græcorum, Latinorūque medicina ad Actuarium vſque ignorauit, nobis modò vſu quidem frequentes. diſtinguntur à Myrobalanis, quod dactilos quidam appellarunt, quòd hi nucleis ſint expertes, illi verò fulciantur. Repete dict. Dactili.

Tamarix μυρική, Myrica Vergilio: vulgus Tamariſcū vocat: cuius duæ offeruntur ſpecies, quæ noſtras ſterilis eſt: ſed quæ aliena nobis eſt, gallæ fructus profert ſimiles. Gal. lib. vij. Simpl. Dioſc. lib. j. cap. xcix. Vide præterea dict. Myrica.

Tanacetum & Tanaſia, vulgus Matricariā: ſed rectus cū Græcis Latini, Partheniū vocant: Artemiſiā, coniectore Othone, aut ſecundā Parthenij ſpeciē afferentes: volunt etiam aliqui inter Ambroſias adnumerari: habes plura in dict. Parthenium.

Tarchon ταρχὸν, vt ex Ruell. Draco hortenſis, ſuſpicatur Geſnerus: atque ex quodam Symeonis interprete, huius nominis ſuſpicionem affert haud vndique reiiciendam. Turba Parhiſiorum hanc herbam *Eſtargon* vocat: Allobroges omnes cum Seguſianis, id eſt, Bellicinis, Peuream, id eſt, piperitim ob quandam ſecum acrimoniam in acetariis mandendo repræſentantem, peculiariter nominant.

Tarda ὠτὶς, καὶ οὐτὶς, vulgò *outarde:* Latini huic aui vt ſcribit Scholiaſtes, nomē à tardo volatu indiderūt. huius caro inter grues, olores, ibides, & anſeres, media eſt.

Tarrhaxacon, Braſſauolus Serim interpretatur, ſiue Seridem ſylueſtrem: quæ apud Dioſcoridem amara deſcribitur, cichoriūque appellari dicit: quæ quoque Allobrogibus literarum metatheſi Soltornea, id eſt, Solſequia vocata, ſiue Seris ſylueſtris, ſiue Cichorium Dioſc. Tarthaſacon reputatur. Vide dict. Cicerbita.

Taron ταρὸν, Aëtius Agalochon ἀγαλόχον, καὶ ξυλοαλόεν, id eſt, lignum aloes, exponit: quod officinis pariter quoq; ſolet nominari. De hoc ligno vide Agalochon.

Taxus σμιλάξ, καὶ ταξὸς, arbor tota facultatis vī venenū, & ab eius etiam nomine toxicum referens appellatum: atque qui de ea arbore guſtauerunt, celerrimè nocte corripiuntur: quando & vmbra lætalis. In pyreneis Galliæ montibus frequens locorúmque

rúmque incolæ Iphæam,& Iph.nominant:Dioſ.li.iiij.cap.lxviij.& li.vj.cap.xij.

Telephion τέλεφιον, malignitatis tantæ vlcus eſt, vt ſalutarem Achillis manum requirat:à rege Myſiorum Thelepho dictum, quòd in eo nulla remedij ſpe nimirum conſenuerit.

Telephion τέλεφιον,vel ſedum medium,vulgò faba inuerſa,vel Sẽper-viuum medium,officinis Scrofularia maior,eſt appellatum. Dioſc.lib.j.cap.clxxviij.

Telis τεῖλις, buceras & cera ſtis, quod fœnum græcum eſt:Hippocrati ἐ πτυεράς, quoniam fructum corniculis ſimilem habeat:vnde Siliquam nonnulli appellant. Plinius Siliciam,& Varro Siliculam. Vide Fœnum-græcum.

Temperamentum κρᾶσις, ex calido, frigido, humido, & ſicco mixtura eſt: vnde à temperamento naturæ facultas expetitur. Temperamentorum differentiæ in vniuerſum ſunt nouem:tẽperata quidẽ vna,non tẽperatæ octo:quarum quatuor ſimplices ſunt,humida,ſicca,calida, frigida: quatuor compoſitæ, humida ſimul & calida, ſicca pariter & calida, frigida ſimul & humida, frigida ſimul & ſicca.

Temperatum ἔυκρατον,duplex eſt,vnum quidem tẽperatum ſimpliciter dictum: alterũ autem tẽperatum in ſingulis generibus. Tẽperatum ſimpliciter,hoc eſt,ad vniuerſam ſubſtantiã, vel reſpectu totius naturæ, eſt in qua prorſus æqua elementorum portio exiſtit:quòd cogitatione quidem vſurpatur,quàm vt ſolidè ſubſiſtat.

Temperatum in ſingulis generibus, eſt in quo ea contrariorum elementorũ mediocritas exiſtit:quæ cùm animantis,tum ſtirpis naturæ maximè conuenit. Hippoc. in lib. de Natura humana: Gal.de Temperamentis lib.j.

Temperatura æqualis duplex eſt, vna ad pondus, in qua par pondus elementorũ cõmixtorum ſpectatur moles, quam nuſquã inueniri medici contendunt: altera ad iuſtitiã,in qua nimirũ ſic cõmixta ſunt elementa,vt mediocritas illa quæ horũ mixturam ſequitur,naturæ animantis,ac plantæ conueniat.

Tempus, eſt numerus primi motus ſecundũ priùs, & poſteriùs: primus motus, is eſt, qui eſt primi mobilis.mobilia hoc ordine ſunt ſita,altera, aqua, terra, aër, ignis, cælũ Lunæ,Mercurij,veneris,Solis,martis,Iouis,Sarturni,Firmamentũ,primũ mobile. Eſſe in tẽpore,eſt menſurari tẽpore:ea verò menſurantur tẽpore,quorum duratio tempus eſt:aut quæ incipiunt, & deſinunt in tempore.

Tempora anni ſunt quatuor,ver,æſtas, autũnus,hyems in tẽperamentis ſunt ſtatuenda,vt facilè cognoſcitur. horum ſiquidem quodlibet ex ſuapte eſtimatũ natura, non ex alterius cõparatione calidum, frigidum, humidũ, ſiccũ, vt debet nominari. Et ſi formã ſcribendi Hipp.& Gal.ſpectes,apparebit tibi ver eſſe omniũ exceſſus planè in medio: ita quoq; de cæteris anni tẽporibus in exceſſus medio coniectandũ. Ver tametſi calidũ & humidũ, dici non poteſt, quòd nimirũ calidum eſſe ac tẽperatum inter ſe pugnent. Hipp. Aphoriſ.lib.iij.ſect.ix.& ipſius Gal.interpres:necnon Tẽperament.lib.ij.& iij.

Tempus anni præſens in ventre ſubducendo conſiderandũ, quoniã verò tempus quoddã anni purgationẽ minùs ſuſtinet,deſiderátq;: atq; ob id porrigere temerariũ. Tempus autem anni partes quatuor intelligendę ſunt. Hippocr. Aphoriſ. lib. iiij. ſectione quinta & ſexta, cum cõmentariis Gal. Sic quoque morborum tẽpora quatuor numerantur,principium,incrementum,vigor,& inclinatio.cuius quidem rei meminimus in dict. Morbi principium.

Tembulum τέμβουλον εἶδος φυλλου ἢ μάλοβάτρου, quæ quidem malobatri ſpecies altera eſt:ſicut vſurpauit Aëtius Simpl.lib.j.

Tendo, eſt qui ex neruoſis propaginibus,muſculorum conſtituitúrque capitibus: vt Gal. author eſt ij. li. ad Glauc. cuius curationis explanator Acakia ſuper eodẽ lib.

Tenuis vrina, eſt quæ innati caloris imbecillitatem, & frigiditatẽ dominantem, cruditatem, iecoris, renũque obſtructionem ſignificat: cuiuſmodi vrina tenuis ſuo loco deſcripta eſt:nempe quæ tenuis vrina eſt & alba,vt aqua:aut imbecillitatem virtutis,aut obſtructionem renum,aut iecinoris denotat:& in ardentibus quoque febribus phrenitim. Melancholici ſiquidem humores obſtruentes craſsitie ſua meatus, huiuſmodi vrinas efficiunt.

Tenuis vrina & rufa, alba quidem melior eſt, quòd ad colorem, cruda tamen ſi ſubſtantiam ſpectes. Tenuis & flaua vrina, non ſolùm malam coctionē, ſed etiam alimēti defectum, indicat: interdum oſtendit calorē multum in profundo bilioſum ſuccū gignere, vt in febre tertiana. Mœrorē etiam, curā, vigilias, ſolis æſtū, atq; laborem.

Tergentia medicamenta, ſunt quæ pilos extenuāt, vt nitrum vſtum, nitri ſpuma, fictiles teſtæ, pumex, oſtreorum omnium teſtæ vſtæ: ſic oſſa ſepię etiam non vſta, ſtrutij, bryoniæ, dracontij, ariſtolochiæ radix, veratra, beta, lixiuium.

Terminthus τέρμινθος, ex AEgyneta, Oribaſióq;, tumor eſt præter naturam, ſeu enaſcentia nigri coloris, in tibiis maximè conſiſtens. Sic dictus, quòd ſimilitudinem in figura, colore atque magnitudine cum terebinthi fructibus habeat.

Terminthus præterea tuberculi ſpecies alia eſt, cui puſtula nigra ſuprà infráq; adiaceat: qua rupta id quod adiacet deſquamato ſimile apparet, quo quidem diſſecto, pus depræhenditur. Dioſc. autem Alexandreus, quem recitat Fuch. ait terminthum eſſe eminentiam in cute conſiſtentem, rotundam, nigro viridem, terebinthi fructum referentem.

Terra Samia à Samo inſula nominata: Gręcis authoribus ἀστής eſt, vt Celſ. & Largus referūt. Terra omnis, inquit Dioſ. ad medēdi vſum recepta, ſummam vim & primā habet refrigerandi, meatúſq; obducendi, occludendíq;. ſed ſpecie diſtat, cum adiunctis quibuſdam ad alia ſit vtilis. Samia præfertur candida, lenis, tangenti linguæ glutinis modo adhæreſcens, mollis, ſuccoſa, friabilis. cuiuſmodi eſt quam aliqui collyrion vocant: altera Aſter appellatur, cruſtacea, & cotis modo prædēſa. Quære Dioſ. li.v.cap.xciiij. Gal.de Terræ differ.li.ix. Aëtius quoque legendus in integrum lib.ij.

Terra merita vulgariter officinis appellata, Ciperus Indicus eſt, zingiberis effigie, quod manducatum croci vim reddit, guſtu amaro ſentitur, & illitum præſentem philothri vim exhibet: philotron namque Bryonia ſiue vitis alba, eſt: vt in ſuo loco retulimus.

Terra ſigillata, Lemnia tellus, & Sigillū Lēnium, eſt, quo profecto caret tota apud Gallias pharmacopeia: nā pro hac tellure impoſtura ſigilli emendicata, bolū Armenicum oſtentant officinæ. Repete Sigillum Lemnium, & Bolus Armenus.

Tertiana febris cōtinua, eſt quæ cū tertiana exquiſita intermittēte, quòd perinde atq; illa tertio quoq; die acceſsionē obtinet. Quod ſupereſt, repete in dict. Sinochus.

Tertiana notha, fit quando bilis maxima ex parte pituitæ miſcetur: hinc eſt quòd non ſingula ſigna, vt in exquiſita puræ bilis naturam præ ſe ferant.

Tertiana exquiſita, fit cùm flaua bilis extra vaſa putreſcit: ſic dicta, quòd vnum diem intermittat, & tertio redeat. Gal. curationis author eſt lib. ix. Meth. & lib. j. ad Glauc. Fuch. de Medend. morb. lib. iiij. cap. iiij. vj. & vij.

Tertianæ, & quotidianæ quatuor ſunt cōplicationes, vna quidē, quādo tertiana & quotidiana cōmiſcentur: altera, cū tertiana intermittens quotidianæ cōtinuæ coniungitur: & hæc ἡμιτριταῖος vocatur: quòd ſcilicet tota eius natura, dimidia parte alterutrā prædictarū febrium habeat. Tertia, quando quotidiana intermittens tertianæ continuæ miſcetur: quarta, vbi quotidiana cōtinua, tertianæ continuæ coniungitur. Item febres eiuſdem generis cum aliis eiuſdem generis cōplicantur: vt continuæ cum continuis: intermittentes, cum intermittentibus. Rurſus aliæ cum aliis ſpeciei eiuſdem. Gal. lib. ij. de Differ. febr. cap. vij. Item. de Criſibus lib. ij.

Teſtudo ἡ χέλονη, quæ torpedo quoque dici poteſt, ſi Largū ſequimur: ex eorum genere eſt, quę ὀστρακόδερμα dicuntur, & oua pariunt, ponūtq;. Sexus vtriuſq; eſt teſtudo, maris, & fœminæ, aquā terrámque incolētiū: maris notæ habentur à concha lata per mediū concaua, totam partem incūbentem velans: ſuper aqua etiam graditur, neque ouiparus vt fœmina: cuius oua colōbi magnitudinem cōplent, illis tametſi lōgiora habētur. diſcernitur quoque à mare, quòd hæc patuloſior cum capite breuiore, & minutiore. Ex fero domeſticū fit hoc animal nutricatu paſsim depræhēditur: atq; ex Lacertorum genere ſuſpicatur. Ariſtot. teſtudines in aqua verſantes appellat ἐμύδας: ſed quæ terreſtres ſunt in deliciis hodie præferuntur, quoniā cibus ſtomacho optimè cōficitur, præſertim prodeſt aſtmaticis, tabéq; cōfectis medicorū celebrium ſentētia.

Teſtes qui & didymi,ſiue teſticuli,virorum ornamentum à natura expetitũ,officina ſeminis: Græcis διδυμοι, καὶ ὄρχεῖς: abſoluunt enim ſemen in ſuis meatibus:humidi & calidi,in partéſq; minutas valde ſecti:quorum ſcrotũ inuolucrum eſt,ἐ' πιδίδυμις dictum Græcis: in hoc venæ ſeminariæ à renibus, & aörta vena ductæ: quas iidem Græci πόρους vocant,implicantur.

Tetanus τέτανος,eſt extẽſio & ſuffocatio omniũ corporis muſculorũ & neruorũ, cũ in rectũ aut obliquum collum contrahitur,& maxillæ & dentes ſtridore cõcutiuntur, neque collum nuere,neque renuere poteſt qui detinetur. Quære dict. Conuulſio.

Teineſmus τεῖνεσμός,eſt aſsidua & quæ differri ac deuitari non poteſt eger ẽdi cupiditas:Sic dictus Græcis ἀπὸ τοῦ τείνεςἐ,quod conari ſignificat. Affectus hic fit vel propter frigiditatem extrinſecus occurrentẽ,humores acres,biliofos, aut pituitã ſalſam,vlcus, aut inflãmationẽ in inteſtino recto obortã:aut ſtercoris in inteſtino cœco coãcti obſtructio teineſmũ efficit. Curatio eſt apud Fuch. li.iij. de Med. mor.cap.xj.

Terebinthus τέρεβινθος,arbor reſinã fundens:in Syria,&oriente picem: fructum profert eſui aptũ niſi ſtomacho aduerſaretur:excalfacit,vrinã mouet,venerẽ excitat.

Teucrion τεύκριον, oculus catti officinis Braſſauolo videtur pimpinellæ deſcriptione ſua faciem teſtari. Ego verò pimpinellã inter ſyderitides,aut ſaxifragas,&teucrion inter calaminthas,adnumerarim diſsidente tamen Plinio,qui teucrion hemionitidem facit. Dioſ. li. iij.cap.cij. Teucrion eſt,inquit,herba ferulea,trixagini ſimilis, tenui folio ciceris figura:quæ vulgò oculus catti nominata apparet.

Thalictrum θαλικτρὸν, herbariis noſtratibus Ruellij quidem arbitratu Argentina eſt,ſed Geſnero,cotyla fœtida notatur. Dioſ.li.iiij. cap.lxxxiij. Thalietrum dixit, cuius folia coryandri ſunt,pinguiora paulò:caulem rutæ in quo folia: quæ trita,illitu antiqua vlcera ad cicatricem perducunt. naſcitur maximè in præruptis & campeſtribus.

Thallia Pompeio Feſto,cepæ folliculum interpretatur, quòd θαλὸς in olea dicitur. Eſt & in olea thallia ſummi ramorum cauliculi teneriores, nec à foliis ſua mollicie magnopere diuerſi. hæc Geſnerus.

Thapſia θαψία, vetus adhuc nomen retinet:ab antiquis Latinis Ferulago dicebatur. liquor herbæ ferulaceæ cum larga humiditate, ob quam citò corrũpitur. Primũ in Thapſo inſula inuenta eſt,vnde illi nomen. Gal.lib.j.compoſit.pharmac. κατὰ τόπους, ait, Tapſiam exulcerationes in cute excitare, & omnino quoſdam inflammatos tumores. Dioſc.lib.iiij.cap.cxxxviij.

Thelycrania θηλυκρανεία, Cornus fœmina, arbor fruticoſior, quàm mas, minùs tamen fructuoſa. Præcox cornus circa æſtiua ſolſtitia fructum reddit: Serotina,quã aliqui fœminam nominant, poſt Autumnum, baccis perquàm acerbis, & cunctis animantibus guſtu intactis. Cætera in dict. Cornus.

Therionarca θεριοναρκή,alia,inquit Plinius,exiſtimatur,quàm magica, in noſtro orbe naſcens,fruticoſa,ſubuiridibus foliis,flore roſeo. nomen inuenit,quòd ſerpentibus torporem inferat:& ſcorpiis admota, torpore ipſos afficit. hæc à Delphinio differt plurimùm.

Thlaſpi θλασπὶ, naſturcium erraticum officinis eſt, non autem ſinapi ſylueſtre, vt quibuſdam affirmare placuit: ignotum adhuc nobis exiſtimat Manardus, quod paſsim quidem in ſemitis frequens,vt apertè Dioſc. docet, quale noſtrum reperitur: vulgatiſsimúmque quibuſuis colligitur.acre,ac mordax ſemẽ eſt, & vires habet cauſticas:miſcetúrque in Theriacis veneno quouis profligando idoneis.

Thryallis θρυαλλὶς, καὶ λυχνῖτις, verbaſci ſpecies tertia, quam Parhiſini populi Boullionum, Allobroges thedariam, quòd ex eius videlicet ſtolone reſina pinguivè quopiam iniuncto,pro thedis vtantur,appellãt. Gaza apud Theophraſt. Thryallim trãsferre Pimpinellam auſus eſt:ſed Dioſc. lectione herbas eſſe differentes agnoſces. Vide dict. Verbaſcum.

Thuyum θυίον, rura Bellicenſium in Seguſia etiam Thuyam,quæ Throgetes eſt, arborem communi vocabulo appellant. huic proximum lignum eſt,quod Gallis Madarum & Madrum,vocatur.

Thus λιβανός, eſt lachrima Arabicæ arboris nomine Libani, cuius cortex inſigni ter adſtringit:mãna verò Thuris mica multa ex magnis faſciculis concuſſu eliſa colligitur,eſtq; ie ipſius thuris purgamentum. Primatum tenet in thuris genere maſculum Actuario:nam & ei Incenſum nomen eſt.

Theligonum θηλυγόνον, καὶ φυλλὸν, καὶ ἐλαιοφυλλὸν, fœmina eſt,in ſaxoſis naſcitur,vuas habet floribus oleæ ſimiles,pallidiores tamẽ.foliis itidem oliuæ eſt:caule tenui,breui:radice exili.florẽ albũ profert, ſemẽ papaueris maiuſculũ. potu fœminei ſexus facere partus creditur. Dioſ.li.iij.cap.cxx. Repete dict. Arrhenogonũ,& Foliũ.

Thracias lapis,vis ei gagatę:traditur aqua accendi & oleo reſtingui, quòd in bitumine accidit.Dioſ.li.v.cap.xciij.

Thumnus,ex cetaceorũ genere eſt,cuius caro,quam omotharicon vocãt, ſumpta iis auxiliatur,quos vipera nomine Preſter momorderit: ſed oportet vinũ quàmplurimum ſubinde cogantur bibere,ita vt vomitione reddatur. contra acrimonias eſilatorum maximè valet,canum morſibus vtiliſsimè illinitur.hæc Dioſcorides.

Thylacitis θυλακῖτις, ſatiuum papauer flore albicante, ſemen etiam album profundẽs ſublongo capitis vertiſillo incluſum.Eſt denique thylacitis Nardus montana,quæ Neris quoque dicitur.Quære dict. Papauer,& Neris.

Thymelæa θυμελαῖα,Leo terræ herbariis neotericis, & Linum ſylueſtre,ſiue Oliuella cognominatur:nõnullis tamẽ aliis Meſues verũ eſſe Mezereon: Granũ gnidiũ ex ea colligitur.quarũ viriũ hæc ſit,legentes Dioſ.lib.iiij. cap.cliij. facilè agnoſcetur.

Thymbra θύμβρα,herba nomine Satureïa,quæ Sarrieta, & Sauorea populari lingua,ſiue gẽtilitia,vocata eſt:hæc nãque à thymo differre videtur.Eſt & thymbra capitata,id eſt,Cunila,Itẽ Thymbræum, ſiſymbrium ſylueſtre appellatum : de quarũ herbarum differentia in dict. Satureia, Cunila,& Siſymbriũ paulò plura retulimus.

Thymus θυμός,aliquibus vulgi opinionem ſequentibus,maiorana Anglica,olitoribus,& mulierculis, Thymbra:in duo faſtigia , albi ſcilicet , & nigri diuiditur: ſed Thymbram,& Thymum plantam eandem eſſe ſuſpicor.

Thymus θυμός,carnoſa eſt excreſcentia nunc in glãde, nũc in præputio, nunc in ipſa conſiſtens ſede.Sic ſanè morbus dictus, quòd corymbis Thymi ſimilis ſit. Thymorũ autẽ alij mites,alij maligni:ſed qui mites,exigui ſunt,ſcabri,candidi, dolore carentes: maligni autem ampliores,ſcabriores,liuidi,& doloroſi.

Thymiama θυμίαμα,καὶ ἀμμωνιακον, hoc eſt, ex gũmi hoc , & thymo medicamentum olim quòd odoratiſsimum,compoſitum erat:quale hodie fieri deſitum eſt. Quære dict. Ammoniacum.

Tilia ἡ φιλύρα, arbor ingens,& patula:quæ ſexu inter marem,& fœminã diſtinguitur. Veris medio floret,vtraque flore minuto colore ſubflauo,& languẽte, ſed benè odorato:producit baccas corimbis ſimiles, intus nucleum poſt maturitatẽ habentes,ex quibus liquor quidam velut oleum elicitur, podagricis , & arthriticis vtiliſsimum ſiue potum,ſiue iunctum : nec de hac re niſi experti hîc loquimur. Exiſtimauit Cordus Liguſtrum,ſiue oleaſtrũ, Dioſ. Tiliam eſſe, quia ſimili apud eundem Dioſc. depingitur hiſtoria:quæ plurimũ diſconuenit à Tilia nobis vulgari. Apud Theophraſtum Tiliæ materia fabricæ expetitur,& ex mẽbrana ligno proxima funes , & reſtes texuntur in Gallia,& Germania:quæ noſtras Tilia eſt. Dioſ.lib.j.cap.cviij.

Timor,eſt qui & ſpiritũ, & ſanguinem intro, & ad ſcatebram, ſuam reducit,contrahitque:quò fit vt partes in ſuperficie poſitæ algeant. Quinetiam cordis,& arteriarum pulſationes , & minimè , & perquam debiles apparent in patientibus timorem. Reliquum eſt in dict. Ira.

Tiniaria πολιόν,Græcis eſt,ſicut ſuis in compoſitionibus ſcriptum reliquit Largus. Vide Polium.

Theorema θεώρημα, ſeu ſpeculatio, eſt res vniuerſalis medicinæ fini accõmodata: & axioma vniuerſale, & totã cõplectens medicinã : cuius contrariũ amphydoxũ eſt.

Thyrſus θύρσος,caulis in virgulæ modum,vel teli rectitudinem conſurgens, ſcapus alioqui appellatus.cuius dict. petes.

Tithymallus τιθύμαλλος,paralios,& veteribus lactuca marina dictus: tithymallus

lus mas χάρακιάς,quaſi vallaris:idẽ amygdaloides.tithymallus fœmina μύρκωίτης myrtites,vel caryites.tithymallus paralios πάραλιός,id eſt,maritimus. idem tithymallis.tithymallus ἡλωσκόπος quaſi ſolſequens.tithymallus κυπαρίσσιας,,id eſt, foliis cypariſſo æmulus.tithymallus δενδροειδής, vel petrophyes. Eſt præterea poſt hos omnes Tithymallus πλατυφυλλός,id eſt,latifolia:quorum omnium varietatẽ ſuo loco petes.

Thorax θώραξ,Græcis pariter vt Latinis,eſt hoc quod poſt ceruicẽ ſequitur. Sic quidem vocare conſueuerunt medici totũ hoc ſpaciũ quod à coſtis vtrinque circunſcribitur. Thoracis affectus diſcuntur ex Gal.lib.v.Loco.affect.cap.ij.

Titillatio penis ſiue mẽtulæ περιαπτισμός, eſt cum genitale mẽbrũ & in longitudine, & in latitudine totũ augetur, nullo ſtimulãte ad libidinẽ aut deſiderio,aut acquiſito calore. Vulgus medicorũ noſtro ſeculo à priapo priapiſmũ paſsionẽ hãc deducit.

Titillatio item,eſt riſus præcordiorum ratione,quæ neruis quibuſdam ſubit: nam ſolus homo titillatum ſentit inter animalia,quod cutis tenuitate euenit : vnde ſolus animalium homo ridet. Lege Ariſt.lib.iij.de Partib.animalium,cap.x.

Tonſillæ ſeu amygdalæ παρισθμία,καὶ ἀντιάδας Græci appellant, ſunt glãdulæ ſpongiis ſimiles,carnoſæque:ad linguæ radicem vtrinque appoſitæ.

Tonſillæ aliæ παρισθμία,non ſolùm faucium partem denotant,ſed eiuſdem etiã inflammationem:quòd locus ille cui adiacent, qui veluti iſthmus quiſpiam anguſtus eſt,cum inflammatione tumẽt,multò quã antea anguſtior fiat. Itaque ἀντιάδες Grę-cis nomine alio dicuntur Gal.lib.vj.Compoſ.medic.ſecundum locos,cap.iij.

Topiarium,intelligitur opus quod ex arbore,frutice,vel herba ad decorem teſtudinũ,camerarumvè more in hortis cõponitur. Vide C.Stephanũ in li. de Re hortẽſi.

Tormentilla notitiæ peculiaris,quinque folium videtur: niſi quis Imperatoriam eſſe malit. Quære Pentaphyllum.

Tordylion,& Tortile τόρδυλιον,Seſeli Creticũ AEgynetæ γόργυλόν,καὶ γόρδυλιον:aliquibus ſemẽ Seſelis eſſe viſum eſt:aliis herba tãtùm,quæ & Sireõ vocatur:quę planè Tordylio Dioſc.repræſentatur. Eius ſemen Amomo ſimile videtur.

Tori,ſunt prominentes partium calli,& in ſe pulparum modo collecti,id eſt, craſſities arborum,herbarumvè, canoſa in tumorem quendam eleuata ad radices quæ proſpicitur. Sic multæ radices toroſæ depinguntur.

Toxicum τοξικόν,venenum,quo ſagittæ tinguntur : quod ab arbore Taxo duxiſſe nomen videtur. Repete ſupra dict. Taxus,& Aconitum.

Torpedo ἡ νάρκη,vulgus Rampã vocat,ab effectu,quod efficiat leuem quendam torporẽ tangẽti, inducítq; mẽbrũ in dormitationẽ formicãtẽ:ob ídq; ei Torpedo nomen inditũ. Piſcis nomine Torpedo,ex cartilagineorũ genere eſt,carnémque mollẽ, iucundã ori,vt ſcribit Galenus,& coctu minimè difficilem. Lege Athenæũ Dipnoſophiſt.li.vij.vbi à Galeni ſententia diſsidet. Require ſupra dict. Teſtudo.

Tragacantha τραγακάνθα,frutex exoticus ſpinæ candidæ non diſsimilis:eius gũmi,qui barbarè loquuntur,Dragagantum vocant. Dioſc.li.iij.cap.xxj. Tragacanthã tradit gummis naturam habere,propriè tamen gummi non videtur, & ſi recentiores hoc illi tribuãt. fit autem ex Dioſc.lectione,per radicis inciſionem : Theophraſtus tamen ſponte emanare retulit,qui ſuccus in lachrimam ſubinde coaleſcit,& Tragacantha nominatur. Eſt & Tragacanthæ fructus Gal.lib.x.Compoſi.pharmaco. authore: & Tragacantha alba Actuario:Item Gal.lib.vij.comp.pharmac.

Tragium τράγιον,in Cretæ tantùm inſulis maritimis naſcitur,folio, ramis, & ſemine Lentiſco ſimilis,ſed minore omnium amplitudine. Plinius ad Iuniperum nõ ad Lentiſcum retulit. Succum producit lacteũ,qui gummi modo coit. Eſt item Tragion alterum,ſcolopendrio ſimilia habens folia,radicem tenuem,candidam,armoraciæ ſimilem:cuius odor hircinum virus olet Autumno:indéque appellatio. naſcitur in mõtium anguſtiis,& præcipitiis. Dioſ.lib.iiii.cap.xl.

Tragos τράγος,frutex puſillus in maritimis naſcens, oblongus, ſemipedalis, aut altior paulò,ſine foliis,ramos habens in quibus velut racemi puſilli inſunt, grano frumenti, acuto capite, copioſóque, guſtu vehementer ſpiſſante. Tragon her-

bariis perhibent in mari littoribus inueniri iunco marino ſimilem : à quo & multi Iuncum marinum appellant, cuius adſtringens eſt facultas. Ruellius.

Tragopogum τράγοπῶγον, id eſt, hirci barbula, & barba hircina officinis, quæ in aruis, & herboſis locis frequentiſsima inuenitur. radice oblõga, ſubdulci, & flaccida, folio, & flore croci longiore, caule nonnunquam cubitũ æquãte, ſuper quem calix latus & barbula, quæ in ſummo vertice circa ſenium incana funditur, vnde ei nomen. Quæ verò altilis in hortis creſcit, folio eſt latiuſculo, flore purpureo: radices in altum agit, quæ hybernis diebus acetaria ſua dulcedine commendat. Nos cætera in dict. Gerontopodion. Quinetiam Galenus Ladanũ ἀποτραπογῶνα nominauit, quòd ab hircorum barbis colligeretur. Quære dict. Ladanum.

Tragoriganum τραγοριγάνον, duũ generũ ex Dioſ. vel, vt Plinio placuit, ex Heraclio eſt: hanc herbam Gallis maſtichinam dici ſuſpicatur Ruell. quoniã lentore quodam interdum madeſcit, iucundúmque ſpiret Maſtiches odorem, in cuius vmbella propendent cani hircorum villi: vnde ei tale redditum nomen. Qui velit ſcire qualis herba Tragoriganum ſit, ſeminet lini ſemen in cepa priùs madefactum maceratúmque, inde tibi ſuccreſcet Tragoriganum, vt ex authoribus tradit. Io. Agricola: Dioſc. lib. iij. cap. xxix.

Tragus cerealis τραγὸς, vt ab herba diſtingatur, frumenti genus, cuius granum compluribus glumis veſtiri retulit Galenus, vulgò frumentum Turcicum appellatur. Dioſ. lib. ij. cap. lxxxv.

Trigla ἡ τρίγλα piſcis patrio nomine Rogetus eſt apud Parhiſiẽſes, Romani Barbatulum, Maſsilienſes voce corrupta Trigant dicunt, Phocenſium Græcorum nomẽ redolens. Plura leges in dict. Mulus.

Tribulus terreſtris τρίβολος χέρσαιος, Plinio Calcitrapa, cuius vulgus officinarũ nomẽ retinuit: producit fructũ modicũ, echinatũ, ſpiníſque modicis fultũ. tota herba repithumi. Eſt & Tribulus marinus, ſiue aquaticus τρίβολος ἔνυδρος, qui in aquis ſtagnãtibus naſcitur, parítque fructum ſpinoſis, aculeatíſque cornibus ornatũ, quo veſcuntur incolæ Brannonicũ, id eſt, in Breſsia degentium, & caſtaneas cornulas more ſuo appellant. Ruell. lib. iij. cap. lxxxiiij. Dioſc. lib. iiij. cap. xiij.

Trichomanes τριχομάνες, polytrichõ noſtratibus iſto ſeculo vocatur: & vulgatus capillus veneris videtur, qui Adiantho vires eaſdem habeat: itaque pro altero quiuis ſumi licentiùs ſolet. Dioſ. li. iiij. cap. cxxj. Vide in dict. Filicula.

Tritura, eſt quæ medicamentis admodũ confert, multa quidẽ craſsis, pauca verò tenuibus, & texturæ debilis, & virtute cito exhalabili præditis, mediocris deniq; amborum mediis, quantóque medicamenti eſſentia craſsior, tanto parciore. Vide plura apud Meſuem, Syluij beneficio reſtitutum, Theoremate ſecundo.

Tricoccos τρίκοκκος μέσπιλος, id eſt, triũ granorũ, vel oſsiculorũ in fructu meſpilus arbor, & fructus meſpilũ, libuit appellari. Vide dict. Meſpilus. Eſt quoq; τρίκοκκον ἡλιοτρόπιον, ſolſequij ſpecies: quam quidam Scorpiuron ſunt ſuſpicati.

Trifolium maius κύτισος, cytiſus, ſed Trifolium minus λωτὸς ἄγριος, id eſt, lotus pratenſis, ſiue erraticus: trifoliũ odoratũ, μηδιὸν eſt: & eſt trifolium acutũ, quod ὀξυτρίφυλλον Græci vocant, cuius deſcriptionem pleniorem habes ex Largo, cap. clxiij. ad ſerpentum ictus, morſúſque. Dioſ. lib. iij. cap. ciiij. Eſt item Trifolium τρίφυλλον, arboris ſpecies: cuius folium trifolio pratenſi herbæ reſpondet. Græcis Menyanthos μένυανθος: cuius quære dict.

Tremor τρόμος, palpitatio, ſeu eleuatio, & ſubmiſsio corporis cedentis, & non reſiſtentis eſt: quæ à ſpiritu fit certis quibuſdam temporibus, non autem ſemper, accidit: hoc relatum quidem eſt in dict. Palpitatio.

Triens, tertia libræ portio, id eſt, vnciæ quatuor, drachmæ triginta-duæ, ſcrupula verò centum & viginti.

Triorchis τρίορχις, centaurij genus tertium ex Theophraſto Plinius ſcriptum retulit: de quo quidem Centaurio ſuo loco abundè à nobis tractatum eſt.

Tripolium τριπόλιον, Turbith Arabum putatur, retulítque nomen tripolium, quòd eius flores ter die mutẽtur, candidi mane, purpurei meridie, punicei in occaſu.

huius

huius folia Iſatidis ſunt arida,ſed craſsiora,caule palmeo,in mucrone diuiſo. Naſcitur in maritimis vbi allidit vnda,iterúmque retro commeat. Actuarius Alipum ſiue alipiam Turpethum album exponit,diuerſúmque facit differentia alterius: Pityuſæ verò radicem,quæ officinis Eſula eſt,Turpethum,quaſi alterius coloris, facultatisvè eſſe voluit.Ex Ruell.paulò aliter apud Geſnerum reperies deſcriptionem.Iterum Arabum Turbith ex Serapione, Dioſcoridis Tripolium eſt: Turbith vel Turpethũ Actuarij,quod duplex facit,Dioſcoridis Alipum,& Pityuſa eſt:quam etiam Turpeth à Barbaris vocari ſcribit:proximum à veritate Leoniceni ſuper ipſo Dioſcoride. Turbith autẽ Meſues quibuſdam videtur ſecunda Tithymalli ſpecies.Nos propriis locis has omnes plantas per nominũ ſeriem quanta potuimus diligentia,diſtinximus.

Triſlepi τρίσλεπτα δένδρα,inter arbores dicuntur pinus,robur,abies,nã ſolæ germinationem cœptam intermittunt,ideóque turgent ter,& terna ædunt germina:intermiſſoriæque dici Latinis poſſe videntur.hæc Ruell.

Triſſago χαμαίδρυς duplex,vna terreſtris, quam vulgus Gelmandræam vocat: altera paluſtris,quæ Scordion Græcis appellatur.De vtraque quod iuſtũ viſum fuit, in dict.Triſſago,retulimus.

Triticum πυρὸς,& plures & varias includit differẽtias,vt frumentum,robũ,ſiligi nẽ,citaniũ,ideóq; cũ frumento generalius nomen aſſumpſit. Nam ſylueſtre triticũ, cultu feritate mitigata in cereale manſueſcit. Ponticũ colore album eſt,quod ex corrupto ſemine naſci putauit Theophraſtus.Vide quod ſupereſt, in dict.Siligo.

Tromus τρόμος,paſsio eſt quæ duobus perficitur motibus:vno dũ cogitur pars ob morbũ atque grauitatem ad inferiora repere:altero,dum ſurſum à facultate fertur.

Troxima τρώξιμα pleriſque Endinia putatur.Didimus ſeris genera dixit appellari,quoniam in cibum veniant.Sic & vna troximos,id eſt,edulis.

Tuber,inquit ex Martiale in hoc verſu Geſnerus,Non tibi de Lybicis tuberes, & oporina ramis,priore ſillaba correpta,arboris genus,& arboris fructus eſt.

Tuber terræ κυκλάμινος Cyclaminus,officinis Cyclamen,& panis porcinus: Arabibus Artanita.Vide dict.Cyclaminus.

Tubera ὕδνα,Tuffera patrio more appellata:tellus in ſe gignit ſolo vndique circũdata,nigro incluſa cortice,ſine foliis,ſine radice,ſine caule,& ſine ſemine:ſolo horridi tonitrus motu telluræ concuſſa tantùm,vt retulit Plinius,naſcuntur.vere & autumno fodiuntur,quorum edentibus,vel potiùs veſcentibus frugaliùs ineſt apoplexiam,& epilepſiam mouere facultas.

Tuſsilago βήχιον,vulgus vngulam caballinam profert: ſiue Aſininam : de qua in dict.Bechium quæ oportuit,diximus.

Tragemata τραγήματα,bellaria ſunt quæ ſecundis menſis apponuntur : condita nimirum ſacchare,aut coperta,nunc in longitudinem,ex citri,vel arancij cortice: nũc rotunda,vt aneſi,vel coryandri præparati ſemine:nonnunquam etiam ponticarum nucum,græcarúmque nucleis deplumatis parantur.

Trochillus ſiue Regulus πρέσβυς,quaſi auium pręſes ab Ariſtotele dicitur,vulgò Royteletus:éſtque auium minima,ſed in cõfringendis renum calculis efficaciſsima.

Trutta & Trotta,piſcis ſaxatilis,qui inter rupiũ ex fontibus amnes degit: fluuióſque paluſtres refugit.eſtóque piſcium optimus.Quære dict.Amia,& Salar.

Troglotides ἡ κασσίτα auis,populari denominatione Cauda tremula: & Motaſilla quòd caudã ſemper moueat,dicta.Eſt autẽ,vt inquit AEgyneta,hæc paſſerculorũ inter auiculas omnes minima,ſolo eo,cui nomẽ eſt Regulus, dẽpto:minima namque auicula cùm ſit,hac ſola maior,& colore cõpar ac ſimilis,inter cineritium & viridem medio,tenuis paruíque roſtri,parietibus, ſepimentíſque maximè agens: quæ ſale tota condita,& cruda iugiter eſa,concretos iam calculos lotio expellit,atq; deinceps ne renaſcantur,prohibet.Cremata item hæc tota,& in cinerem viua ſubacta , & per ſe pota cum quopiam cremore liquido,ad eadem facit.hæc AEgyneta lib. iij. cap. de Renum calculis:à quo omnia de Troglodite paſſerculo mutuatus eſt Aëtius libror.ſuorum Sermone xj.cap.xj.

Tub

Tuberculum σῦκον, in ano eſt vlceroſum, rotundum, ſubdurum, rubicundum, & quod dolor comitatur: atque hæc tuberculorum genera fici Latinis dicuntur: vt relatum fuit in dict. Ficus.

Tumor vteri induratus, μύλη: eſt interim in vuluę oſtiolo, interim in toto vtero ipſo proniuens. Vel, caro informis in vtero conſiſtens, quòd mulieres in conceptu quandoque decipit: ab ipſis quoque Mola vocitata. Gal. Metho. med. lib. xiiij.

Tunici herba, officinarum vocabulum eſt, plebis verò Gyrophlea, Latinis Britãnica, Dioſcoridi βεττονική: plurimum quoque differt à Betonica, nomine alio Ceſtrũ appellata. Dioſc. lib. iiij. cap. ij.

Turdus ἡ κίχλη auis inter turmas miliaris: aucupes ſuo more *Etourneau* vocant: quanquam Sturdum, vulgò Gryuam diuerſi tamen generis, eundem Turdum eſſe voluit: Caro turdi, guſtantibus amara eſt & implacida, nec cibo etiam digna, quoniã difficillimè conficitur. Sturdi verò palato conuenit, ſtomachóque prodeſt, vtriuſque Sturdorum generis. Quære dict. Quercedula.

Turtur ἡ τρυγὼν, ex genere colombarum eſt, tamen peregrina: dum vere ad nos aduolat, autumno autem meridionalem plagam, vt Coturnix, & Hyrundo, repetẽs. Nomen Gręcis, & Latinis à ſono ei inditum eſt: cæterarum auium caro temperatior, ægris, vt ſanis laudabiliórque iudicata ſemper viſa eſt.

Tuſsis, eſt frigida intemperies reſpirationis cauſa inſtrumentorum motus continui effecta. Humor etiam à capite in aſperam arteriam deſtillans, & ſola aſperitas mẽbranæ aſperam arteriam intus ambientis, tuſsim irritant. qui præterlabuntur etiam cibi ſitim, caro potus, mouent. Lombrici, & acris humor, ſtomachum infeſtantes, tuſſim proritant. Curationem habes apud Fuch. de Meden. morbis, cap. iij.

Tympanides τυμπανία, καὶ τυμπανίτης, fit vbi flatus ac ſpiritus copioſus in iiſdem ventris locis congregatur: & hoc nomine infirmitas appellata eſt: quoniã ſi pulſetur venter inferior, inſtar Tympani ſonum ædit. Nam & hæc hydropis ſecunda ſpecies eſt. Curationis Fuch. author eſt de Medend. morb. lib. iij. cap. xxv.

Typha cerealis τυφὴ, ſiligini ſpecie non diſsimilis, ſimplici culmo aſſurgens, grano copioſo, multiplicíque, radice numeroſa, tritico perquam ſimilis traditur. Ex Ruellio, hæc Geſnerus.

Typha τυφὴ, ex Theophraſto, aquaticus frutex eſt nec radice numeroſa cohærẽs, ſine geniculis, & folio ſcirpi modo proſiliens, parte radici proxima, eſu præcipuè pueris tenera. Dioſc. lib. iij. cap. cxiij.

Typhoides τυφώδης, febris nomine alio Eriſypelas: ea enim quæ membranæ ſuccingentis coſtas inflammatione oritur, pleuritica: quæ ex pulmonis, peripneumonica: quæ ex pulmonis, ventriculi, aut iecoris eryſipilatibus accidit, τυφώδης, hoc eſt, ſuccedens nominatur, Aëtio lib. v. capit. lxxxviij. authore Gale. lib. ij. de Criſibus, capit. vij. καὶ κοντης καυσός.

Typicæ febres, ſunt in quibus acceſsio, & remiſsio ſtatis vicibus accidunt: atque his erraticæ planè contrariæ ſunt, neque enim ſtatum tempus, neque vllum ordinem acceſsionum & remiſsionum ſeruant: ſicut ſunt hæ quæ ex atrabile, quæ in quibuſdã partibus mouetur, in quibuſdam immota manet, in aliis putreſcit, aut feruere incipit, authore Gal. lib. iij. Pronoſt. commenta. xxix. oriuntur.

Typus, eſt intentionum, remiſsionumvè temporis paſsionis, quod ad acceſsionem & intermiſsionem fieri contingit, ſtatuta percuſsio.

De litera

De litera V.

Vaccinium ὑάκινθος, creſcit enim in pratis vnà cum ſatyrio, ſed odoratiſsimum florem gerit: propemodum ſimilem violæ altili, ſed vehementiorem: & colore ac foliorum ordine differt à ſatyrio, éſtque radice bulboſa, folia bulbo ſimilia: dodrantalem caulẽ, herbacei coloris: comam procumbentem, florum purpureorũ plenam, incuruam: quæ omnino aliud eſt à noſtra vulgari gyrophlea. Dioſco. libro quarto, capit. quinquageſimotertio.

Valeriana φοῦ, quod Nardus ſylueſtris aliquibus eſt, folio oluſatri, aut elaphoboſci: caule cubitali, aut altiore, leui, cauo, molli, in purpuram vergente, geniculis, intercepto, floribus ex albicante purpureis: radice ad minoris digiti craſsitudinem, in iunci odorati formam, cum quadam odoris grauitate, & ſuauitate nardum æmulantibus. Excalfacit radix, vrinámque mouet, ſi ſicca potui detur. Dioſ. lib. j. cap. x. Quæ deſcribenda relinquuntur, repetes in dict. Phu.

Valnuli, leguminum in ſiliquis folliculi, præſertim fabarum, ſunt appellati, quaſi valinoli, quia vallo grana excutiantur.

Vbolima ὀυβολίμα, arbor in Libya familiaris, ſic gentillitio nomine ab incolis dicta, ἐλαιοσταφύλος Græcis, quaſi Vuolea dixeris, id eſt, vitis oleam habens inſertam, non vuas modò, ſed & oliuas quoque pariens. Marius Maximus eius fructu deguſtato, negauit vnquam ſe quicquã comediſſe, quod magis oleam, vuámque reſiperet: tam exactè vtriuſque ſaporem ſimul linguæ repræſentari, hæc Plinius.

Veneris labrum ἡ διψακός, officinis virga paſtoria, carduus alioqui fullonius, in lanis pectendis, pannı́ſque idoneus: & clyſmis ipſius decoctum emolliens, & temperamentum ſuſtinens. Plura in dict. Dipſacus.

Venerea λογχίτις, ἡ ἄκορος, id eſt, acorus paluſtris Apuleio: dicta radix, quòd ad venerem edentes condita melle, vel ſacchare, ſtimulet, mouétque vrinas, & ſtomachum roborat. Vide dict. Acorus, & Lonchitis.

Veneris pectẽ, radice candida, cauliculis ſemipedalibus, foliis paſtinacæ, ſed tenuioribus, flore albo, exili, dependentibus ſummatim compluribus roſtellis in mucronẽ turbinatis, & pectinatim ſerie quadam inter ſe diſiunctis. In maceriis, & inter ſegetes præcipua naſcitur: decocta cum ſuauitate quadam eſtur, & veſicam ab vrina exonerat. Quære dict. Pecten Veneris.

Veneris vmbilicus κοτυλήδων, Largo campanella deſcripta eſt, ſed propriũ nomen ab officinis retinuit. Primæ ſpeciei plantæ huius frequenti vſu marem concipi: quemadmodum ſecundæ ſpeciei fœminam, Hippocrates ſcriptum reliquit. quod an verum ſit, cùm Veneris vmbilicum genere varium eſſe adhuc non legi, viderit Simpli. Scholiaſtes. Reliquum habes in dict. Cotyledon.

Vepres ἄκανθαι, θαμνοὶ ἀκανθώδεις, vel ſunt aculeati frutices, vel ſpinis interdũ vidui, de quibus maturi carpuntur fructus, medicamentis idonei. Rura ſpinas, & Rõſas peculiariter nominant. Vide dict. Sentes.

Veratrum vtrunque, album ſcilicet, & nigrum ἐλλέβορος: nigrum tamen à Melampode paſtore inuentore, Melampodium poſtea nomen retinuit. De vtroque ſanè copioſiùs ſuo loco diximus.

Verbaſcum φλομός μέλας, καὶ λέυκος, ἐν ῷ ἄῤῥην, καὶ θῆλυς, id eſt, alterũ folio albo, alterum nigro. Candidum rurſus in marem & fœminam ſecernitur. Eſt & ſylueſtre verbaſcum: officinis Tapſus barbatus. Dioſc. lib. iiij. cap. lxxxix.

Verbaſculum φλόμιτης, folio rotundo eſt, minimè hirſuto, ſubpaleſcente: officinis primula Veris appellatur. Alterũ verbaſculum eſt, cuius folium nigricat, inutile. Verbaſcũ lychnitis λυχνῖτις, καὶ θρυαλὶς, foliis ternis aut quaternis, aut etiam pluſculis, craſsis, pinguibus, plumoſis, ad lumina lucernarum vtilibus.

Vacuat

Vacuatio,eſt qua materia educitur,retrahitur, deriuatur: vel qua ſimul retrahitur, ac deriuatur. Vacuatio ſimplex, quæ fit inciſa parte affecta, inueteratis inflammationibus,in quibus remiſſus dolor eſt, & fluxio reſiſtit. Lege Acakiam ſuper lib.ij. Gal.ad Glauconem.

Vacuum,eſt locus non repletus corpore,natus tamen repleri:cùm enim inter ſuperficiei latera non interiacet corpus quando interiacere natum eſſet, ea ſuperficies vacua diceretur.

Vari faciei ἴονθοι,ſunt tumores duri in facie & exigui, ſic dicti, quòd inſtar ſimi faciem conſpurcent,ac maculis fœdent. Eſt & Lentigo,ſiue lenticula in facie, Græcis φακὸς dicta,quæ faciei macula eſt nigra, lentis ſimilitudinem obtinens. hanc quoque ſequitur ἐφηλὶς,id eſt,aſpredo,& nigrities in facie ex ſolis ardore prognata.

Variolæ,dicuntur latæ & humiliores papulæ à frigiditate humoris craſsioris quæ oriuntur,neque pruritum concitant. Hippocrates ἐκθύματα appellauit: Plinius verò papulas,& pituitæ eruptiones,de quibus fuſiùs in dict. Papulæ.

Varix κιρσὸς,καὶ ἴξια,tumor eſt ſeu dilatatio venæ aliquando in temporibus, aliquando in ima ventris parte ſub vmbilico:nonnunquam etiam circa teſtes, ſed maximè crura conſiſtens.

Vaſa ſeminaria,ſunt geminæ venæ,& totidem arteriæ,ſingulæ vtraque parte magnæ venæ,magnæque arteriæ propagines,per ilia deorſum in teſtes ſanguinem deferentes:qui Græcis δίδυμοι,quòd gemini ſint,appellantur. Pars quæ capiti teſticulorũ incumbit ἐπιδιδυμὶς habet nomen. Epididymi ſunt vaſa quæ ſanguinem & ſpiritũ teſtibus deferunt,anfractuoſis circunuolutionibus adhærentia in vnum meatum ſeminarium longiſsimum deſinunt,qui geniturã ex Epididymide tranſſumens ad pudendi exortum effert,varicoſum prorſus iuxta veſicæ ceruicem:vnde Græcis παραστάτης κιρσοειδὴς,dicitur.

Vena,eſt vas ſanguinis & ex ſanguine temperati ſpiritus naturalis, neruis cõſtat: humida & calida,minimóque ſenſu prædita.

Vena caua κοίλη,ex gibba iecinoris parte omnium totius corporis venarum prodit maxima,quam ob magnitudinem cauam medici nominarunt: per hanc ſanguis in inſtrumentis iecinoris generatus, nutriendi cauſa per vniuerſum corpus diſtribuitur.

Vena porta,ſiue ramalis,id eſt,manus iecinoris: hæc ex ventriculo & inteſtinis per varias venulas chilum tranſſumit,& in ſplenem melancholicum ſuccum expurgat. Venæ namque emulgentes ſeu ſeroſæ in Renum deſcriptione relatæ ſunt: vti in dict. Cordis intus ſinus,quænam ſit Vena arterioſa,explicauimus.

Venæ ſectio duplex eſt,vna quæ κατὰ ἴξιν,hoc eſt,ſecundum rectum, aut è directo fit:altera,quæ in oppoſito ſimiliter fit: diligenter animaduertendum ne temerè in iis deligendis aberremus, vt plerique noſtri ſeculi faciunt.

Venæ ſectio altera eſt,qua principio conſideratur plenitudinis tum quantitas, tũ qualitas,potiſsimum eius quæ ad vaſa nominatur, conuenientiſsimum remedium. Repete dict. Plenitudo.

Venæ ſectio alia eſt,quæ prodeſt mirificè non ſolum cùm adeſt plenitudo, ſiue ea vt ad vires ſit,ſiue ad vaſorum humores continentium capacitatem,verum etiam citra plenitudinem initio inflammationis,quæ aut propter ictum,aut propter dolorẽ, aut partium debilitatem prouenit. Sed vena quæ ſit incidenda in ſanguine mittendo vnicè conſiderandum,quoniam plerunque venæ ſectio temerè adhibetur. Celſus lib. ſuæ Artis iiij.

Venæ tres ſunt in cubito,ex quibus ſanguis emittitur,interior nimirum,quę iecoraria,& lienaris, axillaríſque, vulgus medicorum baſilicam vocat: iis ſecanda erit quibus partes collo inferiores patiuntur. Exterior verò,quam humoralem, & cephalicam vocant,iis incidenda venit quibus partes ſupra ceruicem, vt eſt facies, aut caput laborans. Media,quæ nomine alio communis,nigra,funis brachij,& mediana vocata eſt,tum ſecanda erit,vbi vena parti patienti propria obſcurior fuerit:nã ab vtriſ-

que

que iam dictis venis deducitur. Cæterùm quemadmodum partes omnes prædictæ in cubito ſecta vena iuuantur, ſic quæ iis inferiores, illis quæ per poplites, aut malleolos decurrunt, auxilium ferunt. Gale. in lib. de ſanguinis miſsione, & ſectione venæ author eſt.

Venter κοιλία, καὶ γαστὴς, poſt thoracem ſequitur, & ab ipſius thoracis inferioris parte incipit, & ad pudenda vſque protenditur. Huius tegumentum, ſicut reliquarũ omnium partium corporis δέρμα, id eſt, cutis appellatur. extima eius ſuperficies ſumma cuticula vel ἐπιδερμὶς, dicitur.

Ventris deiectio, eſt qua corpus à retrimentis per inferna euacuatur, & in cacochimia, atque adeo vbi corpus vitioſis humoribus refertum fuerit, vſus erit: quapropter ſanus, quandoquidem vitioſorum humorum abundantia minimè premuntur, medicamenta purgantia non ſunt propinanda. Hippo. Aphoriſ. lib. ij. aphoriſ. xxxvj. & lib. iiij. aphoriſ. xvj. Gal. lib. xiiij. Methodi med. Item Locor. affect. lib. iiij. cap. ix. Sic Gal. diligenter corporis per aluum curationem ex Hipp. monſtrat, τὸ δὲ ἐπανελθεῖν δυνάμενον εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἀλλοιοῦν, τὸ μὲν παχὺ καὶ γλισχρὸν λεπτύνοντα, τὸ δὲ λεπτὸν παχύνοντα, hoc eſt, quod in naturalem ſtatum redire poteſt, per cõtraria alterare oportet: craſſum quidem & viſcoſum attenuando, tenue verò incraſſando.

Ventriculus appetitui, & deglutioni ciborum velut inſtrumentum accommodatus, non diſsimilis feruenti ollæ, dum chilum molitur, vnde & ſuccus generatur ipſi iecinori, hinc ſanguis deriuatur ad reliquas corporis partes. Cætera lecturus in dict. Stomachus.

Ventriculi fundus, Græcis πυθμὴν γαστρὸς, hoc eſt, ventris rarioris oſculum inferius, quòd cibo in ventre nondum occluſum eſt, concocto verò per ſe pateſcit: & vergit in latus dextrum ſub iecinoris gibbarum altera.

Ventriculi ſeu oris ſtomachi imbecillitas, eſt quæ ex quacunque intemperie oboritur, nullis humoribus vitiatis. Oritur etiam ex humore in ipſo ſinu ventriculi contẽto, qui aut calfaciendi, aut perfrigerandi, aut humectandi, aut ſiccandi, aut etiam hora aliqua per coniugationem efficiendi naturam obtinet, vel in ipſas ventriculi tunicas imbibito & impacto. Quære curationem apud Fuch. lib. iij. de Meden. morb. cap. j. Affectus præterea ſcribuntur à Gal. locor. Affect. lib. v. cap. v.

Ventriculi inflammatio, eſt quæ haud ſecus quàm in aliis corporis partibus fit, à cõfluxu ſanguinis copioſi, & calidi: quam teſtantur dolo immenſus, aſsiduus, & qui nullis medicamentis admotis mitigari poteſt, tumor, æſtus qui tactu iudicari poſsit, febris, grauitas, & nauſea. Curatio docet Fuch. lib. iij. de Meden. morb. cap. ij.

Ventriculi inflatio, eſt ex humoribus in ipſo pituitoſis, aut ex cibis in vapores per mediocrem caliditatem reſolutis: perfecta enim frigiditas hoc nomine, quòd extenuare ac diſſoluere non ſit idonea, nullos flatus procreat. Vehemens caliditas diſcutiendo flatus generationem impedit: mediocris verò non tantùm perfectè. Stomachi affectus docet Gal. Locor. affect. lib. v. cap. v. & vj.

Ventriculus cordis dexter, qui nam ſit, & vbi ſitus: ſimiliter quoque ventriculi ſiniſtri eiuſdem cordis vbi poſitio: explanatum eſt in dict. Cordis intus.

Veneta vrina, eſt cuius color ex puro albo atque nigro æqua ratione confuſis, natus eſt. Vrina hæc ſuperficiem fuſum melancholicum humorem ſignificat: ídque ſi tenuis ſimul fuerit: verſus verò craſsitudinem tendens, multam frigiditatem. Mortificationem autem monſtrat, cùm à prauis coloribus ad peiores tranſmutatur. Vide qui ſit Color Venetus.

Venus, eſt cuius vſus aliquid erit, ſi moderata fuerit: corpus enim auctum, virile, & agile reddit, durum etiam corporis habitum emendat, mollit enim inſtrumenta, meatus dilatat, atq; à pituita expurgat: & quod ad animũ pertinet, rationis vim impeditã ſoluit, ingentes iras remittit: idcirco delirantibus, triſtibus, melancholicis, homines odio habentibus, & iracundis, maximũ præſidium eſt. Cæterùm veneris immodicæ vſus beneficiis ſuperioribus contrarius occurrit. Hipp. Epidimia. lib. vj. Aëtius lib. iij. cap. viij. AEgyneta lib. j. cap. xxxv. Gal. Artis medi. cap. lxxxvij. Cœlius lib. xiiij. cap. lxj. Lection. antiq.

Ventus,eſt exhalatio calida ſicca, lateraliter circa terram mota:cuius efficiẽs cauſa Sol eſt,& Aſtra:materia verò exhalatio, quæ dum in ſublime,partim Aſtrorũ vi, partim natura tollitur,obſtaculũ inuenit mediã regionem aëris frigidam,& ab ſe pellentem calidum.Ideóque retruditur exhalatio, meátque in obliquum circa terram. Ventus diſtribuitur in Boream,Eurum, Auſtrum,& Zephirum: atque horũ in tres quilibet diuiditur,& duodecim numerantur.

Ventorum ſuauiſsimi Boreas,ſiue Aquilo,Subſolanus:peſtiferi Auſter,& Chorus: tonitruoſi,& fulminoſi Boreas,Circius,Chorus. Zephirus pruinas ſoluit,& frigus.

Vermicularis,id eſt,Semper- viuum minus vulgatum, duplex occurrit in petris & parietinis naſcens,necnon ſcrobibus,& opacis:vnum cõſtat cauliculis multis, tenuibus exilibus foliis rotundis,craſsis,pinguibus:& in caulis apice vmbellam,in qua flos albus apparet.eſt tota frigidæ facultatis herba. Alterum genus,Illecebram Apuleius vocat,puſillis,craſsioribúſque foliis,hirſutis,portulacæ proximis, in cuius vmbella flos prodit luteus.vis ei excalfactoria,acris,exulcerans: illita cum axungia ſtrumas diſcutit. Dioſc.lib.iiii.cap.lxxvij.

Verbenaca & verbena περιστερεὼν ὕπτιος.Eſt & verbenaca ſupina,Apuleio herba ſacra appellata ἱεροβοτάνη, quæ Geſnero Cõſolida media videtur. Dioſ.li.iiij.c.l.

Verticillum,ſiue verrucaria,ἡ λιοτρόπιον,& herba cãcri,vt ſuſpicatur Geſnerus, Apuleio Ranunculus eſt,qui officinis Apiũ riſus effertur.habes dict. Ranunculus.

Veſicaria ſiue halicacabus ἁλικάκαβος Dioſcoridi, officinis Alkekengi, medicis Solanum:cuius petes dict.

Verecundia,eſt animalis facultas in primis quidem ad interiora motio, ſed rurſus affatim redit ad exteriora:quòd ſi non redierit,iam non verecundia,ſed timor ſenceri debet. Quippe verecundia repentè fit,animali facultate nihil mali ſperante. Vide dict. Animi perturbatio.

Vergiliæ ſeu pleiades,ſunt quæ in Tauri cœleſtis Syderis dorſo vidẽtur apparéntque,quæ medio etiam Vere cũ Sole oriuntur:eædem medio Autumno, cùm Sol eſt in Scorpio,occidunt:hoc eſt,ab æquinoctio Autumnali diebus ferè quinquaginta.Eſt enim Scorpius Tauro,in quo ipſæ ſunt,ex aduerſo locatus. Gal.ſuper lib.j. Epidimia. Hipp.& ſuper lib.j.ad Glauc.Gal. Acakia.

Vertebra,σπόνδυλος,καὶ σφόνδυλος,agricultori Columellæ inter conchas adnumerãtur:conſtat autem duabus Conchis,atque ex poſteriori parte vertebris quibuſdam continetur,vnde nomen inuenit. Maſsilienſibus Hoſtia eſt.

Vertebræ σπόνδυλα,quæ ſpinam dorſi conſtituunt,quatuor & viginti numerantur:harum contextus omnis,in ceruicem,dorſum, lumbos, & ſacrum os diuiditur: nam colli ſunt ſeptem,metaphreni duodecim coſtas duodecim excipientes:lumborũ ſunt quinque,quibus ſubiacent os ſacrum,& os pubis.

Verruca penſilis ἀκροχορδών,eſt quæ anguſtiorem loci baſim obtinet:& formicæ contraria,vt chordæ nexu ſuſpenſa eſſe videatur. Vide in dict. Formica.

Vertigo σκοτώμα,eſt vbi obtenebrationes hebetudinéſque oculis obuerſantur,& omnia circumagi & rotari vidẽtur. Oritur interdum cerebro primogenia paſsione laborante:interdum cùm ori ventriculi conſentit:cerebrum autem patitur, cùm craſſus ac lentus humor ipſum occupat,à quo vaporoſus ſpiritus ab imbecilli calore reſolutus,in cerebri partibus inordinatè mouetur. Interdum etiam vẽtriculi ori conſentit Gale. Locorum affect.lib.iij.cap.viij.

Veſpertilio ἡ νυκτερίς,mediæ cuiuſdam ſpeciei inter auem & ſoricem eſt, vt Sorex latus dici poſsit:Ex volucribus ſolus veſpertilio parit,& lac ſuis ex mãmis duabus præbet. Dicitur autem Veſpertilio,quòd veſpere ſe ad volandum proferat: aliqui medicorum ad rei medendæ vſum vtuntur.

Veſica fellis κυστὶς χοληδοχὴ,eſt quę procedit ex maiore iecoris fibra parte caua canalis exiguus, qui bilem in veſicam ſibi appendulam deriuat,qui in principium ieiuni inteſtini pertinet,paulò infrà pylorum. Sunt hi meatus bilis in iecinore priores, quàm venæ alimentum excipientes,vt commodo ipſorum ſitu, purgatum iam ſanguinem caua vena excipiat. Sed plura in dict. Iecur.

Y *Veſica*

Veſica vrinæ κύστις,receptaculum lotij per venas albas οὐρητῆρας dictas,ea parte vrinam recipit,qua duplici membrana tecta eſt:& enim in hanc renes veluti in lagenam reponunt,idque per meatus οὐρητῆρας.Ceruix ipſius prope meatum ſeminarium eſt,qui ex epidimide in pudendum prodit.

Veſicæ vlcus,& eius ceruicis,eſt aut propter abſceſſum,aut ob tuberculum quod proceſsit,aut ex ruptura,aut ob fluxionis eroſionem,aut aliam ſimilē cauſam: quorum dolor acutus veſicæ omni quidem tempore comitatur, maximè verò tempore mictionis,& excretionis puris.Fuch.lib.iij.de Med.morb.cap.xl.

Veſicæ inflammatio,eſt morborum qui circa ipſam oboriuntur,grauiſsimus: & maximè mortalis inflammatio exiſtit:quòd febris acuta infeſtet, & vigiliæ, & delirium,& vomitio bilioſa pura ſine vrinæ egeſtione.Tales affectus tractat Gal.locorum affect.lib.vj.cap.iiij.

Veſicæ calculus,generatur in veſica pueris frequentiùs,quàm ætate prouectis,cōuertitúrque quando copioſus redundat in grandes lapides.Voraces enim ſunt pueri, & perpetui motus,& cibis vtcunque oblatis & nociuis vtuntur:& neque horam capiēdi cibum obſeruant,quòd digeſtionis perturbatio eſt.

Vettonica coronaria,βεττονίκη στεφανωματική,καὶ βρεττανική, ſeu vettonicum altile,flores caryophyllos,vulgò gyrophleas,ſiue Tunici dictos,ex Ruell.putat Geſnerus.Eſt denique Largo Vettonica herba, quæ verbenaca ſupina, ſiue herba ſacra exiſtimata eſt:quam Syluius ceſtrum explicauit.Item alia eſt,quæ nomine alio Vibones ἄνθος βρεττανικῆς,id eſt,flos Britannicæ.Occurrit & erratica Vettonica Myropolis Tunici nominata,cuius apud Methodicos authores in re medica frequens legitur.Quære dict.Britannica.

Viburnum ἄμπελος μέλαινα, vulgò Viorna,frutex lentus, & ad vinciendas rates aptus:cuius membrana interior cauſtica virtute pollet.Chirurgis vulgar. Flammula eſt.Vitis nigra videtur.

Vigilia,eſt à principe parte animæ ad membra omnia corporis intentio & applicatio:cui ſomnus à naturalis animæ inclinatione contrarius eſt.

Vigiliæ mentis,animorum perturbationibus,& laſsitudine à laboribus, teſte Terentio in Eunucho,vix tollerabiles,ſuperueniunt:quare earum ratio habēda eſt, vnicéque cauendum,ne immodicæ ſint.Si enim modum exceſſerint,cerebri bonam temperaturam corrumpunt,ſenſus debilitant,virtutem deiiciunt, & cruditatem efficiūt. danda ergo opera eſt,vt neque ſomnus,neque vigiliæ,modum excedant.Hipp.Aphoriſ.lib.ij.aph.iij.Somnus æque vigilia,vtraq; ſi modum exceſſerint,malum.

Vicia ἀφάκη,agreſte,& domeſticum leguminis genus eſt, atque à vinciendo nomen retinuit:nam capreolis ſuis proxima quæque implicat.Eſtque lētis agreſtis ſpecies,à nominis deductione,non verò viciæ.

Vinea vrina,non vinacea,vt quibuſdam placet, accepit nomen à vino nigriori, quàm rubro,cuíque color exiſtit iecinoris:quę paſſea vrina videtur.Vinea autem vrina ſanguineum humorem aſſari,atque vel in rufam, vel in nigrā bilem tranſmutari, denotat.Interdum etiam ex longo itinere, exercitio, & labore talis vrina apparere poteſt.

Vinago ἡ οἰνάς,auis eſt ex genere columborum,de qua iam dictum in Palumbo. Vinaginem autem vel οἰνάδα arbitrantur dictam, quòd vindemiæ tēpore appareat: ſed vt ſuſpicandum magis eſt,quòd ex vuis racemorum liquorem iam maturū ſuggat,vel ſorbeat,aut vuas ipſas depaſcatur.hæc auis hyeme eſtur cum Braſsica.

Vinum protropum πρότροπον,id eſt,quod ex vuis defluit,ante quàm calcentur. ſed ex muſto cocto fit Sapa Gal.lib.vij.Compoſi.pharmac.authore. Facultatum vini differentiæ ſunt permultæ,à ſubſtantia tenui, craſſa,colore albo,fuluo,rubro, nigro, odore imbecillo,valenti,ſapore vario,ſumendæ.Gal.de Sanitate tuenda libro quarto,& quinto,& Methodi med.libro ſeptimo,& duodecimo.Dioſc.de Natura vini,& eius genere.lib.v.cap.v.

Vinum generoſum, nona parte oleo grauius eſt:nam integram ipſius menſuram

cum dodrante continet.

Vmbra ἡ σκιαῖνα Græcis,piſcis qui nomen Gallis Vmbra quoque dici ſolet, in deliciis quàm quiuis ſaxatilium piſcis laudatus,vt ſecundas apud Gallos obtineat.

Virga paſtoria διψακός,veneris labrum, carduus fullonius à pectendis eius pappolanis hoc quoque retinuit nomen.Quære dict. Dipſacus,& veneris labrum.

Vinum medicatum,eſt quod ex ſimplicium medicamentorum facultate fit, quale eſt vinum abſinthites,ex ſaluia,hyſſopo,mentha,roſmarino,& huiuſmodi: quorũ apud Catonem,Dioſcoridem,Columellam,Plinium,Galenũ,& cæteros poſteriores.

Vindicta Romanis ἐπτιμήδιον Græcis, trifolium odoratum dicitur:naſcitur in opacis,ſaxoſis:folia habens Seridis,caulem tricubitum,& in eo florem grandem, purpureum,rotundum,ſemine minuto ad imaginem cnici,radice ſemipedali,auſtera guſtanti. Vide Medion.

Viola alba λευκοΐον Dioſcoridis,ſub quo nomine etiam lutea, & cœrulea, nigráque comprehenduntur.viola alba Theoph. radice bulboſa eſt,& prima florum Vernunciat,vt recitat Manardus lib.x.Epiſtola iiij.

Viola purpurea ſiue nigra ἴον μέλαν,eſt hæc viola martis,vel matronalis:quæ autem Græcis λευκόια dicuntur,cum his confundi minimè videntur. Dioſcorid. libro iiij.cap.xj.

Viola autumnalis ἴον ὀπωρινόν,vt vertit Geſnerus,Calabianas Ruellius, Ancholias vulgus,officinis Angelica herba vocata eſt. Minuto eſt folio violæ albæ non diſſimili,in totum ſine odore,calathi ſimilitudine,ſed colore cœruleo,purpureóque. hæc Ruellius.

Viola flammea φλὸξ, καὶ φλογίον,vulgo gyrophlea Arpinatum, quam Scopam regiam exiſtimat Geſnerus:ramuli,& folia ſunt odorata,flos inodorus, qui & plurimum durat:cerebrum olfactu,& mentem corripit. De qua leges plura apud Ruel.

Vires,ſunt quæ per ſe non apparent,ſed à ſuis producuntur actionibus : animalis quidem à mouendo,ſentiendo,appræhendendo,intelligendo,& memorando: vitalis ab arteriarum pulſatione:naturalis à concoctione: quam rurſus excrementa patefaciunt. Explanator eſt Acakia ad Glauc.lib.j.Gal.

Viridis vrina,eſt quæ colorem braſsicæ,aut graminis candidioris, aut Smaragdi lapidis repræſentat.hæc vrina bilis peſsimæ exceſſum,exauctæ quantitate,& qualitate,portendit:quæ ſi perſeuerarit,ſitiſque aſsidua,& æſtus adfuerint,metus haud exiguus eſt,ne conuulſio à ſiccitate ægrum corripiat.

Viſcum ἰξὸς,de planta & de eius granis intelligitur glutine expreſſo. Miratur Braſſauolus viſcum ſuper ſalice proueniri:forſitan maiore quóque moueretur admiratione,ſuper corylo,liguſtro,& vite vinifera,ſi tanta naturæ portenta animaduertiſſet,quæ ego in Groleæ montibus.

Viſus indigentia ἀπόρρηξις, eſt quando meatus à cerebro in oculum deſcendens, ex capitis ictu, concuſsione,caſuvè quopiam ab alto,difruptus eſt.

Viſorij nerui obſtructio ἀμαυρῶσις, eſt in qua omnimoda vel maxima ex parte viſus interceptio,abſque vlla manifeſta cauſa circa oculum apparente,accidit: quanquam pura & incolumis vndique incolumis pupilla circunſpicitur.

Viſorij nerui obſtructio alia παρεμπτῶσις,eſt vbi in meatum qui in oculum videndi facultatem affert,humor aliquis aperto vel rupto vaſe incidit, eundémque obturat,coincidentiáque fit huic συμπτῶσις propinqua eſt paſsio,cùm nimirũ meatus ille ex tabe,vel ex imbecillitate fit arctior,concidítque:& adnatam & corneã mẽbranas ſimul hæ infeſtant paſsiones.

Vitis alba ampeloleuce ἄμπελολεύκη,Bryonia eſt : aliis flamma à vi baccarum rubentium eius vrente,appellatur. Dicitur & pſilothrum, quòd ex eius acinis coria depilentur.

Vitis nigra,ἄμπελος μέλαινα,Viburnum,cuius fructus, & radices nigreſcunt. Neque alia re,inquit Scholiaſtes,differt à vite alba, niſi quòd hæc ſit radice alba, & fructu rubente:illa radice,& fructu nigris ſit.

Vitæ

Vitæ ægrotantis ſeu mortis cognitio,eſt in ſpecie morbi,magnitudinē, more, & eiuſdem motu. Specie quidem ex iis ſymptomatibus quæ propriam ipſius naturam complent,cognoſces. Magnitudinis verò, ex eorundem ſymptomatum quantitatē,ac vehementia. More autem, ex ſuperuenientibus ei ſymptomatibus. Motu, ex tempore partium acceſsionis: quibus prædictis adiungenda eſt quoque temporis, anni,regionis,ætatis,& ſimilium, conſideratio. Galenus de Criſibus libro tertio, capit.quarto.

Vitalis facultas,eſt quæ ex corde per arterias,ſeu canales quoſdam,vitam vniuerſo corpori impartit:vocatur & iraſcibilis & animoſa facultas, Græcis θυμοειδής. Vnde liquet cor inſiti caloris eſſe veluti quemdam fontem.

Vitalis ſpiritus,eſt qui in corde cōtinetur,& per arterias in corporis partes defertur:cognati ac inſiti nobis caloris cauſa exiſtens. Generatur ex inſpiratione, & ſanguinis exhalatione. Hippocrates in libro de Alimentis ἀρχὴ τροφῆς πνεύματος ῥῖνες, ςόμα, βρόγχος, πνεύμων, καὶ ἄλλη διαπνοή. hoc eſt, principium alimenti ſpiritus, nares, os, arteria, pulmo, & reliqua tranſpiratio. Cętera in dictione Spiritus.

Vitex ἄγνος,vulgus officinarum Agnum caſtum,cùm nomen vtrunque idem ſignificet,vocant:duplex inuenitur,alter arboreſcit,flore ex purpura candido: minor verò ramoſior eſt,& flore magis purpureo. Quæ ſequuntur,vide in dictio. Agnus caſtus.

Vitis vrbana,vinifera, varij generis vndique naſcitur,ἄμπελος ἥμερος,ὁ οἰνὴ ὁ οἰνὴν,καὶ ὁ οἰνοφόρος: & locus in quo plantatur,vinetum eſt. Quæ illachrimat ex vite aqua poſt amputationem,prodeſt oculorum obſcuritati,faciei quoque maculas delet: & ſerpigines ſanat.

Vitiligo alba λεύκη,cutis vitium aliud eſt,cuius cutis color in candidius neſcio quid mutatur,à viſcoſa,glutinoſáque pituita contrahitur. Hæc paſsio nonnunquam tam altè in corpus penetrando radices agit, vt & pili in ea cani, & lanugini ſimiles enaſcantur.

Vitiliginis ἀλφὸς,ſpecies altera eſt,cuius generatio cum Leuce modi eiuſdem eſt, non tamen omnino in profundo in ea caro patitur,ſed ſumma tantùm cutis, & veluti ſquamulæ quædam vitiligines ipſæ infixæ adhærent: quæ quidem duplices ſunt, albæ & nigræ:albæ ex pituita,atræ verò ex melancholico humore oriūtur. Vnde etiā perſpicuū fit Alphum eſſe duplicem,vnum album,alterū nigrū,quòd cutis colorem immutet. Morphæam malū hoc barbari nominãt. Vide Aëtiū Serm.xiiij.cap.cxxxij.

Vitis inſana appellatur,quæ ad finem vſque natiuitatem fructus,perducit:inſanā quidem Plinius triferam vocat,quoniam in ea alia matureſcit,alia floret.

Vitis ſylueſtris ἄμπελος ἀγρία,foliis ſolani hortenſis eſt.

Vitis alba ἄμπελος λευκή. Brionia eſt.

Vitis nigra ἄμπελος μέλαινα, Viburnum eſt.

Vitis ſylueſtris ὄμφαξ,ὁ καρπὸς τῆς ἀμπέλου ἀγρίας οἰνανθή. Eſt præterea vitis agreſtis alia facultate quidem cauſtica.

Vitis nomen,à regionibus in quibus vuis luxuriat,ſortita eſt:ideóq; innumera apud veteres agriculturæ ſcriptores legitur,ſibi quoq; tum vini,tum ſapore vario diſſimilis,vt quæ Leſbia,quæ Rhodia,quæ Romana, Allobrogica, Maluatica, Celtica, in totum quæ vini ob loci ſapore,& regionis,terræuè differentiam, in ſe diſcrepant. Adde etiam ſolius regionis multorum locorum vicinitatem haud ſibi facultates vinorum reſpondere:ſed multùm bibenti palato vel diſplicere,vel etiam placere.

Viticula κλημάτις,vitis germen clauiculis ſe ad proxima irretinens:vſurpatur de ſurculis aliarum etiam plantarum,quæ flexiles in longum ſe protendunt reptantes, vt in vitibus,orobo,viciáque capreoli innaſcuntur, qui pro viticulo vſurpantur. Vitriolum Romanum Manardo libr.viij. Epiſtola prima, Chalcitis eſt: Chalcanthum namque,vt Gal.docet poſt longum tempus Chalcitis efficitur. Itaque quotidie deprehendimus partem exteriorem Chalcanthi,id eſt,Vitrioli,dealbeſcere,& in craſsitudi-

nem albentem tranſire,hoc eſt,Chalcitis ex Chalcantho facta:quam vulgus officinarum Cupam-roſam denominat. Quære dict. Chalcitis.

Viui radix μόσχευμα,eſt planta quæ cum radice ſeritur,quaſi viuam radicem habens:intelligitúrque de omni planta,cuius radix,licet & ſtipites tamen, nunquã ſiue nullo tempore moritur.

Vlcus malignum κακοηθῆ,in vniuerſum inueterata,& antiqua maligna, ægerriméque cicatricem ducentia vlcera dicuntur. Neque iiſdem aliena θηριώδη vlcera ſic dicta,quæ aſperiùs ſæuiunt.

Vlcus omne,eſt quod pro humoris qualitate variatur:vt Herpes miliaris ex dilutiore humore excedens craſsiore fit bile. Cãcer vlceratus,phagedæna, omniáque cacoëthe vlcera,ex craſſo,feruidóq; humore fiũt. Gal.lib.ij.ad Glau.cum explanatione Acakiæ.

Vlcera ſinuoſa ὑπονόμα ἕλκη,ſunt quæ pluribus,tranſuerſiſque itineribus quaſi canalibus per latitudinem putreſcunt : ob id cuniculoſa etiam vlcera appellari poſſunt,ſeu cauernoſa.

Vlula ὁ αἰγωλιός auis,noctu paſcitur,die verò nõ apparet:hæc ab vlulãdo, luporũ more,vlula denominata eſt.nõ experitur in re medica,quia nullius vſus.

Vlmus πτελέα,arbor notiſsima,ſed quæ in ea vires omnibus nõ cognitæ:eius folia,cortex,& rami vim habẽt ſpiſſandi.folia trita ex aceto ad lepras efficaciter illinũtur,& vulnera glutinant,vt Tiliæ cortex. humor in folliculis prima germinis eruptione,cuti illitus nitorẽ inducit,faciéq; ſplendidiorẽ præſtat:cum terebinthina liquida,& oleo miſcetur liquor ille ſiue humor,quibuſuis arthriticis, & podagricis vtiliſsimus:nec medicamentum eſt quod non ſuperet.

Vlpicum ἀφροσκόροδον, Columellæ genus Allij eſt :cuius vide diuerſitatem in dict. Allium.

Vlophonum ixias,ὁ ὑλοφόνον ἰξιάς, genus Chamæleonis venenati carduorũ eſt, quaſi viſcarius dicatur: nã ſtatis anni temporibus viſcum collachrimat, effunditque veneno aptum.

Vmbella σκιάδιον,eſt floris,ſeminíſve pedamentum,in plures digeſtum lõgiores pediculos,quaſi ſimul ex faſtigio eodem orti,in latius continuò radiantur, ſinguliq; florem vel ſemẽ ſuſtinent in orbẽ circumactũ. Trãſlatio vocis,inquit Geſnerus,ducta eſt à muliebri vmbella,qua vultũ à Sole vindicãt mulieres:eſt quoq; muſcariũ dictũ.

Vmbilicus terræ,κύκλαμινος, officinis rapum terræ, & Cyclamen : Arabibus Artanita:vulgò Panis porcinus:de quo plura in dict. Cyclaminus.

Vmbilicus ὀμφαλός,id eſt,quod in pomis vel prominet,vel cõditur. Eſt & Vmbilicus veneris κοτυληδόν, de quo voce verſa paulò ſupra in dict. Veneris vmbilicus retulimus.

Vmbilicus ὀμφαλός, ventris medij concauum in animante eſt, cuius medium ἀκρομφάλιον,nominatur:circumiecta vmbilico cutis γραῖα, id eſt,anus appellatur, quoniam corrugata ſenectutis indicium eſt.

Vnedo ὀυνεδῶν,Epimelidis fructus eſt,diuerſus à memecylo, Arbuti fructu: ſicut ex Cornario retulit Geſnerus. Quære dict. Epimelis.

Vncia,eſt aſsis pars duodecima medicorũ vſu,quæ octo drachmas conſtituit:drachma ſcrupulos tres:ſcrupulus verò primũ ponderis elementum,γράμμα appellatur: habet obolos duos. Obolus pendet ſiliquas, hoc eſt, κέρατα, tres: Siliquæ grana ſex, ſcrupulum pendent:ſiliquæ verò granum vnum,lentis ſex ſeminibus pondere reſpõdet:quæ ſi ſexies ſumpſeris,prodibunt in vniuerſum triginta ſex,quæ ſcrupulum conſtituunt. Quæ cuncta ſuo loco diſtributa reperiuntur.

Vnguenta,ſunt quæ ex odoramentis,oleis,ſpeciebus quibuſcũque,adipe, butyro, muciditate,gũmi,& cera pro arbitrio componentis,fiunt. Gal.lib.ij.Simpli. facultat. cap.vltim. De Compoſit. medic. ſecundum genera,& ſecundum locos. Actuarius libr. v.de Compoſi.medic. Fuch.lib.iij.cap.j.poſt Meſuem,& Nicolaum reſtitutos.

Vnguis,eſt articulorũ in ſuprema parte extremitas:ſiccus & frigidus,ex oſſe & cartillagine concretus natura,atque ſenſus expers,vt pili incrementum habens.

Vnguis ſeu vngula πτέρυγιον, neruoſa adnatæ membranæ eminentia, quæ ab angulo maiori quidem orta, ad coronam vſque, ſeu irim oculi, progreditur: quæ quando augetur, pupillam etiam obtegit.

Vnguis ex pure ſub cornea membrana πυόσις, καὶ ὑπόπυος, καὶ ὄνυξ, fit quando pus ſub cornea nunc altiùs, nunc in ſumma ſuperficie colligitur, vnguis humani ſpecie: & ſanies in Siphac à Barbaris dicitur.

Vnguis piſcis, ab articulari figura etiam digitus appellatus: Eſt quoq; vngis ὄνυξ, præcioſus lapis, qui inter gemmas admiſcetur. Quære dict. Onyx.

Vnio antiquis ſcriptoribus Cepa erat, quæ à Gallis hactenus nomen *Ougnion* retinuit: de quo bulbo plura in dict. Cepa ſcripſimus.

Vniones ſeu Margaritæ, quas vulgus Perlas vocat, velluntur ex quodam Concharum genere læui: minimos verò ex Mytulorũ conchis extrahi. Vide dict. Margaritę.

Volubilis, κυσσαμπέλος, Cymbalaris, & campanella, quam, vt hanc & vmbilicum veneris Largus vocat iſto nomine: officinis Corrigiola. Dicitur autem volubilis, quòd ſe ſepibus, plantis grandioribus inuoluat. eadem quoque quæ Conuoluulus, vt ſuo loco ſcriptum reperies.

Vomitus, eſt tertium genus eorum quæ corpus noſtrum euacuant, ex quo natura haud exiguum conſequitur commodum. qui enim frequenter vomunt, neque aſsiduè, magna ex parte ſemper ſani eſſe conſueuerunt: nec enim bilem duntaxat, ſed & pituitam vomitus educit, vt ſubinde ventriculus, & caput à malis humoribus non parum ſubleuentur. Hipp. de Ratione victus. & lib. Aphoriſ. iiij. part. vj.

Vomitus notæ, ſunt cordis morſus ſimul cum capitis dolore, vertigines, atque oculorum obtenebrationes, inferioris labri agitatio, plurimæ ac tenuis ſaliuæ defluxus, & nauſea. Hæc verò omnia accidunt, cùm bilioſus, & mordax humor ventre: & ſtomacho fuerit collectus.

Vomitum quæ eliciunt triplex medicamentorum ordo eſt, quædam enim leuiter inter ſimplicia, vt aqua calida, hordei decoctum primum & tepens, ficuum recentium multa comeſtio, & oleum demiſsum in guttur. Inter cõpoſita, Sirupus acidus, oximel, & hydromel, theriaca, & hierapirca. Alia mediocriter, vt anethi flos & ſemen, atriplicis, rapi, & erucę ſemen: raphani radix & ſemen: vehementer autem hellebörus, agaricus, & ſylueſtris cucumeris radix.

Voluulus εἰλεός, paſsio eſt inteſtinorum tenuium, grauiſsimos & letales dolores inferens. Contrahitur id vitij continua ciborum corruptione & cruditate, maximè autem à pinguioribus carnibus: oboritur etiam ex plagis, ac ictibus quibuſdam, iis locis vbi tenuia inteſtina ſita ſunt, factis. Petes curationem ex Fuch. de Meden. mor. lib. iij. cap. xiij.

Vox, eſt quæ fit vi ipſius principatus extenſi, & ſimul extendentis ſpiritum per fauces & guttur, vſque ad pulmonem, & linguam, ſi vicinum aërem reuerberans.

Vpupa ὁ ἔποψ, auis criſtis è capite exeuntibus galeata, accepítque ſibi nomen à fœtore. Nam nidum ſuum hominis ſterquilinio, luti loco illinit, ne homines ad pullos ſuos accedant. eius caro repudiata in cibis eſt, atque ob id tota negligitur: ad quos igitur vſus vtilis, neſcio.

Vrceolaris ἑλξίνη, helxine, & vulgari nomine Parietaria dicta: quòd vrcei in ea extergeãtur. Quidam, vt refert Scholiaſtes, nomen deduci ἀπὸ τοῦ ἑλκῶ, eo quòd aſperitate ſua tenaci nexu veſtes, quibus hæſerit, ad ſe trahat: quanquam aliud vocis huius etymon in voce Ciſſampelos ſcriptum legitur.

Vreteræ οὐρητῆραι, meatus quidam ſunt vrinam à ſanguine ſecretam ad veſicam in renibus deferentes. Feruntur hi meatus vrinarij ex renibus ſinguli, albicantes, validi, ſubſtantiæ veſicæ ſimiles, anfractuoſi circa veſicæ, cui inſeruntur, initium. Sunt iterum venæ emulgentes hoc nomine dictæ, ex ambabus venis maioribus, totidémque arteriis duabus maioribus, in vtrumque renem ſanguinis ſerum deferentes. De quibus copioſiùs in Inſtitutio. Anatom. Guinterius libro primo.

Vreticum ſeu diureticum, id eſt, vrinas mouēs, meliores quidem eccatharticum, plurimas verò acrius, calidius, ſiccius medicamentum: vt ſemen apij, petroſelini, dauci fœniculi:& quæ lac augent,& menſes cient. hęc Gal.

Vredo ἐγκυσίζη, in vitibus carbunculus: in frugibus rubigo, frigoris cauſa tantùm naſcitur, aut ob rorem inuſtum, Sole acri vehementíque. Vide Rubigo.

Vrtica κνίδη, ἀκαλήφη, herba ab vrendo dicta eſt: cuius genera duo habentur: ſylueſtre aſperum, latioribus, nigrioribúſque foliis: ſemine lini, ſed minore: alterum, folio mitiore, minuto ſemine. ſed primum genus Vrtica Græca eſt,& cauſtica vi pollet, vt virus aliquid percipiat. Eſt denique vrtica iners γαλίοψις, Lamium Latinis, vulgò Vrtica mortua.

Vrtica ἡ ἀκαλήφη, à Plinio numeratur inter ζωόφυτα, id eſt, quæ nec animalium, nec fruticum, ſed ex vtroque temperatam naturam habent. Totus carneus hic piſcis eſt, nulláque teſta clauditur: tactus eius, vt terrenæ vrticę, dolorem infert. Liguſtici maris, Maſsilioticíque incolæ adhuc Vrticam piſcem hunc vocant. hæc Scholiaſtes.

Vua σταφυλή, præcipuè in vite dicitur ab vuido, id eſt liquore contento. Eſt quoque vua paſſa, quæ Græcis σταφὶς ἀσταφὶς, & officinis noſtris paſſula. Eſt item vua duracina, quæ acinos producit: & penſilis vua, quę ad diuturnitatem ſuſpenditur. Omnium quidem optima, eſt vua paſſa, ex Corintho ad nos allata,& ægrotis, valetudinariiſque valde petita.

Vua dæmonum σφαγνὸς βρύον, idem eſt quod penis in ſerro: de qua re in Pene tetigimus. Vua taminia ſubſequitur, ἄμπελος μέλαινα, id eſt, vitis nigra: de qua paulò ſuprà dictum fuit. Largus animeam vuam nominat, ruberrimam & in vepribus naſcentem: cuius dictio Staphis agria.

Vrina οὖρον, eſt excremētum ſanguinis in caua vena per renes, & vrinarios meatus in veſicam delatum: in cuius quidem inſpectione quatuor conſideranda veniunt, conſiſtantia ſcilicet, calor, quantitas,& contenta.

Vrina optima eſt quæ ſecundum omnia hominis temperati, & in ſubſtantia mediocris, ac quantitate paſsioni quæ aſſumpta eſt, reſpondet: colore ſubrufa,& ſubſlaua, ſedimento albo, leni,& æquali.

Vrinæ conſiſtētia, eſt aut tenuis, aut craſſa, aut mediocris exiſtit. Vrina mediocris conſiſtentiæ, optima omnium eſt quæ apparet: quæ autem hac ipſa tenuior, aut craſſior eſt, imperfectam concoctionem ſignificat. ſiquidem tenuis nondum in humorem conſiſtit: craſsior verò adhuc perturbata eſt.

Vrina tenuis, eſt quæ pura excernitur, ac poſthac ſemper talis remanet: altera quidem tenuis mingitur, & paulò poſt conturbatur: ſed vtraque cruda eſt, & coctione caret. Differunt autem, quòd prior naturam nondum cœpiſſe coctionem, atque adeo extremam cruditatem ſignificat: poſterior verò iam primùm incœpiſſe: conturbatur enim eo quòd flatuoſi cuiuſdam ſpiritus copia, ſeroſo liquori permiſcetur: quapropter praua etiam exiſtit, quoniam longiori tempore, & virtute forti ad coctionem indiget: ſicut tractatum fuit in dictione Tenuis vrina, quam petes.

Vrina craſſa ac perturbata vna eſt, quæ cùm craſſa mingitur, paulò poſt reſidet ac tenuatur, & parum inæqualis turbulentiæ ſupereſſe demonſtrat: altera verò, vt mincta eſt craſſa, ita ſubinde talis permanēt. Prima bona eſt: quoniam morbum concoquendum ſignificat: altera verò deterior, nimirum quia perturbationem indigeſtibilem portendit. Repete dict. Craſſa vrina.

Vrina οὔρησις, eſt qua prouocatione perficitur euacuatio, cuius quidem tum præcipuus eſt vſus, cùm obſtructio, vel humorum habundantia circa iecur, eius potiſsimùm gibba, renes & veſicam fuerit: quia ſi in cauo fuerit obſtructio, tunc per aluum potiùs purgatio prodeſt. Galenus Metho. meden. libro ſeptimo, & vndecimo: & ad Glauc. lib. ij. cap. vij.

Vrina alba, complectitur ſub ſe has colorum ſpecies, nēpe cryſtallinam, niueam

& cam

& eam quæ vt aqua eſt pura,& ob id aquoſa vocatur.

Vrina albedinis intēſæ, eſt quę cruditatis ſummæ index eſt:à ſumma tamen albedine parum recedunt lactea,glauca,& charopa vocatæ vrinæ: ſicut ſcriptum habes in dictione Lactea vrina.

Vrina plurima, eſt quæ ſex propter cauſas profluit proportione reſpondente iis quæ bibuntur,& educuntur. Prima, eſt quia is qui cibis multis humoribus, atque longiore potu, vino præſertim aquoſo, vſus eſt: altera, quia medicamenta quæ vrinam ciunt,hauſit:tertia,quòd intemperies quædam exauctæ caliditatis circa renes exiſtit, vt in diabete paſsione: quarta, quòd aluus natura ſicca ſit:quinta, hydrops, præſertim anaſarca:ſexta,quia reliquarum euacuationum corporis nulla proceſsit.

Vrinæ colores ſex exiſtunt,albus,pallidus,rufus,flauus, ruber,& niger: nam reliqui omnes colores ſub his compræhenduntur.

Vrinæ contenta τὰ ἐρυφιςαμένα dicuntur, diſtribuuntúrque in locos tres: nam quod in fundum vaſis deſcendit, ὑπόςασις eſt: quod in medio pendet, ἐναιώρημα eſt: ſed quòd in ſupræma ſuperficie vrinæ volitat, νεφέλη dicitur. Quære dictionem Contenta vrinæ.

Vrinæ ſuppreſsio, ἰσχουρία: malum eſt,in quo ægris in totum vrina ſupprimitur, & cohibetur. Quod ſupereſt,quære paulò ſuprà in dict. Iſchuria.

Vrinæ ſecundum naturam, colore quidem ſubrufæ, & ſubſtantia mediocres: in quibus quod reſidet,candidum,lene,ac æquale eſt.

Vrinæ color in ſanis mutatur tribus de cauſis,prima eſt,cibus corpori oblatus,qui non probè tranſmutatur, nec in ſanguinem vertitur: atque adeo ſimilem ſibi vrinæ colorem reddit: id quod iis accidit qui præter naturam afficiuntur: atque iis,qui ſecundum naturam ſe habent:nonnunquam etiam propter medicamenta contingit.

Vrinæ altera cauſa color cur mutetur,eſt potio:quoniam quæ hauſimus in potione,magna ex parte colorem retinet vrina.

Vrinæ tertia cauſa mutationis coloris, eſt coliquatio eorum quæ in corpore ſunt: vt author eſt Hipocr.Epid.li.vij.Part.v.aphoriſ.xv.

Vrinæ mutantur cauſis ab accidente factis, veluti exercitio,inedia, ſomno,vigilia,atque huiuſmodi aliis,quæ circa vrinæ inſpectionem medico conſideranda ſunt.

Vrinæ ſtillicidium ςραγγουρία, eſt cùm guttatim, & paulatim vrina diſtilllat, ac aſsiduum ad mingendum irritationem facit, aut ob acrimoniam, vel ardorem: aut ob exulcerationem veſicæ. Curationis author eſt Fuch. de Medend. morb. libro tertio,cap.xxxvij.

Vrinæ difficultas δυσουρία, eſt malum in quo vrina ægrè & difficulter excernitur propter veſicæ imbecillitatem:atque adeo frigidam eiuſdem intēperiem, quæ illius actionem offendit. Fuch.de Medendis morbis libro tertio,capite xxxviij.curatio nem docet.

Vrinarum optima, eſt cùm apparet hypoſtaſis alba, lenis, & æqualis in omni hora quæ adiudicanda fuerit ægritudo: ſignificat enim nullam in ægritudine fallaciam futuram, & tempore modico finituram. Si verò defecerit vt quandoque puram minxerit vrinam, ſubſiderítque lenis & alba, longior efficitur ægritudo, ſed non fallax. Si verò vrina fuerit rubedini proxima, & hypoſtaſis rubicunda, & lenis,diuturnior reddetur morbus. Nubeculæ autem in vrinis albæ quidem bonæ, nigræ verò prauæ:quando autem ignea fuerit,& ſubtilis,indigeſtam denotat ægritudinem:& ſi diuturnior, ad ægritudinis inclinationem,qui afficitur, non perueniet, ſed delinquetur.Gal.in lib.de cholera nigra,cap.viij.

Vrinarum,letales ſunt aquoſæ,fœtidæ, & nigræ cum craſsis:ſunt autem viris nigræ peſsimæ,pueris verò aquoſæ.qui autem vrinas ſubtiles, crudas ſed diuturnas habent:ſi albam vt eſt euaſurus, ſigna in regionibus diaphragnatis expectare oportet:& telæ ſupernatantes vituperandæ: collicationis enim ſignum eſt:igitur nubes ſupernæ conſiderandæ veniunt.

Vrinarum differentia triplex eſt, nam cum tales mictæ fuerint,paulò poſt reſident

dent,vel ſemper ſimiles permanent,vel puræ quidem minguntur,tum poſtea cõturbantur: praua quidem ex dictis tertia,bona autem prima: media verò inter vtrãque ſecunda: quoniam quæ ſtatim poſt reſidet,parum aliquid inæqualis turbulentiæ ſupereſſe demõſtrat. Quæ verò ſemper manet ſimilis,vigere quæ eſt adhuc in ſanguine agitationem oſtendit:quæ autem extra conturbatur, debet incipere concoqui, quare & in longiori tempore, & virtute forti indiget ad concoctionem. Quæ turbulenta meiitur,ſtatim quæ hypoſtaſim optimam habet, morbum concoquendum ſignificat,& melior:medium tenet locum ſecunda. Nam ex ea quæ vigente fit conturbatione, quantùm malicia differt ab ea, quæ adhuc futuram perturbationem ſignificat, tantùm ſuperat eam quæ iam quieſcentem obtinet: quæ verò ad ſummum incocta eſt,hæc omnia vincit: quæ aquoſa,incocta, & venarum paſsionem ſignificat. Vrinarum itaque color niger atque in ipſis nebulis quæ ſuprà vehuntur,calorem immoderatum,aut mortificationem ex refrigeratione vehementi refertur:omnis igitur vrina denigrata eſt peſsima: adeò vt paucos ſeruatos videbis:minùs perniciosa, ſi ſolùm id quod ſubſidet,nigrum fuerit:atque adhuc minùs, ſi ſolùm id quod in medio pendet: ac multò quoque minùs, ſi nebula, color verò viridis fit in tranſitu ad nigrum: & quoddam veluti principium nigri. Color autem liuidus, eſt tantùm frigiditatis effectus:odor verò grauis putrefactionis ſignum. Quòd ſi veluti oleum mingatur, colicationis nota eſt. Tales quidem vrinæ omnes prauæ ſunt,& perniciem minantur. In viris & mulieribus nigræ,in pueris autem aquæ ſimiles, perniciosæ: nam in his magis conſuetæ craſsiores:in perfectis autem,& adultis,magis ruſæ. Hæc ex Hippocrate Galenus.

Vterus ſeu vulua μητρὰ καὶ ὑςερὰ, inter veſicam & rectum inteſtinum ſita eſt. Ab vtraq; fundi eius parte ſuperiori, prorſus quoſdam mamillares ad ilia, lombosvè nutantes obtinet, quæ à figura ſemiſecti ſirculi Cornua κέραῖαι, nominantur. hæc primùm ſurſum vergentia, poſtea deorſum inclinantia, paulatim fiunt anguſtiora, donec in fines exactè anguſtos deſinant,atque adeo venis aſsimilentur. Sinuoſis itaq; flexibus inferiùs delata interuentu vaſis ſeminarij teſtibus inſeruntur,qui à lateribus ſinguli ab vtraque fundi parte,paulò ſuperius ab ipſis cornibus abducti, ſiti ſunt. Semen ſiquidem non in ceruicem,ſed in ſinum vteri fundunt.

Vteri ſuffocatio, ſeu ſtrangulatus ὑςερίκη πνὶξ, eſt vteri ad ſuperiora eiuſdem recurſus,ſuperiores ac principatum obtinentes partes in paſsionis conceſſum perducit,nempe carotidas,cor,cerebríque membranas:fit propter retenta menſtrua,cohibitum ſemen,& coïtus defectum. Gal.lib.vj. Locor.affect.cap.v.

Vteri præcluſio μύσις ὑςερὰς, eſt cũ margines oſtij in hoc malo muliebris coëũt, inuicémque conniuent. Præterea vteri ceruicis aut oſculi obturatio, & coarctatio φιμὸς καὶ φιμώσις, eſt ab vlceratione pręcedente eueniens, qua ea loca tam anguſta redduntur,vt non ampliùs ſemen admittant,ſed ſi admiſerint,neque retineant.

Vteri procidentia, eſt quando ita euertitur,vt exteriùs emineat: neque enim vterus à ſuis ſolutus propaginibus totus decumbit:nam ſi ita procideret, reſtaurari minimè poſſet. Sunt verò procidendi vteri cauſæ multæ,quas cum curatione Fuchſius memorat li.iij.de Medend.morb.cap.xlviij.

Vteri inflammatio,eſt quæ fit ex ictu, menſium retentione, ab ortu, vlceratione, concubitu metas rationis excedente,longiſsima intenſiſsimáque deambulatione, ſæpe & tranſpiratione propter frigus prohibita. Author curat. Fuchſius lib.iij.de Med. morb.cap.l.

Vultur ὁ γύψ, auis eſt carniuora: in hominum enim cadauera fertur infeſtiſsima, ac hominem ad moriendum vicinum, quando ſupremum vitæ diem agat diligenter obſeruat. Expeditos etiam in bellum exercitus præſentione quadam conſequitur,& quod omnis pugna, ſtrages ædere ſolet, locum futurum bello ſeptem ante dies,quàm pugna committatur,præuidet, in eámque partem & in qua alterutra pars ſuccumbet,reſpectat. Quam ob rem Reges olim ſpeculatores ſolebãt pręmittere, qui renunciarent ad quam nam partem vultures oculos referrent. hæc AElianus.

Vulua

Vulua μητρὰ, eſt carnoſa materies, ſed intrinſecus carnoſior, fœtus receptaculũ, cui ſubſidet adnata veſicula, in qua muliebres menſes digeruntur: quos etiam hæc oportunæ, cæterùm coäleſcentes ex totius corporis inutili excremento, vtpote ipſius iecinoris, ſeſe laxãdo per ceruicem vuluæ, itaque diſperſos eiicit. pars autem vuluæ exterior, quæ prominet, Cunus appellata vulgariter eſt.

Vua ſiue vuula ςαφυλὴ, non ſignificat columellam, neque etiam eiuſdem inflammationem, ſed quandam illius paſsionem, in qua tota collumella laxata, extrema ſui parte maior eſt, & liuida, ſuperna verò tenuis, vt ſimilitudinem fructus vuę, vnde nomen accepit, præ ſe ferat. Repete dict. Columella.

Vuatio ςαφυλῶμα, eſt ab vueæ mẽbranæ procidentia, quæ ſi ampliùs, & couſq; ſuccreuerit, vt vuæ acinum repræſentet, vuatio Latinis dicitur. Si ſic augetur, vt extra palpebras emineat, μηλὸν nominatur: Methodici vualem ruptionem vocant. vbi verò obducta cicatrice obdurueris ηλὸς nũcupatur. Latinis Clauus, & clauali. Quære dictionem Formicalis vua, ſeu ruptura.

De litera

De litera X.

X*Anthium* ξανθίον, herbariis & officinis hodiernis Lappa minor, & lappa inuerſa:vulgus glateronem appellat. Nomen, inquit Ruel. ab effectu inditum, quòd rufos reddat capillos. Dioſco. libro iiij. capite cxxij. Aëtius lib. xj. cap. v.

Xiphium ξιφιον, id eſt, Gladiolus, ſpatha fœtida, ſiue ſegetalis. Plinius interdum Xiphium cum Cypiro confundit, quod Sphaganon eſt aliquibus nominatum. Nomen inde accepit, quòd folium gladij præbeat ſpeciem. Iridi ſimile erat, niſi minus, & anguſtius videretur, & gladij modo mucronatum, neruoſúmque: atque in colem exit cubitalem, in quo purpurei flores, in ordinem digeſti, inter ſe diſtant: rotundo ſemine: radicibus geminis, vna, bulborum modo, ſuper alteram inſidente: quarum inferior gracilis eſt, ſuperna vberior. naſcitur in aruis, & montium vallibus. Dioſc. lib. iiij. cap. xviij.

Xiphidium ξι'φιδιόν, aliquibus Sparganium vocatur: folia habet gladioli, ſed aretiora, & in terram magis procumbentia. in ſummo caule veluti pilulæ prominent, in quibus ſemen. facultatis eiuſdem cuius Xiphium.

Xylon ξυλὸν, frutex eſt exiguus, laniger, palmæ folio, ſimilem barbatæ nuci gignens fructum: cuius in exteriore bombice lanugo netur in filum cādidiſsimum molliſsimúmque, quod vulgò *Coton*, & quibuſdam Goſsipium, vocatur. hinc & lana xilina, & linum xilinum Tomentum accepit nomen.

Xyloaloë ἀ'γαλοχὸν, ταρὸν, ξυλοάλον, à nonnulla ſimilitudine coloris, & amaritudinis aloes, agalochon Græcis recētioribus appellatum eſt: inde officinis lignum aloes nomen retinuit. Lignum in vſu eſt duntaxat, quod nulli cariei eſſe obnoxium ſuſpicantur aromatarii peritiores.

Xylobalſamum, ξὺ'λοβαλσάμον, Balſami lignum eſt, quod recens ad ſuffimenta, medicamentáque probatur, ſarmento tenui, fuluum, odoratum, quadam ipſius liquorem ſpirans. Neceſſarius etiam ſeminis erumpit vſus: quare eligatur flauum, plenum, grande, ponderoſum, mordens guſtu, feruens in ore, modicè opobalſamum olens. Dioſcor. lib. j. cap. xviij.

Xylocerata ξύλοκεράτα, κέρατίον Græcis recentioribus Ceratoniæ arboris, id eſt, Siliquæ fructus. vulgus Carrobias. Vide dict. Ceratium.

Xylocinnamomum ξὐλοκιννάμωμον, arboris lignum, cuius quidem corticem Cinnamomum appellamus: vulgus autem Canellam: Latini, cum Græcis Caſsiam, qua Cinnamomi loco, quòd careamus, vtimur. Pete Caſiam.

Xylomacer ξὔλομάκηρ, lignum arboris macer corticem producentis. Verùm Macer aliud oſtentatur, quàm fruticis cortex, vt ſcriptum habes in dict. Macer.

Xyris ξυρìs, Iris ſylueſtris, domeſticæ folia habens, latiora & in turbinem mucronata: quorum medio caulis erumpit, craſſus, cubitalis, ex quo ſiliquæ triangulares dependent, in quibus purpureus flos, in medio puniceus: ſemen in folliculis ſimile fabis, rotundum, rubrum, acre: radix longa, geniculata, rufa. Cętera Dioſcor. docet lib. iiij. cap. xx.

Xyphoides ξὐφοίδης, ſeu enſiformis, eſt pectoris, ſiue thoracis extremum, & ventriculi, ſiue oris ſtomachi principium: & cartillagini nomen inditum. Octaua namque thoracis ad radicem cartillaginis coſta, in pectoris fine in mucronem gladij modo exacuitur, conſiſtit: reliquæ omnes ſeptem thoracis compoſitionem conſtituunt anteriùs & poſteriùs.

De lit

De litera Z.

Zadura ζάδουρα Actuario, radix eſt teres, mordicans, odorata, ſapore, & colore zingiberis: magis tamen aromatica, cardiacáque eſt: nam in theriacis peſtilentem fugantibus aërem venenúmque miſcetur. Officinæ Zedoariam dicunt.

Zarnabum ζάρναβδιον, Doronicum aliquibus videtur: ex herba radix foditur ad aromata condienda, & conficienda quæ vſurpa-ur. Scorpij animantis figura radix videtur haud diſsimilis: tota in candidum herbacea colorem monſtratur, quando recens ac nuper effoſſa eſt.

Zea ζεία, id eſt, Speltha, duûm generum offenditur, vnum ſimplex, alterum in geminis putaminibus grana bina iuncta gerit: ob id dicoccos appellatur. pluſquam hordeum alit. ori gratum vtrumque genus: ſed minùs, quàm triticum. Pete Gal. lib. primo de Alimentis.

Zeopyrum ζεόπυρον, à Zea & tritico, vt nomen duxit, ita mediam inter vtrumque naturam, & quaſi ex ambobus conflatam ſortitur.

Zingiber γιγγίβερι, radix vt gramen repens, folio arundinaceo, & ſui generis planta, aromatica, facultatem piperis excalfacientem habens; atque ea vt frequens vtimur in ſpeciebus. Xylocinnamomum quoque Zingiber vocatur.

Zirbus omentum, ac rete eſt, quod Græcis veteribus ἐπίπλοον, καὶ ἐπιπλοῦν, Latinis omentum appellatum eſt. Quære dict. Omentum.

Zizanium αἶρα, Lolium infelix eſt Virgilio, quod non ſolùm inter ſegetes, ſed ex ſegetibus etiam ipſis, vt tritico præcipuè in vliginoſis, & hordeo, naſcitur. panis cui hoc granum admiſcetur, capitis dolorem cum graui ſopore infert & febriculam edenti: nec niſi poſt ſomnum ſoluitur dolor. Dioſc. quæ ad medicinam pertinent de lolio, docet lib. ij. cap. xcij.

Zizipha ζίζιφα σηρικα, duplex genus, rutilum & candidum vt author eſt Columella, flos eſt oleæ, ſed odoratior: cuius pomum baccæ ſimilius, quàm malo, quo ampliùs, & maturius, eò innocentius. Serica ea vocat Galenus, parui ſucci poma, nec concoctioni, nec ſtomacho vtilia. Officinæ iſto ſeculo cum barbaris medicis Iniubas vocant.

Zona ἕρπης paſsio, fit quoties flaua bilis pura, nullóque humore alio mixto, excreta in aliqua parte conſiſtit: quæ ſi ſubſtantia craſsior fuerit, & acrior, totam cutem ad ſubiectam vſque carnem exulcerat, appellatúrque ἕρπης ἐσθιόμενος, hoc eſt, herpes exedens. Si verò tenuis & minùs acris, calidáque fuerit, exiguas puſtulas milio ſimiles per ſummam cutem excitat, ob eámque ſimilitudinẽ, Græcis κεγχρίας ἕρπης, id eſt, miliaris herpes dicitur.

Zona, eſt ſpacium de ſuperficie cœli, ac eadem quidem de proportione terræ, inter duos circulos minores compræhenſum. Sunt autem Zonæ quinque ſic ab Ouidio deſcriptæ:

Vtque duæ dextra cœlum, totidémque ſiniſtra
Parte ſecant Zonæ, quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura dei, totidémque plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu.
Nix tegit alta duas, totidem inter vtramque locauit,
Temperiémque dedit mixta cum frigore flamma.

Zygia ζυγία, aceris arboris genus tertium eſt, cuius lignum rubens, & fixile experitur, cortice liuido, ſcabróque: noſtratibus agricolis Carpiuus appellatur. nullius

Z

in medicina vſus, foco tantùm aptum aridum lignum probatur.

Zulapium Iulepum eſt, quod fit aut ex ſtillatitio plantarum liquorē quopiam, aut è ſuccis cum ſacchare: mellevè, vt ex Actuario, Meſue, & Nicolao patet: eóque medici pro variis morbis, vtuntur.

Zigoma, vel ζυγοειδὴς, os eſt iugale, & paris os inter tempora & aures ſitum: & præter has partes, nouem ſunt in facie nominatæ, quæ oſſa maxillæ ſuperioris connectunt. Nam maxillæ inferioris oſſa duo ſunt in mento diuiſa: dentes xxxij. numero: molares viginti, canini quatuor, inciſores octo, quæ omnia apertiùs ſcripta habentur in dictione Dentes.

FINIS.

AD CANDIDOS MEDICI- næ Profeſſores.

SALVETE o memores miſerorum ſæpe laborum
Perfunctos inter quos medicina beat.
Largirique ſua quicquid virtute paratur
Prona eſt, in vitam quiſque ſuperſtes eat.
Hæc monet hic temerè non vos, qui incommoda prompti
Tollitis ægrotis, molliùs illa fluant.
Scilicet vt fidus fida verſetur in arte
Vobiſcum illæſa Pharmacopola manu.
Se gerat in veſtris, conantem talia tantùm,
Præceptis, culpa eſt veſtra, nec alterius.
Vt erit & partum nomen celebrabitur ore
Continuo, alterius non erit, huius erit.

PIGMENTARIORVM PERFI- dia Therapenticem Medicus exerceat: ad Claud. Peronæum Medicinæ doctor. celeberrimum.

Mos erat humanæ ſtudio ſeruare medendi
Naturæ vires, doctáque facta ſequi.
Amplecti ſanè tamque viam, qua quiſque ſuperſtes
Viueret in longas, tempora fixa, moras.
Ius dedit hoc medicis tantum Natura, negatum
Cui fuit æternum viuere nempe diem.
Quos vexat cenſura potens marcentis alumna.
Inuidiæ domat hos incidioſa fides.
Euertens formas, medici quoquè dicta retractat
Pigmentum laudans Pharmacopola ſuum.
Hac omnes ſpecie medici falluntur, & ægri
Intereunt, medicis improperántque necem.
Iandudum obruimur, multis nec deficit vſus
Indomitis, primus corrigis iſta tamen.
Corrigis audaci, promptam ſimul arripis anſam
Iudicio, & venia eſt nulla petenda tuis.
Tu modò nam tecum fingis tua pharmaca: dictas
Ipſe domi: ægrotis quid faciátque, vides

VITA BREVIS, ARS LONGA, iudicium difficile, experimentum periculoſum, quæ natura iatrice, vincit experientia: ad Petr. Areodum Medicinæ cultorem fideliſsimum.

Principio proles genita eſt, (mortalis origo)
Limoſa de re, qua quoque vita breuis,
Namque vbi naſcuntur morbi, variique dolores,
Quàm miſerum eſt iuueni, quàm graue deinde ſeni.
Prima dies cunctis quàm candida, quàm ægra ſenectus:
Et labor, & fatum, mortis acerba via.
Ars longa eſt homini incauto, qua quiſque ſed æuum
Conterat, & finis nullius artis erit.
Hinc eſt à templi ſolio diſcedere pergunt,
Artis quàm guſtent limina prima ſuæ.

Si quoque tentarint, medios remorantur in axes:
Vltimus à primo nec repetitus apex.
Sollicitat vitæ quæ ſunt occaſio præceps:
Cui mens, cui ratio, iudiciúmque poteſt.
Aſt vbi peruentum-eſt quanta experientia prodeſt:
Aut noceat, nota eſt artificiſque via.
Quid vetat argutum palàm damnare periclum?
Difficili varium iudicióque dare?
Omnibus hinc ſeſe rebus præſtarit oportet
In vita cupiens hoc decus artificis.

OPIFICIS SVMMI NVTV, NON fato, accidunt commoda & incommoda: ad Petrum Toletum, naturæ amicum.

Rerum opifex poſtquam voluit ſua pandere Mundo
Decreta, arbitrio contulit illa ſuo.
Iutricem poſuit ſed tunc, fecitque miniſtram
Naturam, medicus, dum ſolet, addit opem.
Omnia ſint morti, & variis obnoxia morbis,
Dicere nec fato fata venire licet.

HVMORVM INVICEM CONgruentium, vitæ ſalubrioris, longioríſque temperamentum.

Humida ni fluerent, in flammas totus abirem:
Ni foret inde calor, mergerer imbre miſer.
Imbribus & flamma totus conſeruor eadem
Temperie, & vitam præbet vtrumque mihi.

GRAVIDIS VENENVM MINIſtrare impium, & iureiurando vetitum, ad Perrinum de ſuo Myropola.

Si quibus in vacuis prona eſt natura locellis,
Hæreat & modico quæque puella ioco.
Se penes in ſumma modò mente ferociùs ardet:
Humanumque timet ne pereat vè genus.
Diſſoluens vires paret ſolata roganti:
Hymen concipiens virginitate probat.
Hæc veſtalis erat, data cui non vlla mariti
Libertas: operis ſed tamen illa fuit.
Eſſet vt ignotus multis cunctantibus error,
ÆEgrotam ſimulant dum peperiſſet onus.
Clam tamen adfertur mortis medicina duobus:
Clauſeruntque ſuos talia fata dies.
Impius hanc texit fraudem Myropola, ſed auro
Obductus: precio poſtpoſuitque Deum.

MEDICORVM ERRATA NON tegit tellus, ſed facti ſui ſibi quiſque conſcius: ad Iacobum Perrinum.

Qui ius per leges, per ſanctáque numina noris:
Et Perrine tuum nunc vbi iudicium?
En celerem retices mortem cecidiſſe nepotem:
Qui tibi præuiſus mane valere tamen.

Accurrit

Accurrit Myropola tuus,ſecúmque locutus:
Ventris at interdum pondere læſus erat.
Callidus alludens ægro medicamina profert,
Porrexítque leni deinde bibenda manu.
Craſtina lux ſequitur,qua fato ſoluitur æger:
Improba quòd dederit pharmaca nocte vafer.
Mllibus in cunctis ſimiles exercet & artes:
Et tibi,qui fidis præualitura parat:
Quales ſi tentas tecum peccabit & ille:
Denique tu ſecum:cuius & inde ſcelus?
Immunes vicij tegimur,ſceleriſque ſepulti
Alterius:viuis cognita fama tamen.

MEDICVM EVM NON ESSE QVI ſimplicium,compoſitorúmque facultatem nominatim ſpreuerit,ſciréque neglexerit.

Structuram quicunque domus cumulauerit,ante
Ars ſibi quàm nota eſt,pendit in arte nihil.
Artem ſi Latomus comprændit,mœnia & vrbis
Qui rudis,abſoluit ſegnius artis opus.
Indoctúſque faber clauem formámque ſerandi
Nititur,eluſus fitque labore labor.
Annulus argento formatur,& annulus auro
Fingitur:& nihil eſt ſi caret arte faber.
Dum penſam in filum deducit fœmina fuſo,
Pectine & ignoto tela futura minùs.
Si pariter plantas medicus neſcire fatetur:
Compoſitum,& ſimplex quod medicamen habet.
Iure quidem ignarus,medica nec dignus in arte
Dicetur,nihili ſcire ſed iſta foret.

MEDICOS NON INVIDIA, SED PERFIciendi operis ſui, vt ſua in arte cæteri omnes,gloria laborare.

In Medicis nulla eſt,nulla eſt Chyronis in arte
Inuidia:eſt omni rumor in arte tamen.
Si quid id eſt dicam,molitur fingere ad vnguem
Quoduis opus cupidus quiſquis honoris erit.
Gloria quæ maior fortem quàm auertere caſum
Affectis,redeat ſæpe petita quies?
Orator cauſam vel agit,tueatur eandem,
Suppreſſum nomen neve Clientis erit.
Scilicet oraret puróque Hortenſius ore:
Damnaret cauſas iudiciòque Patrum.
Deſpretus Cicero haud tamen eſt,dulcedinis illud
Cœperat,inque ambas creditur iſſe vices.
Qui quoque rixatur clamoſa Rhetor arena
Laudem aduerſanti comprobat inuidia.
Cúmque Helenæ formam mirus pinxiſſet Apelles:
Nominis aſt alijs diſtulit ille nihil.
Sartori laus eſt corpus ſi veſtis adornat:
Vt domus erecta eſt ædificantis honor.
Inuida laus ergo quauis concurrat in arte
Nempe hominum:eſt omni rumor in arte tamen.

PARENTVM, AFFINIVMQVE INſolentia in medicos, quòd mortales morte non eripiant, longioréque vita non donent.

Sedula quamprimùm vitam diuertere fatis
Gens omnis, morbi mobilitate vigil.
Neu ſua conuertant faciles ad fata ſorores
Stamina, neu lucem nox tenebroſa tegat.
Omnigenas ſed tum tentat pro potibus herbas:
Nunc & odoratas viribus vſa probat.
Hinc medicum ſortita probum cui talia curæ,
Exanimes orans diſcutiátque metus.
Pendentis vitæ curam qui ſuſcipit author
Incumbens, fati detegit eſſe locum.
Inſimulat medico quorſum fortuna rotarit,
Mortem, ſorte alia non potuiſſe mori?
Gens ignara boni vitæ ſuperaddere vitam
Poſſe putat medicum, qui imperet iſta Deo.
Se nihil excruciet, mortem nec torqueat in nos
Communem, dum nos ſcit quoque poſſe mori.

VITAM QVÆ FACIVNT BEAtam: ad Rheginum filium.

Quæ ſunt, quæ vitam faciunt (Rhegine) beatam
Sollicitum tete vellit honoris amor.
Vera loqui, & parcè morum ſapientia prima eſt:
Seria ſeu liceat conſeruiſſe iocis.
Et quocunque parem laus eſt extollere amicum:
Inconſtantis & eſt impariter vè loqui.
Flectere magnanimi eſt iram, emollire ſuperbi
Tum faſtus clara fronte, peremne decus.
Audiri pulchrum: vita éſtque beatior vlla:
Famæ ſi parcis, te quis & inferior?
Largiri crebras ſed opes frugalis amici eſt:
Sic docet ingratum vincere gratus amor.
Arrident votis ſummi promiſſa Tonantis,
Sanctius à quibus eſt, ſplendidiúſque nihil.
Hæc benè ſi ſpectes, cœlo perfectus, & orbe
Iam fies, nec non, crede, beatus eris.

ANDREÆ, ET ANTONII SEMONnæorum Myropolarum: Encomium.

Lucida Tyndaridæ nunc ſint æquanda duobus
Fratribus, annoſi ſydera bina patris.
Moribus, & fama plebi viuúntque, placéntque,
Vt cœlo ſuperent Tyndaridáſque duos.

Typographus candido lectori S.

En tibi (Beneuole lector) abſoluimus Artis Medices Exercitamenta, Opus ſanè perquàm elegans, & omnibus Medicinæ etiam Cādidatis vtile atque neceſſàrium: in quo excudendo ſtrenuam ac ſedulam nos nauâſſe operam aſſerimus: tamen ſi alicubi iniuſtis mēdis aliquibus cōſperſum prodeat, vnum hoc oro, ne incuriæ typographicæ id adſcribas, (quandoque enim bonus dormitat Homerus) ſed vitio Exemplaris minùs accurate ſcripti & mutili, lectúque difficilis. Acceſſit hoc etiam incommodum, Authoris ſcilicet abſentia longis interuallis ſeparati, cuius præſentiam ſummo affectu deſideratā, non adfuiſſe ægretulimus. Nos alteram editionem iam ab ipſo authore reuiſam & bene augmentatam dare in publicum paramus. Hoc vnicum te commonefactum volui. Bene vale.